17.1.89
9. Banco C

Digitized by Google

Illustrissimo Sig.r Cavalliere, mio Sig.re
e Prōn colend.mo

La pretiosiss.a sua, scritta li 2. d'Aprile dell'año passato, mi fù resa li 16. di Maggio, et in tanto io ne rimasi debitore, non per altro, che per non hauer hauuto, con che io possa comparire avanti à Lei. Hora finalm.e io mi trouuo in istato di far' il mio ufficio, e di rispondere, essendo uscita la IV. Parte dell' Istoria mia Bibliothecaria, la quale io ne offerisco con la douuta riuerenza, supplicandola, à riceuerla con solito favore, e d'auertirmi degli errori, che V. S. Ill.ma vi trouerà, essendo questa sorte di scritti tale; che facilm.e possono esser comessi falli ed ina-

uertenze. Il tomo XXXIII. del Giornale de' Letterati, nel quale V. S. Ill.ma è andata a conservar la memoria del celeberrimo nostro sig.r Magliabechi, non è ancora venuto in questi contorni. Sento, ch' il Sig.r Apostolo Zen conferisse ancora le sue parti al predetto Giornale; ma' io vorrei, ch' egli continuasse d'indicar gli errori del Vossio, fatti dà lui nei libri de Historicis latinis. Il che era una fatica molto utile, e massimam.e utile. Nel numero di questi nostri Professori si trovano il Sig.r Hardt, e'l sig.r Leyser. Il primo de' quali hà una grande raccolta dell' Historia del Concilio di Basilea, purche vi fosse alcuno, che la facesse stampar à sue spese, e l'altro stà per publicare

Bodini Colloquium heptaplomeres, con Annotationi.
Del resto io la ringrazio infinitam.^e degl' avvisi lite-
rarii, con i quali hà voluto favorirmi, mi dedico al-
le sue grazie, e resto per sempre con singolar zelo
Di V. S. Illma

D'Helmstadio in Sassonia
li VI. d' Aprile, 1721.

divotiss.^o ed ubbidientiss.^o Ser-
vid.^re

Gio. Fabricio.

Digitized by Google

104

X

Jo. FABRIC.

Hist. Bib. Gr.

Vol. 4. p. 4

Ex legato D. Equitis et Auct.
Francisci des Marmi

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIAE BIBLIOTHECÆ FABRICIANAE

PARS IV.

Qua

Singuli eius libri, eorumque contenta, & ſi quae dantur variae editiones, augmenta, epitomae, apologiae ſive defenſiones, auctorum errores & vitae,

Doctorumque virorum de auctoribus illis, & eorum libris iudicia, atque alia ad rem librariam facientia recenſentur, ſcriptoresque anonymi & pſeudonymi, nec non ſcripta ſpuria indicantur,

AUCTORE

IOANNE FABRICIO.

WOLFENBUTTELII

Sumtibus Viduæ GODOFREDI FREYTAGII Bibliop.

ANNO MDCCXXI.

HELMSTADII LITTERIS SCHNORRIANIS.

SERENISSIMI DVCIS BRVNSVIC. AC LVNEBVRGENSIS A CONSILIIS SANCTIORIBVS,

VIRIS

PERILLVSTRIBVS ATQVE EXCELLENTISSIMIS,

VRBANO DIETERICO A LVEDECKE,

PRIMO STATVS MINISTRO, CANCELLARIO ET CONSISTORII DIRECTORI, HEREDITARIO IN NIEDERN SICKTE,

HIERONYMO A MVNCHHAVSEN,

CAMERAE PRAESIDI RERVMQVE METALLICARVM PRAEFECTO, HEREDITARIO IN APELERN, NIENFELD ET LINDA,

IOANNI FRIDERICO LIB. BARONI A STAIN,

RERVM MILITARIVM MODERATORI, HEREDITARIO IN MVHLHVSA AD ANISVM,

CONRADO DETLEFFO A DEHN,

COLLEGII RERVM COENOBIALIVM DIRECTORI, HEREDITARIO IN WENDHVSA, SCHENINGA, ET RIDDAGSHVSA,

IOACHIMO A BRAWE,

AD COMITIA IMPERII RATISBONENSIA LEGATO CVM PLENA POTESTATE

SALVTEM AC PROSPERITATEM PERPETVAM.

PERILLVSTRES ET EXCELLENTISSIMI VIRI,

PATRONI OMNI PIETATE HVMILLIMEQVE COLENDI,

SAepe cogitaui, qua ratione meam erga Vos obſeruantiam publico monumento declarare et, comprobare poſſem; ſed occaſio defuit, qua conſilium iſthoc exſequi, & debitum meum bona fide ſolvere atque expungere

liceret,

liceret. Nunc autem ea ſeſe offert, dum Quartae *Hiſtoriae* meae *bibliothecariae* Parti, libro quidem in ſe exiguo, patroni ſunt quaerendi, ac diſpiciendi. Vos enim proximum a celſiſſimis Principibus, quibus priores tres Partes ſubiectiſſime conſecratae fuerunt, locum tenetis: Vos ſereniſſimi & clementiſſimi Ducis, in Guelphorum ſede regentis, oculi, cor, & manus eſtis: Vos res belli ac pacis, ciuitatem, fiſcum, rem publicam, leges, iudicia, & alia grauiora negotia adminiſtratis: per Vos loquitur Dominus noſter ad Respublicas, Principes, Reges, & Imperantium in terris ſummum, ac maieſtate inter homines maxima fulgentem: Vos ad Principatum ornandum quotidie & augendum cogitationes adhibetis, nec maiorem ſectamini gloriam, quam vt de patria bene mereatis, atque ut iuribus ciuium, ſubiectorum bonis, reli-

gionis ſacris, commerciorum uſui, ac populo uniuerſo ſua conſtet incolumitas: non priuatum Vos commodum publico anteponitis, neque corrumpi Vos ſinitis, ſed omnem curam adhibetis, ut iuſtitiae habeatur ratio, ac bene merentes promoueantur, criminoſi autem ac ſcelerati dignis modis puniantur: Vos tam praeclaris, tam ſanctis, tamque vtilibus operibus omni Vos modo dignos redditis, qui in primis *Euergetae* vocemini; hoc enim nomen Principum Miniſtris eminentioribus competere, grauiſſimus ſcriptor * obſeruauit, memoriaeque prodidit: Vos perpetui eſtis auguſti ſummeque venerandi Principis comites, atque in eius palatio, tabulario, ac tribunali, ut oracula iuris & iurisprudentiae, audimini; eoque feliciores eſtis, quo meliorem habetis Herum, qui non deglubit pecudes,

* Thom. *Reineſius* de Palatio lateran. p. 54. Conſer *Luc*, 22, 25.

des, & tyrannice imperat, ſed temperata utitur poteſtate, meminitque, ſe a Deo conſtitutum eſſe paſtorem populorum, & patrem patriae, quem liberis conſulere decet, ſuaque illorum commodis poſtponere, & qui, quantum alienior eſt a bello aliis inferendo, tanto auguſtiores in toga triumphos agit. Permittite ergo, Patroni maximopere colendi, ut iam, ordine ſic poſtulante, ad Vos ea qua decet reuerentia accedam, perque illuſtribus Nominibus veſtris qualemcunque librum hunc inſcribam, ac dedicem. Equidem maiora Vobis praeſtare pro veſtris in me meritis & cupio, & debeo; ſed nunc, quando praeſtantioribus officiis non poſſum, hoc ſaltem munuſculo maximum meum ac ſingulare erga Amplitudines atque Excellentias veſtras ſtudium declarandum eſſe exiſtimaui, beatum me reputaturus, ſi librum ipſum, in quo veſtri ordinis heroas

aliquot reperietis, lectione dignari, ſubactoque iudicio veſtro penſitare, ac de erroribus me admonere velitis: per Vos enim proficere, atque melius informari, & ſuaue mihi erit, & honorificum. Certe hunc fauorem, ut omnia veſtra, maximi aeſtimabo, tantoque beneficio ſerio affectu, & ſincero ac ſempiterno cultu, ſi nequiuero aliter, reſpondere allaborabo. Deus Vos ſeruet, Viri excellentiſſimi, & conſiliis veſtris proſperos euentus, operibus felices progreſſus, familiis aeternitatem, Vobis autem vitae longaevitatem, laeta cum ſanitate coniunctam, fauentiſſime largiatur. Helmſtadii in academia Iulia die XXI. Martii A. MDCCXXI.

BENE-

BENEVOLO LECTORI
S. P.

ANimus quidem erat, ſicut etiam in antecedentis Partis Praefatione expreſſi, hac IV. Parte opus meum bibliothecarium abſolvere, eique colophonem addere. Sed cum et illi, qui ſumtus in id faciunt, & multi ex eruditis me rogaverint, in cœpto ut pergerem, nec ullos, quos poſſideo, libros intactos, ac ſine recenſione relinquerem, iuſto eorum deſiderio, aegre quidem, ſi vires ac aetatem meam, ſatis iam provectam, libenter tamen, ſi ſperandam Dei gratiam, & amicorum favorem reſpicio, tandem locum dedi, cumque eo, ſine cuius auxilio nihil poſſumus, conſilium cepi

in propoſito pergendi, & abſtinendi a compendio faciendo. Atque ita iam habes in praeſenti volumine libros formae quadripartitae, partim grandioris, partim vulgaris, CXCVII. biblicos videlicet, iuridicos, rituales, dogmaticos & polemicos. Multi hoc in numero, fateor, ſunt germanici, & quidem illi, qui in titulo unam aut plures voculas germanicas, latine tamen redditas, prae ſe ferunt: qui, ut Germanis meis grati erunt, ita nec exteris, credo, diſplicebunt, quoniam & ipſi inde poterunt cognoſcere, quid apud nos his in ſtudiis ſcriptum ſit, ac peractum. Haec paucis praefari volui, Lector ſuaviſſime, te divinae clementiae, me tuo favori etiam atque etiam commendans.

P. Domi-

I.

P. Dominici VIVA Trutina theologica Theſium Queſnellianarum. Beneventi 1717. Editio tertia, ſedulo expolita, ac non nullis additionibus aucta: eamque biennii ſpatio ſecutæ ſunt V. aliæ. Eſt Trutina hæc Tomi II. Trutinæ theologicæ, operis magni, quod auctor confectum edidit, Pars quarta. Ex hac demum (qualiscunque ſit) liquido conſtare poteſt, quas ob cauſas Theſes Queſnellianæ CI. a CLEMENTE Papa XI. ſint confixæ: eas autem qui ignorant, & nihilominus condemnationem refutare ſuſtinent, non poſſunt non in tenebris palpare, & Andabatarum more dimicare. Exempli gratia: Primam theſin, quæ hæc eſt, *Nihil aliud remanere animæ, quæ Deum atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum & peccati conſecutiones, ſuperbam paupertatem, & ſegnem indigentiam, hoc eſt, generalem impotentiam ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum,* ait eſſe falſam, & hæreticam: ea enim liberum tolli arbitrium, & potentiam ad excercenda opera honeſta: quod a lege naturali præcipitur, debere poſſe exſecutioni mandari, alias poſt primum peccatum non poſſe hominem amplius peccare, nec Deum vere ad præfractos poſſe dicere: *Vocavi, & renuiſtis:* immo nemini deeſſe auxilium requiſitum ad orandum. Et ſic in ceteris progreditur; adeoque lucem nobis præfert ad cognoſcendas rationes, ob

Digitized by Google

ob quas viſum fuit Sedi romanæ, Theſes Queſnellianas, tanquam falſas & captioſas, (refero verba Conſtitutionis) male ſonantes, piarum aurium offenſivas, ſcandaloſas, pernicioſas, temerarias, eccleſiæ & eius praxi iniurioſas, in Poteſtates ſeculi contumelioſas, ſeditioſas, impias & hæreticas declararare, damnare, & reprobare. Præmittitur Procemium, in quo auctor diſputat contra multorum Gallorum appellationem ad futurum Concilium; ac mirum, ipſum etiam typographum, ut olim in controverſia ariana coquus aliquis, huic ſe ſe diſputationi immiſcere, typiſque ſuis, tanquam armis, alienos a receptione Conſtitutionis pontificiæ *Vnigenitus* Gallos petere & confodere conari, qui typos obſervare ſuos deberet, ſicut ille pulmenta curare iuſſus fuit. Ceterum ſicut Trutinæ ipſa prædicta Conſtitutio præfigitur, ita auctor in dedicatione ad eminentiſſimum ac reverendiſſimum Georgium S. R. E. Cardinalem CORNELIVM, Epiſcopum patavinum, Comitem ſaccenſem, in laudes it magni huius præſulis, ſed ob virtutem atque eruditionem nunquam ſatis laudandi.

Dominicus *Viva*, ſacerdos Societatis Ieſu, & S. theologiæ exprofeſſor in Collegio neapolitano eiusdem Societatis, adhuc vivit, floretque. Eius etiam, ut ſtatim dicetur, Curſus exſtat theologicus.

II.

Dominici VIVA Curſus theologicus. Patavii 1719. Ad uſum tironum elucubratus, & in quotidianis prælectionibus auditoribus traditus, a D. Ignatio *Viva* autem, fratris auctoris filio, in lucem publicam editus. Sunt eius Partes IIX. quarum prima tractatur de Deo uno & trino; ſecunda de beatitudine, angelis, & actibus humanis; tertia de divina gratia; quarta de fide, ſpe, & caritate; quinta de iuſtitia & iure; ſexta de divini Verbi incarnatione; ſeptima de ſacramentis in genere, ac de euchariſtia; octava de pœnitentia, ut virtute, & ut ſacramento. Dedicationem D. Ignatius *Viva* direxit ad excellentiſſimum Principem Bartholomæum V. *de Capua*, Magnum Altavillæ Comitem XIX. Principem Ariciæ, & reliqua; in eaque non tantum in illius laudes excurrit, ſed illuſtriſſimam eiusdem familiam recenſet. Typographus promittit Curſum eiusdem auctoris theologico-moralem, IIX. itidem tractatibus comprehenſum, eumque pariter in celeberrima Collegii

legii neapolitani academia, in publicum uſum, diſcipulis traditum eſſe ſcribit.

III.

Iſtorici delle coſe veneziane, i quali hanno ſcritto per publico decreto, Hiſtorici rerum venetarum, qui publico ſcripſerunt decreto. Venetiis, A. 1718. volumina IIX. Vide *Giornale de' Letterati d' Italia* Tomo XXX. 447. Eſt opus pernobile ac ſplendidum, cui Vitæ & effigies auctorum acceſſerunt, cum Chronologia & Indicibus. Auctores vero ſunt Marc. Ant. SABELLICVS, (qui proprio quidem motu hiſtoriam ſuam ſcripſit, at quam inclytus Senatus adprobavit, & auctore exſtincto continuari iuſſit) Petrus BEMBVS, Paulus PARVTA, Andr. MAVROCENVS, Baptiſta NANI, Mich. FVSCARENVS. De *Sabellico* iam diximus Partis II, p. 514. 517. de *Bembo* P. III. 78. 438. de *Nanio* & *Fuſcareno*, eiusdem Partis p. 439. & 440. Nunc hoc tantum addimus, *Sabellicum* hiſtoriam tradere ab anno Chriſti 450. ſive ab origine Venetiarum uſque ad annum 1486. *Bembum* ab hoc anno uſque ad annum 1513. *Parutam* ab hoc anno uſque ad annum 1573. *Maurocenum* ab anno 1521. uſque ad annum 1615. *Nanium* ab anno 1613. uſque ad annum 1671. & *Fuſcarenum* ab anno 1669. uſque ad annum 1690. Neque hoc prætereundum, Vitam Sabellici ab Apoſtolo *Zeno*, Bembi a Ioanne *Caſa* cum notis prædicti *Zeni*, Parutæ ab eodem *Zeno*, Mauroceni a Nic. *Craſſo* iuniore cum notis Petri Catharini *Zeni* deſcriptam hoc in opere exſtare, in Præfatione generali de omnibus hiſce & aliis rerum venetarum ſcriptoribus ſermonem eſſe, voluminique Hiſtoriæ *Bembi*, quo ceteris æquale redderetur, adiunctum a nobis eſſe Ludovici Ellies DV PIN Tomum I. Bibliothecæ univerſalis hiſtoricorum, editum Amſtelodami A. 1708. Vlterius autem hoc in opere eum progredi impedivit mors, ultima linea rerum.

Paulus *Paruta*, nobilis venetus, poëta, orator & hiſtoricus, cuius deliciæ erant lectiones *Thucydidis*, *Xenophontis*, T. *Livii* & *Taciti*, Eques & D. Marci procurator, Brixiæque aliquando Prætor, in graviſſimis negotiis ad Papam CLEMENTEM IIX. atque ad componenda diſſidia de confiniis Archiducis & Reip. venetæ miſſus, vir adſpectu venerabilis, tardus in agendo, cautus in evitandis erroribus, circumſpectus in ſermone, ſagax in augenda fama, &

 prudens

prudens in omni propoſito, tantæque auctoritatis, cum Romæ legatus commoraretur, ut ceteri Miniſtri & Legati, in rebus Herorum ſuorum commodum & dignitatem reſpicientibus, ab ipſius ore & conſiliis dependerent, ſcripſit de Perfectione vitæ politicæ, Diſcurſus politicos, & Soliloquium, quo breve examen omnis vitæ ſuæ inſtituit, fimo, non fama exutus anno reparatæ ſalutis 1598. ætatis 58. Laur. *Craſſus* Elogior. P. I. 97. *Ghilinus* l. c. Apoſt. *Zenus* in eius Vita. A *Baclero* Bibliograph. crit. p. 662. inter præcipuos diſſertationum politicarum auctores numeratur, atque a *Craſſo* alter Ariſtides, & Cato Romæ venetæ, a *Ghilino* compendium variæ & excellentis doctrinæ, ac ſpeculum omnis honeſtæ ac nobilis operationis, a *Naudæo* denique Bibliograph. polit. (apud Crenium Meth. ſtud. T. I.) p. 513. flos venetæ nobilitatis, & ſubactæ decus eruditionis, immo p. 571. deus in hoc ſcribendi genere ſummanus appellatur.

Andreas *Maurocenus*, italice *Moroſini*, Aloyſii *Piſauri*, Fran. *Piccolominei* & *Zabarellæ* diſcipulus, diſtinguendus a duobus cognominibus, quorum alter ſcripſit Corſi di penna, e catena di materie ſopra l' iſola della Ceffalonia, alter Hiſtoriam ſui temporis verſibus heroicis deſcripſiſſe fingitur a Leandro *Alberti*, Nobilis & Senator venetus, qui eruditione, eloquentia, prudentia, fide & vigilantia erga patriæ ſalutem meruit, ut per gradus honorum urbanorum ad ſummum fere faſtigium aſcenderet, (parum enim abfuit, quin ſereniſſimo Duci, Ioanni *Bembo* ſurrogaretur) multa poſteris reliquit ingenii ſui monumenta, quorum tamen, qua erat modeſtia, nullum evulgari vivens paſſus eſt. Poſt eius vero obitum, qui contigit anno 1618. ætatis 60. ex illis in lucem miſſa ſunt, præter Hiſtoriam venetam, quam quidem italice cœpit ſcribere, mox autem, mutata ſententia, contra, quam fecerat *Paruta*, latino ſermone uſus eſt, Opuſculorum, cum Epiſtolis, Pars I. Vita Leonardi *Donati*, Venetiarum Principis, ac L' impreſe & eſpeditioni di Conſtantinopoli della ſereniſſ. Rep. di Venetia. Nic. *Craſſus* & Aloyſ. *Lollinus* in Vita magni huius Senatoris, cum Notis Pet. Catharini *Zeni*.

Ludovicus Ellies *Du Pin*, pariſienſis, ex nobili Normanniæ familia, Doctor ſorbonicus & profeſſor regius, multis egregiis ſcriptis celebris, (eius enim ſunt Bibliotheca ſcriptorum eccleſiaſticorum,

conſtans

conſtans XIX. Tomis in 4. maiori, Prolegomena in Scripturam ſacram, Notæ in Pſalmos, earumque Defenſio, Editiones *Optati* milevitani, cum Hiſtoria Donatiſtarum, & Io. *Gerſonii*, Defenſio Cenſuræ ſorbonicæ librorum de religione Sinenſium, Tractatus de doctrina chriſtiana, & alius de poteſtate eccleſiaſtica & temporali) laude quidem propter veritatis ac moderationis ſtudium dignus, ſed & ab auctore *Nova Bibliotheca* T. X. 118. ob nimiam feſtinationem, intermiſſionem curæ exactioris, varioſque errores commiſſos notatus, ante obitum, qui fuit A. 1719. ætatis 62. occupabatur in Conciliatione divini officii apud diverſas religiones chriſtianas. Vide *Acta erud.* A. 1703. 204. 254. 374. *Narrat. innoc.* A. 1703. 139. ipſum *Du Pin* T. XIX. de la Biblioth. eccleſiaſt. 176. Io. Alb. *Fabricium* Biblioth. lat. 725. *Neu* Acceſſion. ad Relection. Wheari 25. *Cave* Prolegom. in Hiſt. ſcriptor. eccleſ. p. 1. *Clericum* T. XXII. de la Biblioth. choiſie 451. & T. III. de la Biblioth. anci. & mod. 194. C. *Helvvich* Vindic. Diſcuſſionis 166. & *Mandelii* Spazirgang von der wahrheit 289. 296.

IV.

Thomæ POPE-BLOVNT Cenſura celebriorum auctorum. Genevæ 1694. & iterum ibidem A. 1699. ac tertium 1710. 4. Prius autem prodiverat Londini A. 1690. in fol. In hoc tractatu varia virorum doctorum de clariſſimis cuiusque ſæculi ſcriptoribus iudicia traduntur, unde facillimo negotio lector dignoſcere queat, quid in ſingulis maxime memorabile ſit, & quonam in pretio apud eruditos ſemper habiti fuerint. Non autem ei animus eſt, de omnibus in univerſum auctoribus dicere, ſed de iis ſolum, qui apud eruditos maxime æſtimantur. Et paucos ex Anglicis attigit, quia ſcriptores illi maximam partem vernacula ſua, quæ exteris ignota eſt, utuntur. Interim prope DC. alios adduxit, eoſque iuxta ſeriem temporum collocavit. Et ſingulorum quædam quaſi imago exhibetur, unde cognoſcere poſſis, quando quisque floruerit, & obierit, quænam eius ſint ſcripta, quæque præcipua, qua valuerit auctoritate in orbe litterario, num plagiarius fuerit, & cuius ſcrinia compilaverit, an purgatorium ſubierit Indicis librorum prohibitorum, & quænam optima cuiusque auctoris ſit editio. Hoc etiam notandum de hac editione, iudicia e vernaculo

ſermone, ſive anglicus ille ſit, ſive gallicus, ſive italicus, in latinum translata eſſe. Atque hoc libro uti poteris ad inſtar Locorum communium, in quos referas varia ſcriptorum iudicia de auctoribus, eumque CL. *Struvius* Introd. in notit. rei litter. pag. 385. aliquo modo præfert Tob. *Magiri* Eponymologio critico, quia *Magirus* encomiaſtica fere iudicia, noſter autem quævis, quæ ad ſtatum & ſcripta auctorum faciunt, ſelegerit. *Acta erudit*. A. 1691. 24. De Hug. Grotio p. 947. loquens, D. I. E. in eo ait hoc taxaſſe, quod adductis aliquot locis, vel ex poëta vel ex hiſtorico, ſtatim inde univerſale aliquod rectæ rationis dictatum & gentium ius voluerit exſtruere. Is autem eſt D. Ioannes *Eichel*, ICtus helmſtadienſis. Et p. 657. per *Reginam Magnæ Britanniæ bene meritam*, in quam Buchananus tam virulentum calamum dolet ſe ſtrinxiſſe, intelligitur MARIA.

Pag. 5. Aelianus ſcribit, *Agathonem*, pictorem quendam, Homerum pinxiſſe vomentem.	Aelianus *lib.* 13. *cap.* 22. ſcribit, *Galatonem* e. r.
7. Theognis *dorica* uſus eſt dialecto.	*Ionica*. I. A. *Fabricius* Biblioth. gr. l. 2. c. 11. p. 440.
29. Platonis operum editio --- cum comment. *Marcellii* Ficini.	Cum comment. *Marſilii* Ficini.
82. Propertius ex *Mevania* oppido Vmbriæ oriundus.	Ex *Hiſpello*. *Donnola* de patria Propertii p. 18.
135. *Decius* Iunius Iuvenalis.	*Decimus*. *Fabricius* Biblioth. lat. 451.
196. Dionis Caſſii Hiſtor. rom. libri XXV. --- editi ſunt græce cum verſione Guil. Xylandri in fol. apud H. Stephanum *anno* 1591.	*Anno* 1592.
304. Tiro Proſper, *Epiſcopus rhegienſis*.	*Non erat Epiſcopus*. *Cave* Hiſtor. liter. 247. *Acta erud*. A. 1713. 245.
310. Heſychius alexandrinus, grammaticus, claruit *anno Domini* D.	Hoc verum ſit de *Heſychio mileſio*, non autem de alexandrino. I. A. *Fabricius* Biblioth. gr. lib.

Digitized by Google

	lib. IV. c. 35. p. 544.
P.368. Suidas, *monachus* byzantinus.	Hoc *dicitur ſine fundamento. Idem* ibidem.
405. Nicetæ Theſaurus fidei orthodoxæ prodiit *græce* & latine, interprete Petro Morello.	Græce prodierunt *tantum libri V. priores. Idem* Bibl. gr. lib. V. P.II. c. 5. p. 418.
451. *Ioannes Franciſcus* Poggius.	Poggius *Bracciolinus*: nam Io. Franciſcus eſt unus ex filiis. *Recanatus* in Vita Poggii.
Obiit anno 1459. *ætatis* 80.	Aetatis 78.
452. Poggius (Bracciolinus) *ſepultus eſt Romæ.*	Non ille, ſed *Io. Franciſcus* Poggius.
495. Iul. Pompon. Lætus, alias *Petrus* Calaber dictus.	Dubium, an Petri nomen tulerit. Nomen eius baptiſmale fuit *Iulius.* Vide *Giornale* de' letter. d' Ital. T. XXII. *366. 372.*
497. Ioannes Picus Mirandulæ Dominus & Concordiæ Comes *ac Princeps.*	Io. Picus Mirandulæ Dominus *ſeu Princeps*, & Concordiæ Comes. Ita Io. Fran. *Picus* in Vita Ioannis illius, ſui patrui.
Scripta eius hæc ſunt: ---- *Commentaria* in pſalmum XV. *Regula* chriſtianæ vitæ perutiles. *Explicatio* Orationis dominicæ.	Illa non ſunt niſi *affecta.*
540. Io. Cuſpinianus *magnum ſuo avo hiſtoria lumen.* Voſſ. de Hiſt. lat. 428. (202.)	Non illa, ſed hæc ſunt verba: *ſolers antiquitatis indagator.*
P. 767. Hieron. Zanchius *Baſileæ* docuit.	*Heidelbergæ.*
864. Paulus Sarpius Venetiis a ſicariis *confoſſus eſt.*	*Vulneratus* quidem eſt a nebulonibus illis, ſed ſanatus ſupervixit uſque ad annum ætatis LXXI. Io. Gottl. *Möller* in Additam. ad Mutuas Sarpii & Caſauboni Epiſtolas, §. 3.
894. Iac. Aug. Thuanus a quibusdam Politico-catholicus appel-	Auctor anonymus eſt Io. Andr. *Boſius*, profeſſor ienenſis, idque habet

latur, ab aliis ut atheus & profanus traducitur. *Auctor anonymus* in Bibliotheca politica *curioſa*.

942. Henr. Spelmannus, Eques auratus, *compoſuit librum de non temerandis eccleſiis*.

985. Caſp. Scioppius obiit *anno* 1663. *octogenario maior*.

habet in Bibliotheca politica *contracta*, Bœcleri Bibliographiæ curioſæ ſubiuncta, §. 38. I. G. *Krauſe* Animadv. in Bœcleri Bibliograph. criticam, 858.

Liber ille eſt *Clementis*, eius filii. *Acta erudit.* A. 1698. 448.

Anno 1649. *ætatis* 75.

Thomas *Pope Blount*, Baronettus, anglo-britannus, iam ſub finem ſæculi XVII. floruit inter eruditos, & ſicut litterarum cauſſa vitam privatam amavit coluitque, ita variorum collectione iudiciorum, quæ hoc libro comprehenditur, de publico bene ac præclare meritus eſt. *Acta erud.* 1691. 24. *Struve* Introd. 385.

V.

La coltiuatione di Luigi ALAMANNI, e le Api di Giouanni RVCELLAI, id eſt, Ludovici *Alamanni* Poëma de Cultione agrorum, & Ioannis *Oricellarii* Poëma de Apibus, cum Annotationibus Rob. *Titi* ad Poëma hoc poſterius, & Epiſtola Ioan. *Checozzi* in defenſionem Io. Georgii *Triſſini*. Patavii 1718. Vtrumque poëma conſtat verſibus ſolutis, (quorum tamen Alamannus non fuit inventor, ſed, fatente Oricellarii fratre p. 230. *Triſſinus*) & prius quidem expreſſum eſt ad editionem pariſinam Rob. Stephani A. 1546. poſterius ad venetam anni 1539. Præmittuntur etiam Notitiæ ſive relationes de patria & ſcriptis tam Alamanni, quam Oricellarii, & in fine prioris illius adduntur Epigrammata, italico itidem idiomate. Liber eſt nitidus, & ratione elegantium characterum chartæque puriſſimæ ſpectabilis, mihi autem eo carior, quo excelſior eſt manus, a qua in haſce oras, atque ad me pervenit. Dedicatio directa eſt ad eminentiſſimum ac reverendiſſimum Cardinalem Georg. CORNELIVM, Epiſcopum patavinum, Comitem de Piove di Sauo, & reliqua, isque beatus prædicatur non tantum propter familiam illuſtriſſimam, quæ a Corneliis deſcendit Scipionibus, & affinitate iuncta fuit cum auguſtiſſima ſtirpe Regum Cypri, & propter fratris exaltationem, qui ſere-

ſereniſſimus hodie Dux eſt ſapientiſſimæ atque æternæ Reipublicæ venetæ, ſed in primis propter favorem ac patrocinium erga bonas litteras & omnis generis virtutes, quem cum alias, tum quotidie in florentiſſimo Seminario ſuo, cuiusvis optime conſtitutæ Academiæ pie laudabiliterque æmulo, abundantiſſime demonſtret, & propter vigilantiam denique, ac ſolicitudinem paſtoralem, qua Eccleſiæ ſuæ præſit, eiusque bonum ſe præbeat agricolam. In Præfatione, quæ auctorem habet G. A. V. id eſt, Io. Anton. *Vulpium*, ſermo eſt de elegantia linguæ italicæ, de *Alamanno* & *Oricellario* eorumque ſcriptis & editionibus, qualitate huius editionis, & ſcaturigine bene ſcribendi: hanc videlicet eſſe multarum cognitionem rerum, & longum in mundo uſum, neque has conditiones in iuvenibus dari, mediæve ætatis viris, ſed in provectæ ætatis hominibus, in canis ac multum ſenibus, apud quos quo magis flacceſcunt ac debilitantur membra corporis, eo maiores mens vires exſerat, ſeque vivacem ac validam oſtendat Et hæc dicuntur occaſione *Alamanni*, qui Agriculturam ſuam non iuvenis ſcripſit, ſed ſenex. Io. *Checozzi* Epiſtola eſt ſane doctiſſima, in qua laudat D. Io. Ant. *Vulpii* propoſitum novis typis exprimendi libros veterum bonos ac raros, *Alamannum* item & *Oricellarium* atque agriculturam celebrat, *Triſsini* & *Oricellarii* verſibus, qui portenti quid videantur continere, benigna interpretatione ſuccurrit, reconditos fabularum & philoſophiæ pythagoricæ ſenſus eruit, multaque naturalia fabulis involuta fuiſſe commonſtrat.

Lud. *Alamannus*, ex nobili familia florentina, ob coniurationem contra novum patriæ ſuæ regimen, cui improvide locum dederat, profugus ac proſcriptus, ſedem ac gratiam invenit Pariſiis apud maximos Reges FRANCISCVM I. eiuſque filium HENRICVM II. eo quod feliciſſimus eſſet poëta in lingua italica, orator diſertiſſimus, atque ad quævis negotia idoneus. Vnde & FRANCISCVS eum ad CAROLVM V. Imperatorem miſit legatum, ubi in oratione a ſapientiſſimo Imperatore civiliter exprobrandi cauſſa interpellatus, eam ex templo ſcivit adhibere prudentiam cum facundia coniunctam, ſeque ita purgare, (vide *Notitiarum* p. 13.) ut ſummus imperantium ſtatim placaretur, ſurgensque, & ad prandium iturus, ſcapulam eius ſuavi mollique manu percuteret, dicens: *Non eſſe, quod doleat de exilio ſuo, qui tam magnum patronum re-*

poterit in Rege FRANCISCO: *homini virtuti dedito omnem locum eſſe patriam*: *dolendum autem eſſe Duci* Alexandro, *quod virum nobilem perdiderit tam prudentem, tamque dextrum, quantus ipſe ſit.* Quod ſane elogium ſuperat omnia alia, quæ collecta & poſita ſunt in principio huius operis; quantumlibet maximi ſint momenti. Neque hoc ſilentio prætereundum, fuiſſe Alamannum magiſtrum domus, ſive præfectum ac diſpenſatorem celeberrimæ Reginæ CATHARINAE, & alia ſcripſiſſe, in epicis videlicet Avarchidem, in tragica Antigonem, in lyricis Rhythmos, in comicis Eclogas, in romanis fabulis Gironem Corteſium, & in ſatiricis exquiſitas Satiras, adeo ut de eo poſſit iure meritoque dici, ipſum, quantum ſcivit exaltare virtutem & opera glorioſa, tantundem potuiſſe proſternere vitium, & pravas actiones. In primis hoc in eo laudabile, quod a periculoſo gravique morbo liberatus, videnſque, quid quid ſupereſſet temporis, pro lucro habendum eſſe, miſſis vanitatibus mundi, atque ad exemplum converſi iam Regis DAVIDIS, artem poëticam in exarandis VII. pſalmis, quibus ſe dolenter accuſat, cœlique gratiam & remiſſionem demiſſiſſime petit, pie exercuerit, ſeque totum per Chriſtum ſalvatorem Deo optimo maximo conſecraverit. Atque in hoc converſionis ſtatu obiit Amboiſæ, ubi aula tunc erat regia, a.1556.æt. 61. Vide *Notitias* ſive Relationes de Alamanno noſtro p.6.& *Ghilinum* volum.I.156. Et nos cum Epitaphio eius dicimus:

Sparge roſas tumulo, violaſque. Hic ille Alamannus,
Petrarcha verſu proximus, ut patria.

Ioannes *Oricellarius*, ſive *de Oricellariis*, italice *Rucellai*, nobilis itidem florentinus, LEONIS X. cognatus, ex amita quippe eius frater, atque ab eodem Pontifice miſſus Nuncius in Galliam, a Rep. autem florentina orator princeps ad HADRIANVM VI. inter ſex illos, qui ei gratularentur de pontificatu, poſtea a CLEMENTE VII. præſes Molis HADRIANI ſive Caſtri S. angeli (Caſtellano di Caſtel S. Angelo in Roma) conſtitutus, non Romæ, ſed Florentiæ, in aliquo ſuo prædio ad Quarachium, poëma de Apibus compoſuit, quod Abbas *Fontaninius* venuſtiſſimum vocat, primuſque in fabulis tragicis Choros invexit rhythmis ſolutis. Condidit & alia ingenii ſui monumenta, interque ea tragœdiam Roſimundam, qua fabula *Euripidis* Hecubam imitari ſtuduit, & aliam, Oreſtem dictam, quæ nondum eſt edita, ſed ab illuſtriſſimo marchione Scip.

Maffeo

Maffeo MSta aſſervatur, digniſſima publicatione. Tandem deceſſit, dum adhuc ſedebat CLEMENS VII. qui neceſſitudinis & ampliſſimi muneris cauſſa, eum, ſi manſiſſet ſuperſtes, ſine dubio ad dignitatem cardinalitiam evexiſſet. Vide *Notitias* ſive Relationes de hoc viro, eiusque ſcrptis, p. 29.

Rob. *Titius*, italice *Titi*, burgenſis, vixit in fine ſæculi XVI. & plura ſcripſit, videlicet Locorum controverſorum libros X. & Aſſertionem pro ſuis Locis controverſis adverſus Yvonem *Villiomarum*, id eſt, Ioſeph. *Scaligerum*, (Placc. de pſeudon. 620.) Commentarium in Bucolica M. Aur. *Olympii* nemeſiani, & T. *Calphurnii*, Scholia in P. *Angelii* Syriada, Prælectiones IV. ad Georgica *Virgilii*, Prælectiones IV. ad *Cæſaris* Commentarium de bello gallico, Orationem & Carmen in CLEMENTEM IIX. Carmen ad Card. Cynthium *Aldobrandinum*, & Elegiam in mortem PHILIPPI II. Hiſp. Regis. Vide *Hydeum* Catal. biblioth. Bodlei. T. II. 207.

Io. *Checozzius*, ſacerdos vicetinus, noſtris claret temporibus, atque, ut *Vulpius* dicit in Præfatione, in iuvenili ætate abditiſſimos ſacrarum & profanarum litterarum theſauros poſſidet.

VI.

Paolo PARVTA della Perfettione della vita politica, Paulus Paruta de perfectione vitæ politicæ. Venetiis 1599. Sunt libri tres, continentes colloquium, inter illuſtres & doctiſſimos viros, Tridenti, tempore Concilii generalis, inſtitutum, quod a *Molino* collectum, auctori noſtro exornandum ac perficiendum quaſi in manus datum eſt. Scopus igitur eorum eſt, vitam politicam, & adminiſtrationem rerum civilium, in patriæ ſive Reip. commodum ſuſcipiendam, ac beatam agnoſcendam eſſe. Speciatim in libro I. traditur, linguam vulgarem ſeu italicam omnis ornatus capacem, aptamque eſſe ad quamvis materiam tractandam æque, ac latinam & græcam: virtutes morales ſoli convenire ſpeciei humanæ: felicitatem civilem eſſe mixturam omnium tam animi, quam naturæ bonorum: prudentiam nunquam ſtare otioſam, ſed omni tempore habere, quod operetur: proſperitatem humanam, tam activam, quam ſpeculativam, eſſe imaginem felicitatis divinæ. In II. Philoſophos noſtrorum temporum, ad modum antiquorum, informare iuventutem debere in bonis moribus: cur virtus in de-

finitione ſua vocetur habitus, non vero actio: animis humanis inſitam eſſe liberam facultatem operandi, ita ut ſe convertere poſſint ſive ad bonum, ſive ad malum faciendum: ad quamcunque actionem civilem requiri coniunctionem IV. virtutum principalium: de liberalitate, magnificentia, hoſpitalitate, magnanimitate, veracitate, affabilitate, & virtute heroica. In III. de longævitate, pulchritudine, ſanitate, honore, gloria, nobilitate, divitiis, communione bonorum, prole, amicitia, libertate, regno, & tyrannide, de forma Reip. romanæ, ſpartanæ ac venetæ, & quod Resp. mixta ſit excellentiſſimus & perfectiſſimus modus regiminis. Eſt ergo hoc opus inter moralia & politica longe præſtantiſſimum, omnique laude maius. *Boſius* de Compar. prudent. civ. §. 46. Atque ideo *Naudæus* Bibliograph. polit. c. 5. n. 29. illud merito vocat præclarum, & *Ghilinus* T. I. Theatri viror. litterat. p. 189. tale, quod elegante ſtilo formatum complectitur, quid quid hoc in argumento unquam ſcribi ac doceri queat.

VII.

Io. Baptiſtæ MORGAGNI Adverſaria anatomica omnia. Patavii 1719. Quorum tria priora, & * ſingula quidem ſeorſum, poſteriora autem tria nunc primum prodeunt. Vt adeo opus nunc vere abſolutum ſit: idque pluribus æreis tabulis, & univerſali accuratiſſimo Indice ornatum, inventisque & innumeris obſervationibus ac monitis refertum eſt, quibus univerſa humani corporis anatome, & ſubinde etiam, quæ ab hac pendent, res medica & chirurgica admodum illuſtrantur. De Primis vide *Acta erudit.* A. 1708. 29. de Alteris, quæ, ut & ſequentia, obſervationes complectuntur ad Theatrum anatomicum Io. Iac. Mangeti, *Supplementa* Actor. erudit. Tomo VII. 217. de Tertiis *Acta eruditorum* A. 1719. 442. de omnibus in univerſum *Acta erudit.* A. 1720. 143. & *Giornale de' Letterati d' Italia* Tomo XXI. 427. ac nota, Quintis additas eſſe II. Diſſertationes doctiſſimi Io. Mariæ *Lanciſii*, alteram de vena ſine pari, alteram de Gangliis nervorum. Nobiliſſimus atque elegantiſſimus Io. Bapt. *Vulpius* Præfationem operi præmiſit, qua rationem eius deſcribit, & iuſtis Morgagnum laudibus celebrat.

Io. Bapt. *Morgagnus*, forolivienſis, antehac Bononiæ, iam nunc in Patavino gymnaſio primarius Anatomes profeſſor & præſes, nec non

* Prima edita ſunt Bononiæ A. 1716. 4. & Lugduni Batavorum 1715. 8.

non inclytæ Nationis germanicæ Artiſtarum protector, vivit, & quo longius vitam protrahet, eo maiori ſemper commodo ac præſidio futurus eſt rei medicæ atque anatomicæ. Pugnavit quidem cum *Mangeto* & *Blanchio*, ſed, quemadmodum opera ſummi viri, Io. Mariæ *Lancifii*, cum hoc pacem fecit, ita nec illud bellum æternum fore credendum eſt, ſed facta mutua declaratione facile componetur, præſertim cum Morgagnus a *Lanciſio* non tantum celebretur præclariſſimus, verum etiam optimus. Idem edidit Novam inſtitutionum medicarum ideam, quam *Acta eruditorum* recenſent A. 1713. p. 55.

IIX.

Marquardi GVDII & Claudii SARRAVII Epiſtolæ, curante Petro *Burmanno*. Vltraiecti 1697. Dedicatio *Burmanni* directa eſt ad CL. V. Io. Georg. *Gravium*, quem laudat ob beneficia informationis & conſiliorum ſibi a puero collata, item ob doctrinæ excellentiam & ſummam humanitatem, cum pacis & concordiæ ſtudio coniunctam. In Præfatione autem laudat *Gudium* & *Sarravium*, & rationem inſtituti ſui exponit, quod nempe hoc editionis negotium ſibi impoſitum ac commendatum fuerit a celeberrimo Grævio, & ne unica quidem ſuppreſſa epiſtola ex omnibus illis, quæ ex bibliotheca Gudiana ad ſe pervenerint, Sarravianæ autem tertia hic parte auctiores compareant. Gudii Epiſtolis, quæ & eleganter ſcriptæ ſunt, & præclaras atque eruditas res continent, accedunt clariſſimorum & doctiſſimorum virorum, qui XVI. & XVII. ſæculo floruerunt, & inter quos ſunt *Alciatus*, *Maioragius*, *Bonamicus*, *Amaſaus*, *Ciceretus*, *Camutius*, *Corradius*, *Merula*, *Minturnus*, *Nizolius*, *Parrhaſius*, Thomas *Phadrus*, *Theocrenus*, at quanta nomina! Epiſtolæ. In Sarravianis autem, iudice *Morhofio* Polyh. T. I. 313. miſcentur hiſtorica, philoſophica, philologica, theologica, neque ulla illic epiſtola eſt, quæ rerum ſterilis ſit, & ſola mutua civilitate abſolvatur: iudicia illic habentur de viris doctis, de editionibus librorum, de locis auctorum corruptis, & plura alia; neque ſtilo inculto, ſed eleganti plane & terſo. In primis id laudandum eſt, quod plerumque ſubiiciantur virorum doctorum reſponſoriæ: obſervatur etiam ordo temporis, qui ab aliis negligitur. Viri autem, a quibus ad Sarravium, & ad quos ille ſcribit, ſunt *Salmaſius*, *Grotius*, *Heinſius*, Alex. *Morus*, Io. Frid. *Gronovius*, *Blondellus*, *Voſſii*,

omnes celeberrimi, aliique plures. Vide etiam de Sarravianis Nic. *Heinſium* in Ovidii Artem amandi p. 617.

In Epp. Sarravii, Epiſt. XI. p. 17. Heinſii exiſtimatio & honor a *Salmaſio* in ſummum diſcrimen adducuntur. Sed heus tu *quid fuſtibus?*	*Somnium hoc erat Salmaſii* de Heinſio, exiſtimationem ſuam fuſtibus vindicaturo. *Burmann*, præfat. in hunc librum p. 10.
Epiſt. XXIII. p. 26. Niſi conſilia ſua ad exitum perducere feſtinat Heinſius cum ſuis Heinſianis, qui *de eo* (Salmaſio) *mactando*, quoties περίπολια ſolus vel cum famulo perambulat, *& in foſſas deiiciendo* cogitant.	En *alterum ſomnium* ſuſpicioſi Salmaſii. *Burmann*, l. c.

Marquardus *Gudius*, rensburgenſis, Io. *Ionſii* diſcipulus, a Senatu amſtelodamenſi dignus iudicatus eſt, cui Davidis *Blondelli* Animadverſiones in Annales Baronii in ordinem redigendas commendaret; ſed ille huic operi peregrinationem anteponens, cum Sam. *Sciaſſio* in Italiam abiit, eo fructu, ut hic ibi defunctus heredem ipſum ex aſſe conſtitueret. Acquiſitis igitur hoc modo ingentibus divitiis nihil obſtabat, quo minus rara MSS. libroſque optimos ac pretioſiſſimos ſibi compararet, & redux in patriam bibliothecam erigeret, quæ nulli privatæ facile cederet, immo quæ privatarum omnium regina iure meritoque vocari poſſet. Primum fuit bibliothecarius gottorpienſis, deinde ſacratiſſimi Regis Daniæ a conſiliis ſtatus, nec vivus quid edidit praeter *Hippolytum* de Antichriſto; poſt obitum autem, qui contigit anno 1689. Petrus *Burmannus* notas eius cum in *Phædrum*, tum in opus Inſcriptionum *Gruterianum* publicavit, atque ita de eo, immo etiam de bono publico, bene meritus eſt. Celeberrimi auctores *Actorum eruditorum* ad A. 1697. 133. vocant eum virum cum eruditionis fama, tum dignitate illuſtrem, & *Burmannus* in Præfat. p. 1. de eodem narrat, eum, a puero egregia litteris navata opera, adoleſcentiam exemplo ſapientiſſimorum virorum peregrinationibus impendiſſe, & mira ſagacitate & ſolertia, per celeberrimas Europæ regiones, cum tineis & blattis luctantia clariſſimorum virorum ſcripta

ſcripta indagaſſe, ereptumque iniquis & imperitis poſſeſſoribus theſaurum ſibi vindicaſſe, & ad ſupellectilem ſuam ornandam & inſtruendam ad lares ſuos devexiſſe. Vide etiam *Lexic. univerſ. hiſtor.* Tom. II. p. 315.

Claud. *Sarravius*, nobili proſapia oriundus, in Aquitania natus, optimi patris cura litteris humanioribus & philoſophiæ iurisque prudentiæ ſtudiis optime excultus, in ipſa ſuprema rothomagenſi Curia purpuratus tirocinium Iuris exercuit. Inde in ampliſſimum Senatorum curiæ pariſienſis ordinem allectus, per XVI. annos ius dixit aſſidue, ubi & ingenii & morum ſpecimen egregium identidem exhibuit, leniſſima æquitate ſummi iuris auſteritatem ſæpiſſime temperans, malis artibus ſemper iratus, hominibus nunquam: ſi tamen Dan. *Heinſium* excipias, quippe quem eo, quod Salmaſio nimis addictus erat, odio plus quam vatiniano proſecutus eſt. Fuit certe vir egregie doctus, ſummus virorum eruditorum amator & cultor, & recta plerumque de eorum operibus & ſcriptis iudicia ferebat, ſed & ab illis valde æſtimatus, immo ab ipſa etiam ſereniſſima CHRISTINA, Suedorum, Gothorum & Vandalorum regina, quæ virtute inſita, & acri quo pollebat iudicio de virtute ac eruditione aliena iuſtiſſimum ferre ſciebat iudicium. Acutiſſimo tandem morbo raptum luxere capita coronata, viri principes, cives & exteri, atque in eius funere A. 1651. Themis genas raſit, comasque laceravit, & IX. Muſæ leſſum cecinerunt. Iac. *Palmarius* in eius Epitaphio, Epiſtolis hiſce præmiſſo, *Burmannus* in præfat. p. 9. T. I. Operum *Bocharti*, in Recenſione alior. opuſculor. p. 34. & Vincent. *Fabricius* Poëmat. p. 718.

תרגום

LIBRI IN QVARTO VVLGARI.

I.

תרגום TARGVM, ſive Paraphraſis chaldaica in librum priorem & poſteriorem Chronicorum, e MS. cantabrigienſi deſcripta, ac cum verſione latina in lucem emiſſa a Davide *Wilckins.* Amſteledami 1715. In Præfatione Wilkinſius hoc agit, ut oſtendat, non Ionathanem, ſed *Ioſephum cæcum* (de quo tamen *Placcius* de anonym. p. 721. dubitat) auctorem huius eſſe Paraphraſeos; eamque nativa ornatam pulchritudine, non alienis egere coloribus fucisve; codicem, e quo deſcripſerit, e bibliotheca Erpeniana a Duce Buckinghamiæ emptum, & donatum academiæ cantabrigienſi, cuius ille erat cancellarius, ſcriptum eſſe, textu hebraico alternatim poſito, manu pereleganti in pergamena A. C. 1447. Matthiæ autem Friderici *Beckii* Targum, A. 1683. Auguſtæ Vindelicorum editum, mutilum eſſe ac plenum erroribus; in iisque indicandis nulli parcit operæ ac ſtudio. Et de hac Beckiana ſiniſtrum quoque fert iudicium Rich. *Simon* Hiſt. crit. V. T. p. 299. ſcribens, eam parvi eſſe momenti, valde aridam ratione ſenſus, & plenam ad voces alluſionibus.

Rabbi *Ioſeph*, cognomine *Cæcus* vel *Luſcus*, rector academiæ in Syria, uſus eſt ſtilo hieroſolymitano, vixitque circa trecenteſimum a templi ſecundi everſione annum. *Wilkins* in Præfat. a. *Wolf* Biblioth. hebr. 550. qui quidem remittit a p. 1161. ſed in hac nos lactat ſpe tractatus de anonymis, ad quem perficiendum otium & vires clariſſimo viro adprecamur.

Dav. *Wilkins*, presbyter eccleſiæ anglicanæ, linguarum orientalium peritiſſimus, dedit etiam Novum teſtamentum ægyptium, vulgo copticum, cum verſione latina: de qua vide *Novam bibliothecam* T. VII. 87.

II.

Rabbi SALOMONIS, filii Iſaaci, (vulgo, ſed falſo) dicti IARCHI, Commentarius in totam ſcripturam V. T. latine verſus, notiſque criticis ac philologicis illuſtratus a Io. Frid. *Breithaupt.* Gothæ 1713. volum. III. Quorum primo continetur commentarius in V. libros Moſis; ſecundo commentarius in Prophetas, Iobum, & Pſalmos; tertio commentarius in Ioſuam, & ceteros libros hiſto-

ricos, nec non in Proverbia, Eccleſiaſten, & Canticum canticorum. Quod tamen ad Hoſeam, Ioëlem, Obadiam, & Ionam attinet, in iis retenta eſt verſio *Merceriana.* Difficilis quidem intellectu eſt, præſertim in Pentateuchum Moſis, propter ſtilum conciſum ac brevem, nec non propter voces ac nomina peregrini, in primis gallici, idiomatis; ſed tanta præſtantia, ut eum non immerito compendium talmudicum appellaveris, reſpectu explicationis dictorum S. ſcripturæ, quæ in opere talmudico hinc inde allegata ſunt: ea enim auctor commentarii, maxima diligentia, ſummoque ſtudio collegit, & explicandis ſacrarum litterarum locis apte applicuit. Tribus Voluminibus totidem præmittuntur Præfationes, atque in earum prima agit de R. Salomone, *Iarchi* cognominato, eiusque commentario, ſtilo & auctoritate, de ſtudio ac propoſito ſuo circa verſionem & notas, deque omiſſione, hac quidem in editione, textus ebraici: in ſecunda reſpondet ad duas obiectiones Io. *Clerici*, & Ioſephi *Gorionidu* ingenuitatem vindicare nititur: in tertia hoc argumentum perſequitur, ceteraſque viri clariſſimi obiectiones reſponſione excipit, & quantum poteſt diluit.

In Secunda & Tertia præfatione, *Ioſephi Gorionidis ingenuitas vindicatur.*	Erudite, ſed *minus ſolide.* I. C. *Wolfius* Biblioth. hebr. 514.
In Eſa. 29, 1. Ariel eſt *altare holocauſti*, vel *templum hieroſolymitanum.*	Eſt *arx Zion.* Io. Dan. *Schrammius* Diſſert. de Ariel & Pythone §. 4.
℣. 4. Sermo tuus muſſitabit) Inquit *Deus.*	*Sennacherib* potius. *Idem* §. 5.

Io. Frid. *Breithaupt*, gothanus, venerabilis doctoris & abbatis Breithaupti agnatus, Ioannis, conſiliarii Cameræ ducalis gothanæ ut fideliſſimi, ita feliciſſimi, filius, S. Cæſ. Maieſt. & Ducis Saxon. conſiliarius, ſtudiorum ſacrorum cauſſa multo tempore in ſeceſſu patrio vivens, poſt varios philologicos & iuridicos labores edidit notiſque illuſtravit utiliſſimum Phil. *Mornai*, Pleſſiaci domini, volumen de Veritate religionis chriſtianæ, item *Gorionidem Ioſippon* e rabbinicis ſtructuris verſum, & in verſione Raſchiana, utpote auctoris obſcuri ac difficillimi, id præſtitit, quod Iudæis vires humanas ſuperare videbatur, atque iccirco laudatur a Collectoribus *Actor. erudit.* ad A. 1710. 337. Auctoribus *Relat. innoc.* A. 1713. 332.

& I. C. *Wolfio* Biblioth. hebr. 1064. Et hic ille eſt, quem ob ſtudiorum rabbinicorum in munere & negotiis plane diverſis tractationem admiratur ac laudat *Boineburgius* Epp. ad Dietericum p. 316. Deceſſit ſic ſatis ſenex anno 1713. quo tertiam Partem operis Raſchiani ediderat, excepto Indice, quem confecit vir induſtrius, Io. Conr. *Kalerus*, Gymnaſii gothani conrector, ſicut teſtatur ampliſſimus D. Ioach. Iuſtus *Breithauptus*, nunc Abbas bergenſis prope Magdeburgum, in Epiſtola ad illum ſcripta, editaque Halæ magdeburgicæ A. 1714. d. 17. Febr.

III.

IV. Euangeliorum Verſiones gothica & anglo-ſaxonica, edita per Fran. IVNIVM & Thomam MARESCHALLVM. Amſtelodami 1684. prius Dordrechti A. 1665. Gothicæ autem verſionis, (quæ a Io. *Sauberto* Prolegom. in Varias lection. gr. textus euang. Matthæi p. 43. veteris linguæ germanicæ, ſive gothicæ, antiquiſſimum omnium, quotquot exſtant, ſtupendum & incomparabile monumentum adpellatur) auctor eſt VLPHILAS. Et hanc Fran. *Iunius* ex celeberrimo codice argenteo, de quo vide *Mareſchallum* Præfat. in Obſervationes p. 389. & *Esbergium* in Vita Vlphilæ p. 75. primus depromſit; anglo-ſaxonicam autem *Mareſchallus* ex codicibus MSS. collatis emendatius recudendam curavit. Cuius etiam Obſervationes in utramque verſionem ſubnectuntur. Acceſſit & Gloſſarium gothicum, eique præmittitur Alphabetum gothicum, runicum, & alia, opera eiusdem Fran. *Iunii*. Hic ipſe in Epiſtola ad illuſtriſſimum Magnum Gabr. *De la Gardie* dedicatoria, veteris linguæ teutonicæ claritatem facunde prædicat, obſervans, francicam atque anglico-ſaxonicam ex vetere gothica promanaſſe; ipſam vero gothicam eandem, quam græcam, originem habuiſſe; argenteum codicem, ab excellentiſſimo illo Comite in Sueciam revocatum, magnum quidem & inæſtimabilem eſſe theſaurum, ſed nuſquam totum apparere, immo ipſum codicem deſiderari in codice multis in locis vetuſtate exeſo, madore vitiato, fruſtatim quondam diſcerpto, ac ſolutarum diſſipatarumque philyrarum imperita compaginatione indigeſto, mutilo, fœdo; interim ex hiſce reliquiis orbi chriſtiano maximam utilitatem adferri, & lumen ingens affundi; denique nullum Gothis decus, nullum

florem,

florem dicendi defuiſſe, quin ſermonis græci proprietates, ubertatem, emphaſin feliciter expreſſiſſe. In Præfatione autem Gloſſario præmiſſa difficultatem & moleſtiam plane ſingularem conficiendi Lexica graphice deſcribit; rationem, cur huic libro *Gloſſarii* nomen indiderit, exponit; in etymologiarum indagatione perſæpe ſe ait amplecti originationem, minus quidem probatam, at morale quid ad communis vitæ uſum comprehendentem; veritatique magis videri conſentaneum fatetur, veterem græcam ſcythicamque linguam, nec non ipſam gothicam ex vetere ſcythica provenientem, a communi aliqua origine promanaſſe.

Vlphilas, Philoſtorgio Vrphilas, aliis Vlfias, Gulfias, Vulfila, Wulfhila, Vlfhila, & Gudilla dictus, gothus, & Gothorum, qui Daciam primo, deinde Thraciam Mœſiamque incoluerunt, epiſcopus, omni doctrina & virtute ornatiſſimus, vixit ſub VALENTE Imp. circa annum Chriſti 370. novas Gothis litteras tradidit, nec tantum IV. euangelia, ſed totam Scripturam S. exceptis Regum libris, quod bellorum hiſtoriam contineant, gens autem gothica belli amans freno magis, quam incentivo ad pugnas opus haberet, in linguam patriam convertit, bis a popularibus ſuis ad VALENTEM miſſus, ut auxilia contra Hunnos Oſtrogothosque rogaret, ſed & hac occaſione ab *Eudoxio* epiſcopo CPtano, Arianis cum Cæſare addicto, ad arianam ſectam perductus eſt, cum ille non alia conditione opem latum iri, nec diſcrepantiam duarum religionum, quam in verborum diverſitate conſiſtere cauſſaretur fingeretque: unde & Gothi poſtea Ariani redditi. *Esberg* in Vita Vlphilæ.

Fran. *Iunius*, Franciſci theologi filius, heidelbergenſis, Lugduni autem Batavorum educatus, cum ætas ferret, animum ad mathematicas diſciplinas applicuit, & bellicis ſe dedidit artibus, hoc conſilio, ut cum ſe corroboraſſet, ſtipendia faceret ſub ductu arauſionenſis Principis; ſed pace reddita collegit, digeſſit & publicavit patris ſui ſcripta. Deinde in Galliam contendit, ex eaque traiecit in Britanniam, atque ibi, velut in beata inſula, ſedem fixit, receptus in familiam illuſtriſſimi Arundelliæ & Surriæ Comitis, & ipſos XXX. annos in illa transegit. Qui olim mira aſſiduitate verſatus erat in evolvendis græcis latiniſque omnis generis ſcriptoribus, deinde teutonicarum linguarum ſtudio totum ſe dedit,

 atque

atque in eo primus, immo ſolus excelluit. Vt autem illi recte vacare & impalleſcere poſſet, eam vitæ rationem tenuit, quæ labori faciendo ſuſtinendoque eſſet idonea. Nimirum hora quarta matutina ſurgebat tam bruma, quam ſolſtitio, ſtabatque ante pluteos in muſeo uſque ad prandii horam, quæ erat prima pomeridiana. A prandio corpus exercebat, vel in area ſubdivali ambulando contentius, vel ſubſultim non nunquam currendo, aut, ſi id non ferret aſperior tempeſtas, per omnes ſcalas in cœnaculum aſcendendo, valetudinis tuendæ cauſſa. Hora tertia recipiebat ſe in muſeum, & non interrupte ad octavam veſpertinam penſum ſuum texebat. Tum cœnabat, & tam in prandio, quam in cœna libenter veſcebatur. A cœna cubitum ibat. Hoc modo quis miretur, eum & præſtantiſſimos libros edidiſſe, & tot Vniverſati oxonienſi hereditario iure reliquiſſe volumina, rerum adhuc ignotarum plena? Edidit enim Obſervationes in *Willerami* Paraphraſin francicam Cantici canticorum, & libros de Pictura veterum; eorum autem, quos iam poſſidet alma ſtudiorum mater oxonienſis, catalogum Memoriæ iunianæ ſubiunctum reperies. Et quamvis in tanta aſſiduitate invitus a ſtudiis avocaretur, nullam tamen in eo vidiſſes moroſitatem, nullam animi triſtitiam, quæ ſolet eſſe propria iis, qui a luce hominum & celebritate alieniores omne tempus & operam domi ſuæ in doctrinæ & litterarum ſtudiis conſumunt, præcipue ſenes; ſed noſtro ſene nihil erat ſuavius, nihil humanius: nec minus erat ingenuus, ac bene de aliis merendi cupidus. Tandemque non tam morbo, quam ſenio, cum curſum ſuum peregiſſet natura, Windſoriæ ſolutus eſt, anno ſalutis 1679. annos natus 88. In *Epitaphio*, quod ei Vniverſitas oxonienſis in grati animi ſignificationem poſuit, vocatur nobilitate generis, integritate morum, & omnigena doctrina conſpicuus vir, qui per omnem ætatem, ſine querela & iniuriis cuiusquam, Muſis tantum & ſibi vacaverit, atque a *Grævio* in eius Memoria, (cuius verba hic multa retinuimus data opera) doctrina, virtute, morumque integritate vix ulli ſui temporis ſecundus. Et hæc Memoria præfixa eſt libris de Pictura veterum, ac reperitur etiam inter Memorias Philoſophorum, Oratorum ac Poëtarum, a Frid. Caſp. *Hagenio* collectas, p. 42. Cui adde *Rollium* de nobilibus theologis p. 293. *Acta eruditorum* A. 1694. 384. *Iournal des Savans* A. 1695. 128.

Colome-

Colomeſium 323. Phil. *Caroli* in Gellium 195. & *Benthemium* in P. II. Status eccleſ. & ſchol. holland. p. 272.

Thomas *Mareſchallus*, anglus, *Grævio* in Memoria prædicta p. 47. doctiſſimus dictus, a Iunio rogatus & exoratus fuit, ut iuncta opera examen inſtitueret euangeliorum gothicorum ad fontem græcum. Atque hinc ei natæ Obſervationes, quas & *Iunius* in Dedicatione huius operis vocat doctiſſimas.

IV.

Guil. ESTII Annotationes aureæ in præcipua ſacræ ſcripturæ loca. Coloniæ 1622. Natæ ſunt ex lectione ſcripturæ ſacræ ad menſam in Seminario duacenſi, auctioresque, in primis reſpectu veteris Teſtamenti, prodierunt Duaci A. 1629. Antverpiæ 1652. Pariſiis 1663. & Moguntiæ 1667. in folio. Non tamen hic Annotationes reperiuntur in Epiſtolas apoſtol. quoniam iuſtus in eas ac perpetuus exſtat eiusdem auctoris commentarius. Neque mirum videatur, ſi non omnia æque limata ſint, cum Annotationes iſtæ non ab ipſo auctore, ſed ab aliis, ex eius adverſariis ſive indicibus, collectæ ſint & concinnatæ. Ceterum de ſcriptis Eſtii noſtri ſic iudicabis, ea ex eius mente eſſe, quæ poſteriora: ut adeo Commentarii in Epiſtolas, quibus immortuus eſt, præferendi ſint Meditationibus in Magiſtrum ſententiarum, Aureæ vero Annotationes medium inter illa ſcripta locum teneant. D. Io. Frid. *Mayer* opus hoc Annotationum vocat præſtantiſſimum, & multa eruditione refertum, Biblioth. biblicæ p. 67.

V.

Cornelii IANSENII Pentateuchus, ſive Commentarius in V. libros Moſis. Lovanii 1641. Editus poſt obitum auctoris, prius autem diſcipulorum calamis exceptus. Quamvis vero ab auctore non ita formatus fuerit, ut ederetur, breviſque ſit & ſuccinctus; purum tamen putum, Iac. *Pontani* iudicio, Scripturæ ſenſum ex ſolidioribus ſanæ doctrinæ principiis, ac potiſſimum S S. Patrum ſcriptis erutum exponit, tanta ubique veræ eruditionis luce, ut, licet mole ſit exiguus, fructu tamen uberrimus ampliſſimusque merito cenſendus ſit, quia, ut in Epiſt. dedicat. dicitur, ab eo viro profectus, in quo nec brevitas claritatis, nec extemporalitas limæ gra-

Digitized by Google

tiam unquam amiſit. Ianſenii hoc inſtitutum ſecutus eſt Claudius *Fraſſen*, qui Diſquiſitiones dedit biblicas in Pentateuchum, Pariſiis 1705. 4. de quibus vide *Acta erudit.* A. 1705. 413.

Corn. *Ianſenius*, natus Accoiæ, pago Bataviæ prope Leerdamum, patre fabro ferrario, Iacobi *Ianſenii* diſcipulus, in academia lovanienſi, cuius nomine bis legatus ivit in Hiſpaniam, D. & profeſſor theologiae, tandemque, ſed non diu, epiſcopus iprenſis, diſtinguendus a cognomini, epiſcopo gandavenſi, atque prudentia in primis conſpicuus, fatis ceſſit, peſtique manus dedit A. 1638. ætatis 53. reliquens librum de hæreſi pelagiana, & gratia Dei, quem *Auguſtinum* inſcripſit; eumque in finem opera Auguſtini decies & amplius, libros vero eiuſdem de gratia & libero arbitrio contra Pelagium facile triceſies a capite ad calcem evolvit, ipſi autem libro componendo XX. annos impendit. Eiusdem ſunt Alexipharmacum pro ciuibus ſilvæducenſibus, Spongia notarum, quibus Alexipharmacum adſperſit Gisb. *Voetius*, &, ſub ſchemate Alexandri *Patritii* Armachani, Mars gallicus, ſeu de iuſtitia armorum & fœderum Regis Galliæ: de quo legendus *Placcius* in de anonym. p. 294. Ab hoc Ianſenio orti ſunt *Ianſeniſtæ*, quibus adverſantur Moliniſtæ. Libert. *Fromond* in Vita huius Ianſenii, eius Auguſtino præmiſſa, Valer. *Andreas* in Biblioth. belgica, *Lexicon univerſ. hiſtor.* T. III. 171. *Koenig* 423. Io. *Frick* in Inclementia Clementis 32. *Micrælius* Syntagm. hiſtor. p. 874. & 1005.

Rob. BELLARMINI Explanatio in Pſalmos. Coloniæ 1633. Scripta, quum iam eſſet Cardinalis: eiusque ſcopus eſt, brevitati & perſpicuitati ſtudere, Vulgatam latinam verſionem pro viribus defendere, & ſpirituali mentis refectioni ac piæ devotioni conſulere. *Methodus*, uti Rich. *Simon* Hiſt. Crit. V. T. lib. 3. c. 12. indicat, *quam hic ſecutus eſt* Bellarminus, *bona eſt, eoque digna. Hebraicum textum examinat, & duas verſiones veteres, quas authenticas declaravit Eccleſia romana. E* Genebrardo *transſumſit, quæ Grammaticam & Criticen ſpectant. Diſcedit alicubi a ſenſu literali, ut Chriſtianis, ceu videtur, utilior foret ſuus Commentarius.* Sed ex hiſce facile conſtabit, quantum ei ſit tribuendum.

Pſ. 44, 1. p. 239. Deus in his verbis ita deſcripſit emanationem huius verbi ex corde Da-

Hæc in tanta ſacrorum ſtudiorum luce *homine docto ſunt indigna*. Ger. *Titius* Animadverſ.

exeget.

vidis, ut *alluſerit ad productionem Verbi aeterni.* | exeget. G g. 3.

Pſ. 84, 8. Audiam, quid loquatur *in* me Dominus. Iuxta illud Oſeae 1. Principium loquendi Domino *in* Oſea & Zachar. 1. Et dixit ad me angelus, qui loquebatur *in* me. | Vbique reddendum *ad.* *Idem* ibidem.

VI.

Cornelii IANSENII Tetrateuchus, ſive Commentarius in SS. Ieſu Chriſti euangelia. Lovanii 1639. Opus hoc non quidem in typos ab auctore deſtinatum, ſed ſcholaſticis tantum dictatis concinnatum fuit: verum diſcipulorum ardor, ut auctor praefationis ſcribit, & incomparabilis viri eruditio expreſſit, ut evulgaretur. Et Iac. *Pontanus* in Cenſura teſtatur, Commentarium hunc genuinum ſcripturae S. ſenſum exponere, & ſummam eruditionem, doctrinamque ſolidiſſimam, ex SS. Patrum ſcriptis potiſſimum hauſtam, complecti. Neque Rich. *Simon* Hiſt. crit. de Commentatorib. N. T. c. 44. p. 664. diffitetur, eum, quamvis non immunem ab erroribus, ſatis accurate explicare euangelia, nec illos obſtare, quo minus inter eruditos commentatores locum occupet. Sed & hoc addit, eum videri plurimis in locis exſcribere *Maldonatum.*

Matth. I, 5. p. 11. זונה *Zonah ſemper meretricem ſignificat:* & ita verterunt LXX. & apoſtolus ad Hebr. 11, 31. | *Lira* tamen & R. *Salomon Iſaaci*, non ignorantes proprietatem linguae ebraicae, reddidere *hoſpitam* ſive *cauponariam.* Rich. *Simon* Hiſt. crit. des Commentateurs du N. T. 665.

Cap. II. 6. Scribae poſuerunt *in Principibus*, quia vox hebraica utrumque ſignificat, inquit Ianſenius & Maldonatus. Sed *uterque fallitur: numquam* enim אלף *Eleph* i. e. Mille, *ſignificat Principem*, ſed אלוף Aluph. | Sed cum puncta tunc temporis textui non eſſent adpoſita, *Iudaei potuerunt legere Alaphim & Aluphim*, & ſic traducere *in millibus*, & *in Principibus.* *Id.* ib.

Vſus

Cap. IV. 10. Λατρεύειν, ſervire, *ſignificat cultum ſoli Deo debitum*, ſi non ſignificatione, *ſaltem uſu* Scripturæ.

Vſus huius ſignificationis potius venit *a theologis*, quam ab auctoribus ſacris. Rich. *Simon* 665.

Io. VI. 37. p. 252. Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet, id eſt, re ipſa *indeclinabiliter* mihi cedit: quia quos *Deus ab æterno ſalvandos prædeſtinavit*, hos ſine dubio ſecundum illud propoſitum ſuum vocabit.

An neceſſarium erat, arceſſere gratiam efficacem & æternam prædeſtinationem ad eruendum ſenſum huius dicti? Idem 664.

v. 39. Hæc eſt enim voluntas eius, qui miſit me, Patris, ut omne, quod dedit mihi, *ex decreto prædeſtinationis eius ſalvandum*, non perdam ex eo.

Adeo *abundabat cogitationibus de preſtinatione*, ut ne hoc quidem dictum ſine illa interpretandum arbitraretur. *Idem* ibidem.

Blaſii VIEGAS in Apocalypſim Ioannis Commentarii exegetici. Coloniæ Agrippinæ 1617. Nunc ſecundo in Germania correctius & auctius excuſi. Primum autem prodierant Eboræ A. 1601. f. deinde Lugduni, etiam 1617. 4. iique iam abſoluti erant, & ad tectum, ut aiunt, faſtigiumque perducti, ac pæne in prelo, cum auctor immatura morte terris eriperetur. *In huius operis commendatione*, ait Fernandus *Rebello* in Cenſura, *non eſt quod multus ſim: qua ſit ingenii ſubtilitate elaboratum, qua claritate conſpicuum, quantum denique ex eo divini verbi præconibus extare poſſit emolumenti, lectorum facio iudicium.*

Blaſius *Viegas*, Ebora-luſitanus, Soc. Ieſu, doctor theologus, & publicus ſacrarum litterarum in eborenſi academia profeſſor, egregius etiam concionator, floruit ſæculo XVI. & amplius, immatura autem morte terris ereptus fuit A. 1599. *vir plane admirabilis, neque religione tantum, ſed omnibus chriſtiani doctoris numeris*, (quæ *Rebellonis* verba ſunt) *abſolutiſſimus, iudicio quidem peracri, ingenio acuto, linguarum peritia inſignis, & in divinis literis, ut qui maxime, verſatus*, & præterea commentatus eſt in Ezechielem ac Prophetas minores, item in Epiſtolam ad Hebræos. *Alegambe* p. 66. Nec reticendum eſt *Archiepiſcopi eborenſis* elogium, quo auctorem noſtrum mactat, ſcribens, *eam eſſe doctoris ſapientiſſimi doctrinam, & chriſtiani pectoris*

Digitized by Google

pectoris pietatem, atque in eruendis difficillimis ſacræ prophetiæ ſenſibus felicitatem, atque ingenium, ad animosque in rerum ſupernaturalium, & cœleſtis Hieruſalem deſiderium inflammandos vim & efficaciam, ut academia eborenſi gratuletur, quod tam doctos, pios & inſignes viros & aluerit, & conſummatos viderit.

VII.

Caſp. SANCTII Commentarii in Actus Apoſtolorum. Cum diſputatione de S. *Iacobi* & *Pauli* apoſtolorum in Hiſpaniam adventu. Coloniæ Agrippinæ 1617. Ex bibliotheca Chriſtoph. *Welhameri.* Eſt hæc prima editio, quæ curabatur in Germania. Laudatur hic commentarius cum ab aliis, tam etiam a Io. Fran. *a Ieſu* de Xodar, qui regio iubente Senatu eum cenſuit, ita ut ſcribat: *In hoc genere commentationis, in quo nihil fere ab antiquis & recentioribus prætermiſſum, veteribus nova coniungens Sanctius, merito ſui deſiderium provocat, nec minus accendit rara animi modeſtia in pronunciandis ſententiis, earundem mira cohærentia, ſumma interpretis dexteritate cum trilingui peritia, atque eruditione mirabili.* Nec ipſe *Sanctius* in dedicatione ad principem Franciſcum *de Mendoza*, Almirantem Aragoniæ, Marchionem de Guadaleſte, cuius eruditionem ſingularem & magnos in ſacris litteris interpretandis profectus multis laudibus effert, diffitetur, hoc in libro non eſſe nihil eruditionis. In Diſputatione autem oſtendere laborat, Paulum & Iacobum apoſtolos in Hiſpaniam veniſſe, atque ibi prædicaſſe.

Io. MALCOLMI Commentarius in Apoſtolorum Acta Middelburgi 1615. Studium & ſcopum ſuum auctor in Præfatione ipſe his deſcribit verbis: *Etſi fructus ex hac noſtra tenui lucubratiuncula exiguus emergat, exſurgatque vitiligatori, cenſorique rigido, aliquem tamen percipere poſſe aqua lance trutinatorem per divinam gratiam, autumo. Studui brevitati, & perſpicuitati, atque pro menſura doni Chriſti multa paucis complexus ſum. Habes planam methodum analyticam, expoſitionem, ut res poſtulat, dilucidam, obſervationes ſuccinctas, atque appoſitas, locorum Scripturæ inſtituto quadrantium veram citationem, hiſtoriarum inductionem, prout contextus exigit, denique applicationem brevem, cum exhortationibus ad veritatem amplectendam, nec non ad vitæ emendationem.*

Io. *Malcolmus*, eccleſiæ in Iernia Scotiæ miniſter, vixit floruitque ſub Rege IACOBO VI.

IIX.

Emundi MERILLII Notæ philologicæ in paſſionem Chriſti. Helmſtadii 1657. Venditatur hæc editio in titulo, Pariſienſi longe correctior; ſed falſo, uti accuratiſſimus teſtatur *Crenius* in Præf. in Faſcic. II. Diſſert. hiſt. philoſ. & P. II. Animadv. p. 234. *Neque enim* (ſunt eius verba) *credentibus perſuaſero, quam fœduſimis mendis contaminatas ſuſceperim, in quibus quodammodo emendandis maiorem indubitate laborem, quam laudem inveni.* Quamobrem laudatus vir labori noluit parcere, quin eas emendatas ederet in III. Faſciculo Diſſertationum hiſtorico-philologicarum. Huius libri, quem Doctores Facultatis theolog. pariſienſis vocant, opus aureolum, digniſſimumque, quod in lucem proferretur, tanquam Minerva illa Phidiæ, veſtigia & verba non raro ſequitur Iac. *Wiſſenbach* in Notis Nomico-philologicis in Paſſionem Ieſu Chriſti. De quo *Crenius* l. c. & *Gundlingiana* T. II. 145. Et ſimile ſcriptum eſt Iac. *Lydii* Florum ſparſio ad hiſtoriam paſſionis Ieſu Chriſti, cum figuris æneis. Vltraiecti 1701.

Emund. *Merillius*, tricaſſinus, patris ſui, egregii ICti, nec non Guil. *Marrani* diſcipulus, iurisprudentiam 45. annos diſcendo docendoque tractavit, (fuit enim ICtus, conſiliarius regius, & anteceſſor in academia Biturigum primicerius) ſcripſit ediditque Obſervationum libros X. Expoſitiones L. Deciſionum, Orationem de tempore in ſtudiis iuris, & Commentarium in Inſtitutiones, laboribusque ſuis, maxime Variantium libris adverſarium nactus Oſium *Aurelium*, ob quos etiam *Feltmanno* de iure in re, & ad rem c. 10. ingratus *Cuiacii* diſcipulus vocatur; ſed ab illuſtriſſimo epiſcopo Gabriele *Albaſpinæo* lib. I. Obſervationum eccleſiaſt. cap. ſive Obſervat. 3. p. 7. elogio amici & doctiſſimi, quod a tanto viro profectum magnæ certe eſt laudis, cohoneſtatus, ad plures abiit neſcio quo anno; hoc autem ſcio, eum natum eſſe anno 1578. & ſuperaſſe annum ætatis octavum & quinquageſimum. *Lexicon univerſ. hiſtor.* T. III. 515. & *Gundlingiana* T. II. 216. in quibus & Oratio de tempore in ſtudiis iuris exhibetur, p. 147.

Danielis CLASENII Exercitationes ſacræ ad Paſſionem dominicam. Magdeburgi 1657. Diſtinctæ ſunt in III. libros, in quorum I. tractatur de feſto azymorum, paſchate, ſanguinaria Scribarum ac Phariſæorum contra Chriſtum conſpiratione, un-

ctione

ctione Chriſti in convivio bethanienſi, pacto Iudæ cum Iudæis proditorio, lotione pedum, cœna Domini, diſcipulo recumbente in ſinu Ieſu, hymno, & egreſſu Chriſti trans torrentem Cedron; in II. de horto Gethſemane, ſanguineo Chriſti ſudore, oſculo Iudæ, Petri defenſione, legione, angelo corroborante, adoleſcente qui fugit nudus in ſindone, iis quæ Chriſto acciderunt in Pontificis palatio, dilaceratione veſtimenti facta a Pontifice, lapſu Petri, Pilato, infelici exitu Iudæ, agro Hakeldama, calumnioſa Iudæorum accuſatione, abductione Chriſti ad Herodem, conſuetudine dimittendi captivum in feſto paſchatos, incarcerati Barrabæ liberatione, coniugis Pilati ad maritum ablegatione, flagellatione Chriſti, corona ſpinea, lotione manuum Pilati, condemnatione Chriſti ab eodem facta Pilato, Chriſti crucifixione, latronibus cum Chriſto crucifixis, diviſione veſtimentorum, eclipſi ſolari, & morte Chriſti; in III. de ruptura veli in templo, terræ motu, ſciſſione petrarum, apertis mortuorum monumentis, crurifragio crucifixorum, perfoſſo latere Chriſti, *Ioſephi* & *Nicodemi* ſtudio, pollinctura corporis Chriſti, loco ubi Chriſtus fuit ſepultus, & de cuſtodia atque obſignatione ſepulcri. In Præfatione ait auctor, deprehendiſſe ſe ſe, in textu ſacro, qui de paſſione agit Domini noſtri, multa latere, quæ vix abſque antiquitatum & iurium notitia poſſint intelligi; ſubſicivis igitur horis paucas Exercitationibus ſuis pagellas adornare aggreſſum eſſe, ac ſcire, plurima ibi paucis, iisque perſpicuis verbis eſſe declarata, quæ vel apud alios fruſtra, vel non ſine magno labore fuſiſſime, & haud raro ſatis obſcure pertractata inveniantur. *Merillii* autem, qui ante ipſum in eodem laboravit argumento, nullam prorſus, quod mirum, facit mentionem, cum tamen ad multos alios provocet auctores. Tales vero ſunt iſtæ Exercitationes, ut *Crenius*, iuſtus harum mercium æſtimator, eas vocet eruditiſſimas, Animadverſion. P. II. 239.

Dan. *Claſenius*, luneburgenſis, primum conrector, mox rector ſcholæ magdeburgenſis, deinde in equeſtri gymnaſio luneburgenſi iuris, ethices & politices profeſſor, tandemque, impetratis prius honoribus doctoralibus profeſſor iuris ordinarius in academia Iulia, oblatum magdeburgenſis civitatis ſyndicatum adiiſſet, niſi fata aliam ei viam deſtinaſſent: nam quum longo iam tempore ſcorbuticis affectibus infeſtaretur, ac præterea violentior

tandem hydrops accederet, factum eſt, ut hinc migaret anno Chriſti 1678. ætatis 55. cum dimidio. Vir erat divinæ humanæque ſapientiæ ſtudiis haud proletarie, ſed profunde eruditus: id quod præclara ingenii eius & variæ eruditionis monumenta philologica, philoſophica, iuridica & theologica teſtantur. Ab eo enim habemus Commentarium in *Cebetis* Tabulam, & in *Plutarchi* librum de VII. Sapientum convivio, Tractatum de religione politica, & alium de Iure aggratiandi, de Oraculis gentilium libros III. Compendium doctrinæ politicæ, & Commentarium in Conſtitutiones criminales CAROLI V. Gebh. Theod. *Meier* in Memoria ICtorum helmſtad. p. 193. *Morh f* Polyhiſt. Tom. III. 46. ubi *Claſenium* appellat auctorem diligentiſſimum.

Gabrielis REEHAANII Διασκεψις theologica, quæ ſit harmonia Euangeliſtarum in hiſtoria mulierum paſchali. Wittebergæ 1619. Nimirum ſic ſtatuit, primum acceſſum ſeu actum eſſe Magdalenæ & alterius Mariæ, deſcriptum a *Matthæo* c. 28, 1. & *Ioanne* c. 20, 1. ſecundum mulierum ſummo ad ſepulcrum mane euntium, deſcriptum a *Marco* c. 16, 2. & *Luca* c. 24, 1. denique, quod ad abitum & antecedentia ac conſequentia proxima attinet, a *Matthæo* c. 28, 5. tertium ſolius Magdalenæ reditus, deſcriptum a *Ioanne* c. 20, 9. dum *Marcus* c. 16, 9. abitum & conſecuta commemoret: quartum ingredientium iam monumentum, deſcriptum a *Marco* c. 16, 5. quintum a *Luca* c. 24, 4. & *Matthæo* c. 28, 8. Vnde appareat, IV. diſtinctas angelorum apparitiones factas eſſe mulieribus, unam quidem Magdalenæ, tres ceteris omnibus ſine Magdalena; duas quoque diſtinctas manifeſtationes Chriſti, unam Magdalenæ, alteram reliquis factam.

Gabr. *Reehaan*, paſtor in pagis Werbigk & Græfendorf, vivens ac florens anno 19. ſæculi XVII. inter alias rationes Diſquiſitionem iſtam propterea CHRISTIANO WILHELMO, Primatus & archiepiſcopatus magdeburgenſis Adminiſtratori, & Coadiutori epiſcopatus halberſtadienſis, Marchioni brandenburgenſi dicavit, ut videret, iniuriam fieri paſtoribus in pagis, quando dicatur, eos otiando & vorando totam vitam tranſigere.

Io. Georg. HVTTENI Meditatio theologica de potu felleo & acetoſo, Chriſto agonizanti porrecto. Gubenæ 1671. Ex *Matth*. c. 27. *Mar*. 15. & *Io*. 19. Cum Appendice de Statu exinanitionis

tionis Chriſti. Sentit autem ſcripti huius auctor, unam eandemque materiam utriusque potus fuiſſe, acetum nempe cum myrrha & felle mixtum, datumque priorem quidem e poculo aut vaſe a quodam ex militibus vel aliis, poſteriorem autem in ſpongia, arundini ex hyſſopo infixa, cruciatuum augendorum, contemtusque Chriſto infligendi cauſſa. In Epiſtola dedicatoria multis agit de familia electorali Saxonica, & vocabulum *Saxonum* derivat a germanico *Saſſen*, quod incolas ſignificet.

Io. Georg. *Huttenus*, qui medio & vergente ſæculo XVII. vixit, generalis fuit Superintendens eccleſiarum in Marchionatu Luſatiæ inferioris, conſiſtorii ducalis aſſeſſor, & eccleſiæ lubenenſis paſtor primarius.

Valentini Henrici VOGLERI Commentarius de Rebus naturalibus ac medicis, quarum in ſcripturis ſacris fit mentio. Helmſtadii 1682. Acceſſit eiusdem Phyſiologia hiſtoriæ paſſionis Ieſu Chriſti. Commentarius autem, quem Io. Iac. *Baierus*, medicinæ D. & prof. altorfinus, elegantioribus adnumerandus Medicis, eruditum vocat in Programmate de Reb. medic. in N. T. contentis, p. 16. addens, neminem non fateri, quod in hoc argumento vix aliquid præſtantius lucem publicam aſpexerit, non ab ipſo auctore, ſed poſt eius obitum editus fuit, ita quidem, ut nihil in eo mutatum, nihil additum vel detractum. Obſervationes autem, quæ inferius in paginis conſpiciuntur, ipſius etiam ſunt auctoris, eo fine adſcriptæ, ut operi huic locupletando tandem aliquando inſervirent. Præmiſſum eſt Programma, quo ſtudioſorum deſiderio ſatisfacturus, operam ſuam offert in tradendis ac docendis rebus cum naturalibus, tum medicis, quæ ad intellectum faciunt ſacri codicis, mentionem pariter iniiciens Doctorum, tam veterum, quam recentium, qui ex naturali medicave penu ſcriptis ſuis non nulla adiicere, aut ſimilem laborem ſubire ſtuduerunt, quales ſunt *Theodoretus*, *Baſilius* magnus, *Ambroſius*, *Epiphanius*, *Beda*, *Anſelmus*, *Honorius*, *Vincentius* bellovacenſis, Bened. *Pererius*, Andr. *Libavius*, Fran. *Rueus*, Levin. *Lemnius*, Wolfg. *Franzius*, Io. *Buſtomantinus*, Fran. *Valeſius*, Guil. *Ader*, & Io. *de Mey*. Quibus etiam addendus Thom. *Bartholinus* de Morbis biblicis. In Phyſiologia hiſtoriæ paſſionis Ieſu Chriſti declarat acerrimum Chriſti angorem animi, quem in horto, antequam caperetur, ſenſit: de-

inde ſudorem eius ſanguineum, ſpineam coronam, aceti felle & vini myrrha conditi potum, ſolis eclipſin, ſitim in cruce pendentis, acetum in hyſſopo potui datum, clamorem Chriſti morientis, mortem repentinam illico ſecutam, terræ motum ingentes rupes dirumpentem, profluentes ex latere mortui perfoſſo humores, & conditurum corporis monumento inferendi. Collectores *Actorum erudit.* A. 1683. 14. fatentur de Commentario hoc, multa in eo occurrere, quæ curioſum ſacrarum hiſtoriarum ſtudioſum oblectare, aut erudire poſſint.

P. 106. Affectus lepræ eſt *contagioſus*. P. 13. *Nec alia de cauſa* Deus videtur iuſſiſſe, ut leproſi ſeorſim extra caſtra, adeoque ab omni hominum conſortio remoti degerent.	Leproſos hominum conſortium evitare oportebat, *ne illos impuros redderent*. Sim. *Epiſcopius* T. I. Oper. a 83.
116. *Fortaſſis* etiam divini quippiam & a ſupernaturalibus cauſis, lepræ ædificiorum & veſtimentorum ſubfuit.	Immo *extra dubium*. Ienk. Thomaſius de lepra Græcor. & Iudæor. p. 494.

Valent. Henr. *Vogler*, helmſtadienſis, philoſ. & med. Doctor, primum phyſicus oppenheimenſis, deinde medicinæ profeſſor in academia Iulia & patria, vir non minus de ſtudiis philologicis quam medicis bene meritus, ſive, ut Henr. *Meibomii* iunioris verba ex eius Præfat. in avi Opuſcula mutuer, cum artis medicæ, tum omnis ἐγκυκλοπαιδείας peritiſſimus, publicavit M. Aurel. *Severini* Chirurgiam, Inſtitutiones phyſiologicas, Diæteticos commentarios, Diſſertationes de naturali in bonarum doctrinarum ſtudia propenſione, delectu ingeniorum, ſtudiorum hodiernorum corruptelis, earumque cauſſis, librum de valetudine hominis cognoſcenda, Diſputationes aliquot medicas, Diſſertationem de teſtimonii humani, in negotio præcipue eruditionis, auctoritate, Introductionem univerſalem in notitiam cuiuscunque generis bonorum ſcriptorum, & ſcribere, docere, atque in his terris vivere deſiit A. 1677. ætatis 55. Iuſt. Chriſtoph. *Bœhmer* Memor. Medicor. helmſtadienſ. p. 46.

IX.

Pet. Dan. HVETII Demonſtratio euangelica. Lipſiæ 1694. Quarta editio, ab auctore recognita, caſtigata, & amplificata: priores enim emiſſæ

emiſſæ ſunt Pariſiis 1679. & 1690. atque Amſtelodami 1688. Acceſſit Tractatus de paradiſo terreſtri, nunc primum latine. Præfatio eſt apologetica, qua VII. argumentis contradicentium reſpondetur; eique duæ ſubiunguntur epiſtolæ, una Sam. *Puſendorfii* (qui in Præfat. (A) 3. per hominem longinquum. & alienigenam intelligendus venit) ad fratrem Ezechielem, qua cupere ſe ſcribit, ut Huetius eandem artem mathematicam adhibeat ad dirimendas ſacræ doctrinæ controverſias, quibus tot iam annos chriſtianus orbis quaſſetur; altera *Huetii* ad Marchionem de Feuquieres, chriſtianiſſimi Regis Legatum extraordinarium in Suecia, qua reſpondet ad illud deſiderium, ſignificans, ſe quidem promtiſſimum eſſe ad iuvandum omnibus viribus ſuis tam ſanctum propoſitum, ſed methodo mathematica tale opus ut perſcribatur, admodum difficile & fere inſuperabile videri, tam ratione argumenti, quam ratione partium diſſidentium. Ipſa autem Demonſtratio euangelica, ad Matheſeos regulas efformata, atheis & Iudæis convincendis deſtinata, eiusque ſumma hæc eſt: Libri Novi & Veteris Teſtamenti iis temporibus ſcripti ſunt, quibus feruntur eſſe ſcripti; & ab iis ſcripti, quibus tribuuntur. Hinc ſequitur, totam Ieſu nazareni hiſtoriam in V. T. longe ante prædictam eſſe, quam evenerit in Novo. His porro conceſſis, libros nimirum novi & veteris teſtamenti iis temporibus eſſe ſcriptos, quibus feruntur eſſe ſcripti; & ab iis ſcriptos, quibus tribuuntur; & prophetias V. T. de Ieſu nazareno completas eſſe in Novo, conſequens eſt, veraces eſſe libros V. & N. Tti. Quodſi phrophetiæ V. T. de Ieſu nazareno completæ ſunt in Novo, & veraces ſunt libri N. & V. Tti, ex eo efficitur, Ieſum nazarenum eſſe Meſſiam. Poſito autem, veraces nempe eſſe libros N. & V. Tti, & Ieſum nazarenum eſſe Meſſiam, fatendum animo eſt, religionem chriſtianam eſſe veram. De hoc opere teſtantur celeberrimi Collectores *Actorum erudit.* A. 1694. 282. iam diu illud ab eruditis cum ſumma auctoris deprædicatione evolvi; & Sam. *Puſendorfius* in prædicta ad fratrem Epiſtola: *Fateor, inquit, ita impenſe me iſtius operis lectione captum, ut magnopere ſeculo gratulandum iudicem, reperto tanto ingenio, cui infinitam eruditionis ac iudicii vim circa huiusmodi potiſſimum materiam occupare placuit, quam nobilitate ac utilitate ſua nulla alia ſuperat. Auguſta hic omnia, ornata, ad gravitatem compoſita, qualia maximi Regum* (LV-

DOVICI

DOVICI XIV.) *filio offerri decebat.* Quibus addi poſſunt *Sluter* Propyl. hiſt. eccl. 193. *Scultetus* Præfat. in Antididagma 18. *Helvvich* Ration. ſelect. 116. M. F. *Dyrvis* dans les Preuves & Prejugez pour la Religion chrétienne & catholique (in Actis erudit. A. 1683. 367.) *Morhof* Polyhiſt. T. III. lib. V. 42. Ioach. *Langius* in Medicina mentis p. 32. 112. & *Bibliothecarius n. p. addictus* 840. Iam quod ad Tractatum de ſitu paradiſi terreſtris attinet, quem Io Georg. *Pritius*, nunc D. theol. & Miniſterii francofurtenſis antiſtes, e gallico in latinum pura & nitida dictione tranſtulit, hæc fere eius ſunt contenta: Vocem *Eden* eſſe nomen proprium regionis, Carrhis in Meſopotamia vicinæ, circa confluentem Euphratis & Tigris, uſque ad locum, quo communis ille alveus in duo brachia diviſus in mare perſicum devolvi incipit, & provinciæ huius partem orientaliorem complecti Paradiſum, hocque indicare Moſem voce מקדם *ab oriente.* Vocem יצא *egreditur* non originem fluvii, ſed curſum duntaxat illius notare. Quatuor ראשים ſive *capita* non eſſe fontes, ſed terminos totius fluminis ex Euphrate & Tigri, in SS. litteris Chiddekel dicto, ante confluentibus, quam ingrediantur Paradiſum, & Gichone ac Phiſone, qui hæc nomina ſortiantur, poſtquam ex alveo paradiſi profluant, atque ita in duo ſe brachia dividant, quorum alterum ſit orientale, nempe Gichon, prope Chus ſive Suſianam, alterum occidentale, ad Chavilah. Vide *Acta erudit.* A. 1694. 282. & *Supplement.* T. II. 98. nec non *Colloquia menſtrua* A. 1702. m. Ian. p. 39. *Conringiana epiſtol.* 96. *Morhof* Polyh. lib. V. 46. *Schurzfleiſch* Epp. arcan. P. II. 228.

Pag. 83. Probatur *aliorum ſcriptorum teſtimoniis γνησιοτης* librorum Moſis. Et quidem LXV. *Maior citatorum numerus* de Moſe ne cogitauit quidem. Io. *Tolandus* de Originib. iudaic. 105.

104. Memorabili teſtimonio Moſem Diodorus ſiculus proſequitur, quo & *virtutes eius prædicat*, & ait, *primum Ægyptiis leges poſuiſſe.* Diodorus de *Mneve* utrumque dicit, de Moſe autem hoc tantum, eum apud Judæos Deum, qui *Iao* dicitur, legum ſuarum auctorem finxiſſe perhiberi. *Idem* 112. *Acta erud.* A. 1709. 252. *Nova biblioth.* T. I. 48.

Strabo

Pag. 106. *Strabo de Moſe & Iudæis ſummo candore diſſeruit.* Scribit enim, profanos Aegyptiorum mores exoſum Moſem, collecta ingenti *piorum hominum* multitudine conceſſiſſe in Iudæam, illicque fixis ſedibus, & *ſanctis Dei colendi ritibus inſtitutis*, abiectoque potiſſimum & eiurato idolorum cultu, non tam vi & armis, quam pietate imperium firmaſſe.

Strabo *Moſem cum Minoë, Lycurgo, Zamolxi, & id genus pluribus ſine ullo diſcrimine comparat*; de religione iudaica, gentis origine, & ipſo Moſe *narrationem* ab illa, quæ habetur in Pentateucho, *omnino diſcrepantem* inſtituit; deque ſacris nihil aliud quam hoc memorat, Moſem eſſe pollicitum, *ſe talem cultum ac ſacrificandi modum traditurum, qui neque ſumtibus, neque inſpirationibus, neque ullis abſurdis actionibus cultores perturbaret.* Atqui Strabonem ritus in Pentateucho præſcriptos in animo tunc habuiſſe, quis dicere ſuſtineat? *Tolandus* 104. 163. *Acta erudit.* A. 1709. 252. *Nova biblioth.* T. I. 48.

213. *Tres* futurorum præſcios vates ſimul commemorat Strabo, Orpheum, Muſæum, & Moſem.

Amphiaraum etiam, & *Trophimum*, & *Tireſiam*, & *Zamolxim*, & aſſyrios, chaldæos & etruſcos *aruſpices, cum aliis* quibusdam. *Tolandus* 192.

318. Narratio Ioſ. 19, 17. de Danitarum expeditione adverſus Lezem, eſt unum ex additamentis, quæ huc illuc in libros ſacros *infarſit Esdras.*

Fecerit ne hoc Esdras, *incertum eſt.* Io. *Clericus* Diſſert. de ſcriptoribus libror. hiſtor. n. II.

423. Coniicere licet, *Eccleſiaſticum librum Salomonis opus eſſe.*

Eſt *Ieſu Siracidis*, ſive filii Sirac. I. C. *Wolfius* Biblioth. hebr. 256.

427. Ille, *Eccleſia* demum *chriſtiana* conſenſu ac decretis, auctoritatem (canonicam) adeptus eſt.

Non univerſæ, ſed *particularis.* Non poteſt autem accenſeri libris canonicis, quia *non habet Eccleſia iudaica teſtimonium.* Idem 257.

X.

Ioannis BVGENHAGII in librum Pſalmorum Interpretatio. Argentorati 1524. Atque iterum typis ſubiecta A. 1526. & Wittebergæ 1544. 8. cum præfationibus *Lutheri* & Phil. *Melanchthonis* quorum ille audet dicere, a nemine (cuius exſtent libri) eſſe Pſalterium Davidis explicatum, eſſeque hunc Pomeranum primum, qui Pſalterii interpres dici mereatur, hic autem ita laudat, ut ne quid nimis, ſcribens, Pſalmis non mediocrem lucem hunc commentarium adferre. At Rich. *Simon* de Commentatoribus N. T. c. 47. p. 713. facile ſibi videtur reperire, quod in eo taxet, videlicet ipſum præoccupatum eſſe ſententiis ſectæ ſuæ, atque iccirco nihil exacti proferre. *Bucerus* germanice reddidit Annotationes Bugenhagii, & Argentinæ vulgavit, ſed ita, ut eas corrumperet, & ſuam Bugenhagio de S. cœna ſententiam affingeret; de quo hic conqueritur, apud *Crenium* Animadv. P. IIX. 119.

ARNOBII in Pſalmos commentarii. Cum *Eraſmi* Roterodami Præfatione ad nuper electum Pontificem romanum ADRIANVM VI. eiusdemque ERASMI Commentario in Pſalmum II. Argentorati 1522. Fallitur autem in eo *Eraſmus*, quod putat, Commentarios illos in Pſalmos eſſe Arnobii afri, qui libros VII. ſcripſit adverſus gentes, cum ſint *Arnobii iunioris*, hominis ut videtur galli, qui vixit A. 460. Vide *Placcium* de pſeudon. p. 79 *Molkerum* de homon. 540. & Hiſtoriæ noſtræ bibliothecar. P. I. 170.

XI.

Io. BVGENHAGII Commentarius in Ieremiam prophetam, & Threnos, p. 545. Wittebergæ 1546. Cui p. 450. interſeritur Tractatus de blaſphemia in Spiritum ſanctum, in quo docet, peccatum ad mortem, pro quo non ſit orandum, & blaſphemiam in Spiritum S. eſſe unum & idem peccatum, idque eſſe impugnationem agnitæ veritatis, & dici non remitti; neque hoc iudicium de peccato quæſtionis eſſe eccleſiæ, ſed ſolius Chriſti, atque iccirco neminem mortalium circa hanc Chriſti ſententiam iudicandum & condemnandum, ſed Deo gratias agendas pro ſummo beneficio eccleſiæ dato, videlicet quod per ſolum Chriſtum & propter ſolum Chriſtum habeamus, credentes in Chriſtum, remiſſionem omnium peccatorum, & vitam æternam, nec ſit ullum peccatum, quod non remittatur pœnitenti, & in Chriſtum credenti.

XII. Ioa-

Digitized by Google

XII.

Ioachimi CAMERARII Notatio figurarum ſermonis in libris IV. Euangeliorum, & indicata verborum ſignificatio, & orationis ſententia, ad illorum ſcriptorum intelligentiam certiorem. Lipſiæ, 1572. Ex bibliotheca Conr. *Horneii*, cuius etiam manum agnoſces. Antea A. 1556. 8. ac poſtea A. 1642. Cantabrigiæ cum N. Tto *Bezæ* f. & Francofurti 1712. 4. ſub titulo *Exegeſis N. T.* edita. In Dedicatione, poſtquam in re eadem complurium elaborationem, & eſſe exercendo uſitatam docuerat, & fructuoſam effectu, atque hac ratione ſtudii biblici Laur. *Vallæ* ac Deſiderii *Eraſmi* meminerat, rogatum ſe ait ſuperioribus annis, ut ea, quæ huius generis, ad melius intelligendum fontem N. Tti, in commentariis haberet, colligeret & divulganda curaret, non quidem (uti modeſte addit) vel ad eraſmicum, vel ad alterius ullius exemplum, ſed ſecundum ſuæ profeſſionis, quæ grammatica ſit, rationem ac modum; quamquam grammatico hoc ſtudio, & verborum, quod exile & leve a plerisque ducatur, tanquam fundamento, omnis doctrina atque ſcientia veritatis nitatur. Ille autem, qui Camerarium ad tam utile, tanquam præclarum opus rogaverat, immo hortatus erat, fuit laudabilis piæ eruditionis vindex ac reſtaurator, Phil. *Melanchthon.*

Pag. 97. Iuſtiniano, Epiſcopo *Nebienſi.* | *Nebienſi*, in Corſica inſula. *Du Sauſſay* Continuat. Bellarm. de Scriptor. eccleſ. p. 11.

550. In Lucæ 1, 39. Εις την ορεινην) ελλειπτικως, nimirum χωραν, in regionem montanam. Talis enim ſitus fuit urbis *Hieroſolymarum*, quæ nunc indicatur nomine urbis Iudæ. | Indicatur urbs *Hebron.* Ioſ. 21, 11. Er. *Schmid.* in Luc. 1, 39.

Ioachimus *Camerarius*, germanice *Cammermeiſter*, pabebergenſis, Georgii *Helti* & Petri *Moſellani* diſcipulus, *Lutheri*, Phil. *Melanchthonis*, Wilib. *Pirckheimeri* & Alb. *Dureri* amicus, docuit bonas litteras primum Noribergæ, tantoque cum adplauſu, ut etiam e ſenatorio eum ordine quidam audirent, deinde Tubingæ, ac tandem Lipſiæ: & quamvis a pluribus expeteretur, ſtationem tamen ſuam, vitamque ſcholaſticam, ut poëta ait, vere vitalem noluit mutare.

Tanta erat, & poſtea perſeveravit viri claritudo, ut a *Voßio* Germaniæ ſuæ phœnix, a *Turnebo* non ſuæ tantum Germaniæ, ſed etiam totius Europæ decus & ornamentum, ab *Huetio* vir de politiori litteratura præclare meritus dicatur, variisque legatis ad Cæſaream Maieſtatem aut Comitia Imperii euntibus adiungeretur, quo ſuo illis conſilio præſto eſſet; quin & auguſtiſſimus MAXIMILIANVS II. Viennam Auſtriæ ad ſe evocatum, de doctrina eccleſiæ, & rituum ſacrorum cum Saxonicis ineunda conformitate clementiſſime audiret. Ecquid de ſcriptis eius dicam? Tam multa ſunt, ut face & viatico opus ſit ad eorum recenſionem; tamque præclara & utilia, ut ſatis landari nequeant: quid enim non exſpectes ab eo, qui probatiſſimus utriusque linguæ erat magiſter, & prope dixerim rex, qui excellentiſſimus mathematicus, qui omnes poëtas, oratores, & hiſtoricos familiares ſibi reddiderat, qui theologiæ ſtudiis excultiſſimus, veraque pietate ornatiſſimus? Contigit etiam ei corporis ſpecies egregia, & magnum magni hoſpitis hoſpitium; ſed hoc tandem δυσουρία ſeu urinæ difficultate afflictum, proſtratum & divulſum fuit anno Chriſti 1574. quum celebratiſſimus vir exegiſſet annos 74. Melch. *Adam* in Vitis philoſ. 258. *Colomeſius* 497. *Beza* in Matth. 26, 15. *Caſaubon*. Exercit. 568. *Magirus* 174. *Pope-Blount* 590. *Melanchthon* Epp. T. IV. 429. R. *Simon* Hiſt. crit. des Commentat. du N. T. c. 47. *Cren.* Animadverſ. P. I. 77. P. V. 197. & Method. T. III. 2. 130. *Schurzfleiſch* Diſſert. acad. 36. & Epp. ſelect. 425. Guil. *Forbeſius* 391. Iac. *Thomaſius* in Præfationib. 487. *Caſelius* Opp. polit. 217. Er. *Schmid* in Matth. 3, 10, *Raphel.* præfat. in Annot. ad N. T. ex Polyb. & Arriano p. 28. & *Catech. racov.* 97.

XIII.

Wolfgangi FRANZII Tractatus de interpretatione ſacrarum ſcripturarum maxime legitima. Witebergæ 1634. Secunda vice editus, & poſtea tertia & quarta, A. 1654. & 1668. Conſtat autem duabus regulis: I. Eum, qui alios docere velit, iisque Scripturam interpretari, inſtructum eſſe debere notitia illarum linguarum, quibus locutus ſit Spiritus ſanctus. II. Debere attendere contextum. In Præfatione ſequentia proponit capita: Verbum Dei ſatis facile intellectu eſſe diligentibus: menti Scripturæ nihil vel addendum, vel detrahendum: contextum plus prodeſſe, quam linguas ſacras:

cras: qua via oracula ſacra ab auctore explicentur, (explicat autem CLII.) eadem & fontes hebræos ac græcos alias in linguas transferendos eſſe: *Lutherum* in verſione & explicatione Bibliorum magnam ſolertiam adhibuiſſe: ſcripturam ſacram omnibus aliis libris ſanctius tractandam, nec ſenſum in eam importandum, modumque hunc interpretandi Scripturam ducere nos in genuinam cuiusque loci mentem, pariterque armare contra quemvis hoſtem. Laudatur hic liber a *Glaßio* Philol. S. lib. II. 494. & Mich. *Walthero* Offic. bibl. §. 263. & ille quidem ait, neminem, qui intelligat, librum hunc odiſſe & vilipendere, ſeque nullum tempus felicius & fructuoſius, præſens negotium quod ſpectet, collocaſſe, quam quod in diligenti illius lectione & relectione, cum timore Domini, inſumſerit; hic vero appellat nobilem: & quamvis opus Scholæ ſacrificialis divinum & rarum vocetur a prædicto *Walthero*, *Crenius* tamen Exercitat. I. de libris ſcriptor. opt. p. 29. ſibi tractatum hunc amplioris uſus & doctrinæ ſemper viſum eſſe teſtatur. Cumque in illo Crenii loco de Franzii noſtri Tractatu præſente, eum a Leon. *Huttero* certis de cauſſis aliquam diu ſubſtaminatum fuiſſe dicatur, facile hinc colligi poteſt, cur in rubro libri ponatur, *eum poſt cenſuras aulicas & academicas, ex gratia sereniſſimi Electoris Saxoniæ ſingulari* prodire. Adde, ſis, *Zieroldum* Hiſtor. eccleſ. P. II. 118.

Pag. 19. Veterem verſionem latinam Concilium Tridentinum *canoniʒavit*, adeoque *ipſis fontibus æquavit*.	*Longe aliter*, præter multos alios, utriusque religionis doctores, docet V. CL. Iacobus *Facciolatus* in Oratione ad Scripturam ſacram, Patavii habita coram eminentiſſimo Cardinale, & excuſa A. 1718.
32. Exod. 38, 8. In hebr. dicitur, Fecit concham & baſin eius æneam, ut in ea ſe ſe contueri poſſent, ſcilicet *Levitæ*; non vero *e ſpeculis mulierum*, quæ conveniebant ad oſtium tabernaculi.	Illud *negat*, hoc *adfirmat* Gerh. *Titius* Animadv. exeget. G 2.
Pag. 216. Interea (Deus peccatori	Non poſſum hæc verba concili-

 are

Digitized by Google

contumaci) verbum ſuum relinquit, *num* adhuc iſtud audire, & diabolo per verbum reſiſtere & valedicere *velit*. Et p. 221. in æternæ ſalutis impetratione, *etiam in ultimo mortis agone*, difficilem Deum nemo metuere neceſſe habet.

are cum illis, quæ idem theologus doctiſſimus habet in Diſp IX. in Aug. Confeſſ. §. 112. & ſeqq. ubi dicit, *Deum non velle amplius adeſſe illis, aut convertere nova aliqua extraordinaria gratia & illuminatione eos, qui* ordinaria & regularia media contemnant pertinaciter. Ad. *Rechenberg* in Conſenſu orthodoxo de gratiæ div. termino p. 14. 47.

437. David 2. Sam. 12, 14. dicitur blasphemandi occaſionem dediſſe inimicis Dei, *dum arca fœderis ab hoſtibus victa & capta fuit.*

Arcæ fœderis hoc in proelio ab Ammonitis captæ *nuſquam in textu exſtat veſtigium*. Sal. *Glasſius* Philol. S. 770.

467. Vocabulum פלגשים *Pilaggeſchim* 2. Sam. 5, 13. a *themate nullo derivare* poſſunt. Suntque quævis mulieres, *virgines etiam.*

Derivatur a פלג diviſit, & אשה mulier; & maritatæ intelliguntur, quia coniunguntur cum נשים uxoribus, & dicuntur ab eo aſſumtæ, qui amori mulierum erat deditus, quique per eas a cultu vero ſe avocari paſſus eſt. *Hakſpan* Miſcellan. lib. I. c. 6. p. 17. 14.

598. Frondoſo ornatui *locus prorſus nullus fuit* circa altare, Pſalm. 118, 26.

Fuit in diebus feſti tabernaculorum. Io. *Lundius* Iud. Heiligth. c. 33. p. 177.

662. Ierem. 34, 5. *Ab ethnica & populo Dei prohibita ceremonia* Deus hiſtorice ſermonem mutuatur, dicens: In pace morieris, & ſecundum combuſtiones patrum tuorum, Regum priorum: *ſic comburent tibi.*

Id eſt, Sicut populus in honorem anteceſſorum tuorum defunctorum combuſſit *aromata*, ita etiam comburet (*tui gratia*) *in honorem tuum*, *Rampp.* in d. l. & *Busmann* Obſervat ſacr. §. 11.

675. Chriſtus, aſino vectus, *pueri-*

Ex gentis conſuetudine, quæ viatoribus

li, ſtulto, & contemtisſimo equitatu uſus eſt.

toribus ad iter felicius abſolvendum aſinos commodabat. Io. Bened. *Carpzovius* diſp. de aſino Meſſiæ §. 20.

836. Si Michal fuit intermedio tempore toties (*quinquies*, 2. *Sam.* 21, 8.) *gravida facta*, cum a Davide abfuit.

Sermo eſt de tot *filiis Meramæ*, ſororis Micalæ. *Glaſſ.* 94. *Hakſpan* ad Lipmann. 424.

Wolfg. *Franzius*, Plavia-variſcus, in academia witebergenſi primum hiſtoriarum, deinde, quum intermedio tempore ſuperintendens fuiſſet eccleſiæ kembergenſis, theologiæ D. & profeſſor, & præpoſitus templo arcis, tandem etiam academiæ ſenior, idemque ſtudii biblici induſtrius vindex & ſtator, usque ad finem vitæ diſcendi cupidus, (de quo vide p. 41.) in *Epitaphio* magni nominis theologus, & ebrææ linguæ interpres feliciſſimus, a Io. Bened. *Carpzovio* Theol. exeget. pag. 20. interpres accuratus, atque a Sixtino *Amama* Orat. de barbarie e 2. theologus non minus pius, quam eruditus appellatus, eruditionis ſuæ theſauros cum in aliis ſcriptis, tum in Diſputationibus in auguſtanam confeſſionem, earumque Vindiciis, in Aſſertione ſatisfactionis Chriſti, in Schola ſacrificiorum patriarchalium, & in Hiſtoria animalium ſacra expoſuit, nec per convicia, ſed defæcato animo cunctas controverſias tractavit, nullique pepercit labori, donec apoplexia tactus quieſcere, & quaſi ante mortem mori iuberetur: hæc enim octennio demum poſt ſecuta eſt, quum paroxyſmus priori ſimilis, ſed vehementior bonum virum invaderet, anno videlicet a Servatoris noſtri nativitate 1628. ætatis 64. *Witte* Memor. theolog. 312. *Spizelius* Templ. honor. reſer. 102. *Magirus* 361. *Fecht* præfat. in Comment. Dorſchei in epiſtolam Iudæ a 4.

XIV.

Wolfg. FRANZII Commentarius in Leviticum. Lipſiæ 1696. In eo explicantur leges cærimoniales & rituales, uſus earum typicus monſtratur, variique caſus difficiles enodantur. Valent. *Alberti* Præfationem addidit, in qua differit de utilitate & neceſſitate cognitionis legum & cærimonialium & forenſium.

Io. Georgii DORSCHEI Diſcuſſio explicationis *Grotianæ* circa locum Actor. XV. 20. de ſanguine & ſuffocato. Roſtochii 1696.

Eam

Eam vero non ipſe auctor edidit, ſed filius eius e MS. excerptam.

Eiusdem Fragmentum commentarii in Epiſtolam Iudæ; & Brandani Henr. GEBHARDI Commentatio in eandem Epiſtolam, cum præfatione Io. *Fechtii*, Francofurti & Lipſiæ 1700. *Dorſcheus* in animo quidem habuit perfectum componere commentarium, ſed ultra quartum verſiculum non pervenit: ſcripſit autem, ut Fechtio videtur, quidquid huius eſt, in profeſſionis ſuæ initio. Et *Fechtius* in Præfat. improbat neglecta ſacrarum litterarum ſtudia, tandemque diſſerit de Dorſcheo, & eius laboribus. Vide *Relat. innoc.* A. 1702. 494.

Io. Georg. *Dorſcheus*, argentoratenſis, *Wegelini*, *Thummii* & Io. *Gerhardi* diſcipulus, S. theol D. & profeſſor primum in patria, deinde Roſtochii, ubi poſt ſexennium languore ſenili & febre acuta conſumtus deceſſit anno 1660. ætatis 62. *Witte* Memor. theolog. p. 1346. *Spizel.* Templ. hon. reſer. 234. *Reiſerus* in Epiſtola ad Spizelium, libro eius annexa, p. 411. Quæ ſingula ceteris non vulgarem parare ſolent nominis claritatem, ea dulci quadam coniuratione in unum Dorſcheum coivere, nitor ſermonis, linguarum eruditio, iudicium acerrimum, mens altiorum omnium indagatrix, quibus ſummam merito ad ſe traxit eruditorum admirationem. Plura encomia dabunt *Magirus* p. 289. *Hoe* in Dorſchei Latrone theologo 241. *Cronius* Faſce I. 93. C. S. *Schurzfleiſch Epp. ſelect.* 549. & Car. *Arnd* Continuat. Biblioth. bibl. Mayeri. Omnia autem illa ſuperat *Wellerianum* hoc, ſi ei vis aures animumque præbere: *Dorſcheo ſimilem ſæcula nulla dabunt.* Multa ſcripſit, multumque pugnavit: habemus enim eius Μυσαγίαν Miſſæ contra Io. Georg. *Herberum*, ieſuitam molsheimenſem, Vindicias Exodi contra *Bellarminum*, Hodegeticum catholicum contra Io. *Kircherum*, Anti-*Cornaeum*, Interventionem pro myſterio Trinitatis contra Wolfg. *Hermannum*, Anticriſin theologicam pro pace contra Erneſtum *de Euſebiis*, *Thomam* aquinatem veritatis euangelicæ confeſſorem, Diſſertationes de S. cœna contra Theod. *Zvvingerum*, Diſſertationes de voluntate Dei contra Iac. *Triglandium*, Diſſertationem epiſtolicam ad *Ariſeum* de perſona Chriſti & S. cœna, Pallium exulans, Collationes aliquot conciliorum. Ecquis omnia enumeret, in primis diſputationes, quarum plena eſt magna ſatura? Indicantur autem cum a *Wittio*, tum a *Spizelio* in locis ſupra allegatis.

Branda-

Brandanus Henricus *Gebhardi*, natus Brunſvigæ anno 1657. SS. litterarum doctor & in academia gryphiswaldenſi profeſſor ordinarius, Conſiſtorii aſſeſſor, & ſuperintendens eccleſiarum iſtius diſtrictus vice-generalis, linguarum orientalium peritisſimus, & diſputator eximius, præclara eruditionis ſuæ ſpecimina edidit, ne quid de aliis dicam, Zephania a pſeudhermenia *Abarbanelis* aliorumque vindicato, Exercitationibus antirabbinicis in Pſalmos Davidis, & Vindiciis quorundam locorum hebræi textus, Paulo *Pezrono*, abbati de Charmoys & doctori theologiæ ſorbonico oppoſitis, ac vivit agitque magno eccleſiæ & academiæ commodo atque ornamento, a Carolo *Arndio* in Continuat. Biblioth. bibl. Mayer. p. 100. laudatus prædicatusque theologus accuratiſſimus.

Chriſtophori ZELLERI Hiſtoria ſcripturæ ſacræ. Vlmæ 1701. Agitur in hoc libro de ortu, progreſſu & fine ſcriptionis ſacræ, de ſcriptoribus ſacris, eorumque impulſu & afflatu, de argumento, methodo, ſtilo, ſcopo, conſervatione & interpretatione huius codicis; in ſpecie de ſingulorum librorum ſcriptore, tempore, auctoritate, ſumma, diviſione. Acceſſit Appendix variorum Speciminum legendi, intelligendi & applicandi S. ſcripturam; eorumque I. eſt Index omnium textuum ſcripturæ S. chronologico-harmonicus. II. Expoſitio prophetæ Hoſeæ & Epiſtolæ ad Ebræos. III. Vſus & abuſus dogmaticus potiſſimum dictorum de iuſtificatione coram Deo. IV. Diſpoſitiones homileticæ textuum aliquot funebrium. V. Concordantiæ prædicati, quo Chriſtus dicitur Redemtor noſter. VI. Exempla excerptorum chrialium pro tractandis homiletice thematibus ſacris. In Præfatione aperit auctor ſcopum ſuum, qui eſt, tironem SS. litterarum, eo tamen uſque perductum, ut & hebræa veteris, & græca novi Teſtamenti non minus expedite legere & intelligere valeat, quam librum quendam latinum, ad accuratiorem ſacri codicis lectionem inſtruere, & ordinem ſuſcipiendarum illius lectionum commonſtrat, ac denique, quod præcipuum eſt, praxin urget, ut nempe ſacræ litteræ cordibus noſtris inſcriptæ & impreſſæ totos nos immutent, atque ex profanis ſacros, ex carnalibus ſpirituales, ex humanis divinos faciant. E quibus facile patet, librum hunc eſſe unum ex optimis & utiliſſimis pro ſtudioſis theologiæ, immo & pro aliis, qui ſolicite & cum fructu ſacra volumina geſtiunt cognoſcere.

Chriſtoph. *Zeller*, paſtor maulbronnenſis, e familia Chriſtophori *Zelleri*, coadiutoris aulici wirtembergici, conſiliarii conſiſtorialis, & præpoſiti denckendorfenſis, de quo *Serpilius* Epitaph. theologor. ſuev. p. 62. nominis claritatem ſparſit in principio ſæculi XIIX. perpetuo tamen duraturam.

XV.

Iac. ZEHNERI Adagia ſacra. Lipſiæ 1601. Tres illorum ordines conſtituit, in quorum primo ea collocat, de quibus ipſe Spiritus S. expreſſe affirmat, quod in Proverbiorum conſuetudinem venerint: in ſecundo illas Scripturæ phraſes, quæ, etiamſi Proverbiorum titulum nequaquam adiectum habeant, hodie tamen formam atque uſum proverbialem obtinuerunt: in tertio ea, quæ ad litteram quidem in Bibliis nuſquam reperiuntur, ex ſacra tamen hiſtoria quadam, veluti ex fonte, promanarunt. Ceterum Adagia hæc parallelismis cum Patrum, tum gentilium ſcriptorum, auctor illuſtravit, quæ quidem, uti *Morhofius* Polyhiſt. lib. I. 276. ſcribit, prodeſſe magnopere poſſunt ad orationes ſacras. In epiſtola dedicatoria loquitur auctor de adagiorum dignitate, de interitu multorum *Salomonis* proverbiorum, qui tamen partim a Siracide, partim a Chriſto abunde ac luculenter ſit compenſatus, deque inſtituto ſuo, quod nempe hæc publice propoſuerit auditoribus ſuis in gymnaſio hennebergico, & primus quidem omnium, antequam Iani *Druſii* conſimiles lucubrationes ad oculos ſuos perveniſſent.

Iac. *Zehnerus*, Themara-francus, primum diaconus meiningenſis, deinde paſtor muhlfeldenſis, poſtea decanus ſtulenſis, noviſſime paſtor ſchleuſingenſis, & ſuperintendens generalis hennebergicus, dedit etiam Similitudines biblicas, harumque Paralipomena, & obiit A. 1612. ætatis 47. *Crenius* Animadv. P. II. 237.

XVI.

Io. TARNOVII Commentarius in pſalmos pœnitentiales VII. Roſtochii 1627. Denuo editi Lipſiæ 1706.

EIVSDEM Commentarius in pſalmos paſſionales, h. e. IIX. XVI. XXII. XL. XLI. LXIX. CIX. CX. CXIIX. item in caput LIII. Eſaiæ. Roſtochii 1628.

EIVSDEM Commentarius in Threnos Ieremiæ 1628. De novo

novo editus Hamburgi A. 1707. cum præfatione D. Io. *Fechtii.* Vide *Arndium* in Continuat. Biblioth. bibl. *Meyeri* 79. In Præfatione docet auctor, Eccleſiam aptiſſime comparari vineæ bene plantatæ & excultæ, nec animum deſpondendum eſſe malis ingruentibus, ſed vera, nec infucata pœnitentia iis occurrendum.

EIVSDEM Commentarius in XII. prophetas minores, cum Diſputatione de certitudine gratiæ Dei, contra *Bellarminum*, & Tractatu de fœderibus, e quibus illa Commentario in Ioëlem, hic Commentario in Obadiam ſubiungitur. 1626-1634. Dantur hic plures Præfationes, e quibus quædam notanda: in ea enim, quæ præmittitur Hoſeæ, oſtendit, non eſſe aliam e malis emergendi rationem, quam veram pœnitentiam; in ea, quæ Ionæ, ad mitiora & æquiora Io. *Maioris*, Io. *Gerhardi*, Polyc. *Lyſeri*, & Wolfg. *Franzii* de ſcriptis ſuis iudicia, contra hoſtes & obtrectatores ſuos provocat; in ea, quæ Michæ, in cauſſas inquirit, cur Prophetarum lectio nobis debeat eſſe commendata, & qui fiat, quod nihilo minus a plerisque illi negligantur; in ea, quæ Zachariæ, de optimo diſſerit in omnibus malis remedio, quod ſit fiducia in Deo poſita, & meditatio vitæ æternæ. In ſingulis hiſce Commentariis hoc eſt auctoris inſtitutum, atque hæc, quam ſibi elegit, via, ut textum ex fonte hebræo explicet, locis ſcripturæ ſacræ parallelis confirmet, a pravis expoſitionibus vindicet, & uſus in locis communibus ex ipſa Scriptura natis ac probatis indicet.

Ioannes *Tarnovius*, natus Greviſmolæ in Ducatu meklenburgico, *Gualtperii* & Pauli *Tarnovii* patrui ſui diſcipulus, philoſ. magiſter & S. theol. in academia roſtochiana profeſſor, ac poſt quinquennium honoribus mactatus doctoralibus, a quo etiam, præter multas diſputationes, in quibus eminet illa de fœderibus, Num & quæ fœdera cum diverſæ religionis hominibus, & præcipue cum Calvinianis, ſalva iniri poſſint conſcientia, habemus Tres Elias, Exercitationes biblicas, II. Orationes, quarum altera agit de academiæ bono, altera de plurium religionum in Rep. tolerantia, Medullam euangeliorum dominicalium & feſtivalium, Nucleum Epiſtolarum itidem dominicalium & feſtivalium, & Commentarium in pſalmos graduum XV. nec non in pſalmum XXIII. ac XXIV. in Epp. ad Epheſ. Philip. Coloſſ. ac Theſſalon. vir optimæ vitæ ac morum, a præſtantiſſimis noſtratium pro optimo Scripturæ

Digitized by Google

interprete agnitus, ab aliis ob declinationem a vulgaribus ſententiis heterodoxiæ accuſatus, & conviciis, ut fit, proſciſſus, febre acuta, ex mœrore fortaſſis nata, in virilis ætatis flore exſtinctus eſt anno 1629. æt. 43. *Witte* Memor. theol. 317. *Von Seelen* Athen. lubec. P. II. 359. *Conringiana* 288. *Hackſpan.* Syll diſpp. 398. I. B. *Carpzov.* Theol. exeget. 98. *Amama* in Paræn. p. 122. qui eum clariſſimum & feliciſſimum vocat Scripturæ interpretem.

XVII.

Io. GERHARDI Commentarius in Deuteronomium. Ienæ 1657. Editus ab eius filio *Ioanne Erneſto*, cum Epiſtola dedicatoria, qua diſputat contra eos, qui in V. T. negant dari promiſſa vitæ æternæ, ſtatuens, ea a Iudæis omni tempore fuiſſe credita.

EIUSDEM Explicatio ἐλεγκτική euangeliorum dominicalium. Ienæ 1663. Editio ſecunda: prior autem prodiit A. 1619. In Epiſtola prioris editionis dedicatoria auctor ſentit, Pericopas euangelicas, quæ annatim populo chriſtiano in eccleſia præleguntur & explicantur, retinendas eſſe, ob earum antiquitatem, utilitatem, diſtributionis commoditatem, atque ob evidens teſtimonium conſervatæ ſub papatu eccleſiæ. Ibidem quoque commemorat, diſputationes haſce non a ſe, ſed prævia informatione ſua ab eruditis quibusdam ſtudioſis conſcriptas eſſe.

XVIII.

EIUSDEM Commentarius in epiſtolam ad Ebræos. Ienæ 1641. Denuo editus A. 1661. In eo declaratur textus, quæſtiones dubiæ ſolvuntur, obſervationes eruuntur, & loca in ſpeciem pugnantia conciliantur. Neque tamen ille vel prima vice ab auctore ipſo in lucem productus fuit, ſed ab eius filio, *Ioanne Erneſto*; id quod non fruſtra monent Theologi ienenſes in der Ausführlichen Erklærung p. 539. Præmiſſa eſt Io. *Gerhardi* Memoria, in publico renunciationis rectoralis actu culta & celebrata a Salomone *Glaßio*.

Abr. SCULTETI in epiſtolam ad Hebræos Concionum ideæ, confectæ ſtudio & opera Nicolai *Eccii.* Francofurti 1616. Sculteti igitur ſunt hi labores, quos in explicanda divina illa epiſtola L. concionibus exantlavit; *Eccius* autem ſtilum duntaxat ſuum accommodavit, idque egit, ut ideæ eſſent, quod dicuntur, hoc eſt, ut velut in typo ſingulæ conciones unum quaſi ſub aſpectum collocarentur.

Nicol.

Nicol. *Eccius*, leobergenſis ſileſius, Sculteti diſcipulus, ac poſtea in miniſterio aulico ſacro collega, (fuit enim Aulæ archipalatinæ eccleſiaſtes) eo floruit tempore, quo librum hunc in publicum emiſit.

XIX.

Ioannnis HVLSEMANNI Commentarius in Ieremiam & Threnos. Francofurti 1696. Editio ſecunda, curata a Ioanne Andrea *Gleichio*, eaque multum auctior, longeque correctior: cum Diſſertatione de prophetia in genere, & Abrahami *Calovii* Præfatione, eiusdemque, ſub nomine viduæ Hulſemannianæ, Epiſtola dedicatoria, in quarum illa de operis huius præſtantia, ſuaque in eo edendo induſtria, & Commentario *Hulſemanni* in Ezechielem, cum non nullis aliis publicando verba facit, in hac de commentatoribus huius prophetæ, tam antiquis, quam recentioribus, eiusque dicendi genere minime ruſtico, & *Hulſemanni* inſtituto, præſtitoque labore. Sciendum autem, commentarium hunc, ab ipſo quidem auctore non fuiſſe abſolutum, interim poſt eius obitum ea, quæ deſunt, addita eſſe, atque, ut in fronte dicitur, analalyſi accurata, cum logico-rhetorica, tum grammatica textum prophetæ, collatis variorum interpretum ſententiis, e fonte ebræo luculenter exponere, & aphoriſmis theoreticis controverſias theologicas, practicis commonefactiones entheas & efficaciſſimas, in uſum homileticum, nervoſe amplecti. Addita & eſt Præfatio D. Valentini *Alberti*, in qua, occaſione dicti 1. Cor. 12, 8. 10. *ſermo ſapientiæ ac ſcientiæ* theologis didactico-polemicis, *genera* autem *linguarum*, *earumque interpretatio* exegetis aptatur, & in utroque *Lutherum*, *Flacium* & *Hulſemannum* excelluiſſe dicitur. Cetera, quod ad ſtudium *Calovii* commentarium hunc e tenebris in lucem producendi attinet, merito illud laudat *Fechtius* in Præfatione, Commentario in Ieſaiam *Vareniano* præmiſſa. Huc etiam pertinet, quod Dorotheus *Sicurus*, ſive Thomas *Crenius*, Prudentiæ theologicæ p. 49. ſcribit: *Io. Hulſemanni Commentarius in Ieremiam maximo Eccleſiæ bono in manus ſui Generi Dn. D.* Calovii *incidit, qui & ipſum publicavit.* Sed & iudicium interponit ſuum: *Maiorem abs eruditis iniiſſet gratiam vir ſummus, ſi abs* Hulſemanno *prætermiſſa, de ſuis divitiis ſuppleviſſet, præcipue in Threnis.*

Io. *Hulſemannus* Eſena-friſius, *Affelmanni*, *Balduini*, Balth. *Meiſneri*, *Hopfneri* & Menonis *Hanneckenii* diſcipulus, primum Wittenbergæ, deinde Lipſiæ D. & profeſſor theologiæ, & hoc in loco pariter paſtor eccleſiæ ad S. Nicolai, & ſuperintendens, Conſiſtorii eccleſiaſtici aſſeſſor, & alumnorum electoralium ephorus, nec non præpoſitus cizenſis, & canonicus miſnenſis ac naumburgenſis, pluribus ſcriptis (e quibus tantum polemica narrabimus: Collegium *antipapiſticum*, Manuale Conf. auguſt. contra Balth. *Hageri* Collationem, Diſſertationes de præſcriptione contra *Walenburchios*, *Calviniſmus* irreconciliabilis, Epiſtola ſyncretiſticis *Durai* phantaſiis oppoſita, Dialyſis apologetica problematis *calixtini* de Trinitate, & Vermis conſcientiæ *calixtinus*) celebris, poſt multos, & pertinaces labores gravi lipothymia & hemiplexia ſpuria laboravit, quibus factum, ut vires decreſcerent, & difficultas reſpirandi accederet, donec morbus ille inſultus poſtea repetiit ſuos, virumque nunquam otioſum morti tradidit anno 1661. ætatis 58. cum dimidio. *Witte* Memor. theolog. 1371. *Spizelius* Templo honor. reſerato p. 259. *Micralius* Syntagm. hiſtor. 760. *Calovius* & *Alberti* hic in Præfationibus, *Crenius* Faſce I. 94. 197. G. *Calixtus* Append. ad Refutat. *Willeri* c. auctor *Querela* cauſſæ moralis p. 45. 47. *Voſſius* Epp. p. 156. *Iablonski* Præfat. in *Burneti* Tractatum de Prædeſtinatione n. XIII. & L. B. *de Boineburg* in *Struvii* Actis literar. T. I. Faſc. III. 13.

XX.

Matthiæ HOE Commentarius in Apocalypſin. Lipſiæ 1610. Tomi III. Editus quoque eſt in folio, Lipſiæ & Francofurti A. 1671. In Epiſtola dedicatoria ſcribit auctor, ſe vix unum inter plurimos commentatores reperiſſe, qui in id totus incubuerit, ut variis ſententiis & expoſitionibus adductis maxime propriam deinde elegerit, electam confirmarit, & uſum doctrinalem luculenter tractaverit; ſe igitur præſente in opere defectum illum ſupplere, & quæ ad intellectum Apocalypſeos ioanniticæ faciunt, ex variis auctoribus comportare, adverſariorum corruptelas refellere, & uſum didaſcalicum plenius tradere, totis laboraſſe viribus. Commentarium hunc Balth. *Meiſner* in Dedicat. II. Decadis diſpp. Anthrophol. S. X 4. vocat nervoſiſſimum, deque auctoris recondita eruditione theologica, & interpretandi dexteritate luculentiſſime te-

Digitized by Google

me teſtantem, & *Spizelius* Templo honor. refer. p. 168. compendium quaſi theologicæ tum theoreticæ, tum practicæ.

XXI.

Dieterici REINKINGKII Bibliſche Policey, ſive Politica biblica. Francofurti 1653. Talis hic traditur Politica biblica, qualem ſacratiſſimus deſideraverat Rex Daniæ, & in primo eius libro agitur de ſtatu eccleſiaſtico, in ſecundo de politico, in tertio de œconomico, hisque Statibus certa quædam e SS. ſcripturis deducta axiomata applicantur. Similia ſcripta, quibus Politica non ex ratione ſtatus, ſed ex chriſtianiſmi principiis deducitur, ſunt Politicæ chriſtianæ Lamb. *Danæi*, Io. Steph. *Menochii* & Sam. *Sturmii*; præferendus tamen, iudice *Struvio* Biblioth. philoſoph. p. 144. & illis & noſtro *Reinkingkio* Chriſtoph. *Beſoldus* de Conſilio politico, qui per certa axiomata politicum ex fundamentis theologicis formare ſtudet. Commendatur etiam, ut elegantiſſima, Didaci *Saavedra* Idea Principis chriſtiano-politici. Qui liber, ut *Struvius* pergit, ſi quis alius, plane egregius eſt: Principem enim non ad rationem Status corruptam, quam plane reiicit, ſed veritatem chriſtianam inſtruit in omni regiminis parte, atque ſingula hiſtoricis illuſtrat exemplis.

Dietericus *Reinkingk*, curlandus, Iurium doctor, & profeſſor in academia gieſſenſi, protodicaſterii haſſiaci aſſeſſor, Landgravii Haſſo-Darmſtadiani procancellarius, porro Ducis meklenburgici, ac tandem Regis Danorum in Ducatibus ſleſvicenſi atque holſatico cancellarius, ab Imp. FERDINAND. III. nobilitatis hereditariæ privilegiis ornatus, ſcripſit etiam de Retractu conſanguinitatis, de Proceſſu iuris contra ſagas, deque Regimine ſæculari & eccleſiaſtico, atque honores & labores depoſuit Tychopoli, anno Chriſti 1664. ætatis 75. *Witte* Memor. ICtor. 397. *Moller* Hypomnem. ad Bartholinum de ſcriptis Danorum 413. *Magirus* 705. *Buderbeck* Biblioth. Iur. publ. german. 33. *Zſchackwiz* Prolegom. Orat. auſpical.)(2.

XXII.

Georgii CALIXTI ad quorundam V. T. librorum intelligentiam facientes Lucubrationes, editæ ab eius filio, Friderico Vlrico. Helmſtadii 1665. Videlicet 1) Expoſitio litteralis IV. priorum

rum capitum Geneſeos. 2) XIV. poſteriorum capitum Geneſeos, quibus hiſtoria Ioſephi continetur. 3) Exodi XX. priorum capitum. 4) Lex Dei moſaica in claſſes iuxta Decalogum digeſta, & una cum cærimonialibus & iudicialibus eo pertinentibus legibus expoſita. 5) in Prophetas Proœmium. 6) Expoſitio oraculi de LXX. hebdomadibus Danielis, quarum initium ponit in anno II. DARII nothi, finem in LXXmo æræ chriſtianæ, quo ſacrificia ſublata, exuſtum templum, urbs everſa,& iudaica politia deleta eſt.Additur Appendix, exhibens capitis V. Geneſeos uſque ad caput XXXVI. Expoſitionem litteralem. Comparent autem in hiſce, ut filius in Præfat. fatetur, aliqua incompleta, & ſatis amplum eruditumque in Prophetas Proœmium textus expoſitione deſtituitur. Nimirum, quæ hic communicantur, ex ore dictantis, reliqua, quæ deſiderantur, ex magiſtri ſermone ab auditoribus ſunt excepta.

EIVSDEM Hiſtoria magorum, e cap. II. Matthæi die *ἐπιφανιῶν* A. 1628. publice expoſita. Helmſtadii 1641. Editio ſecunda. In Ep. dedicatoria morem ſuum commemorat auctor, conſueviſſe ſe diebus non nunquam dominicis, præcipue vero ſollemnibus & feſtis, cum de origine & inſtitutione feſtorum ipſorum non nulla dicere, tum doctrinas vel hiſtorias ſacras, quæ in iſtos dies competunt, iuventuti academicæ publice exponere: nec ſolam iuventutem, ſed ipſos quoque collegas ſuos hæc interdum audire dignari.

EIVSDEM IV. euangelicorum ſcriptorum Concordia. Helmſtadii 1663. Ante complures annos ex ore dictantis excepta, deinde ab auditoribus, inconſulto quidem auctore, plus vice ſimplici edita, nunc vero a filio recognita, & ex auctoris MSS. paſſim locupletata. Nihilo tamen minus pro ſuo illam ſcripto agnovit; eoque magis nunc agnoſceret, poſtquam illa a filio typis fuit repetita, & pluribus in locis ex commentariis ipſius aucta. *Theologi helmſtadienſes* P. II. Refutat. *Buſcheri* p. 24. & *Nihuſ.* Apologet. 81. Interim eſt illa, ac manet ſcriptum iuvenile, non ab ipſo auctore ad publicationem concinnatum, ſed tumultuarie dictatum ſtudioſis, eorumque uſibus deſtinatum. Eſto igitur, eam talem eſſe, quam, uti *Calovius* Pædiæ theolog. p. 154. ſcribit, vix ipſe auctor probet, nihilque, Rich. *Simonis* de Commentatorib. N. Ti p. 722. iudicio, continere critices & exquiſiti; in totum tamen minime

nime eſt improbanda, quin potius utiliter conſuli atque adhiberi poteſt; ideoque & commendatur ab *Hülſemanno* Methodi ſtud. theol. p. 288. & I. M. *Langio* Præfat. in Clerici Harmoniam euangel.

Pag. 28. Non eſt igitur, quod hinc *iuſtitiam omnibus numeris abſolutam, & legi ac iuſtitia divina ſatisfacientem* exſculpant cum Pelagianis Pontificii.	*Talem non ſtatuimus.* P. *Dionyſius Werlenſis* in Via pacis p. 375.
30. Hoc unum ſupererit diſputandum: an ſint peccata aliqua *ſecundum ſe & naturam ſuam venialia.*	*Neque hoc docet* Eccleſia romana. *Idem* 380.
291. חמור ſignificat *aſinum*, & *maſculinum* eſt, nec aliter invenitur in ſacris, niſi quod 2. Sam. 19, 34. in feminino poni videtur.	חמור eſt *generis communis*, & ſignificat tam *aſinam*, quam *aſinum.* Io. Wilh. *Hilliger* diſp. de Bileamo, eiusque aſino loquente, B.

Georgius *Calixtus*, Medeloboea-holſatus, Io. *Caſelii* & Corn. *Martini* diſcipulus, viſis plerisque Germaniæ academiis, confectoque per Belgium, Britanniam & Galliam itinere, atque in eo acquiſita ſibi magnorum virorum, exquiſitiorumque librorum notitia, S. theol. D. & profeſſor in academia Iulia ordinarius, tandemque primus, immo & auctiori propter merita ſtipendio, Regiæque Luteræ abbatia, tanquam inſigni honoris acceſſione, a sereniſſ. Principibus mactatus, atque ut doctrina & ſcriptis ſuis magnam famam, ita etiam multos adverſarios nactus, nominatim *Buſcherum, Mislentam, Dorſcheum, Scharſium, Hulſemannum, Willerum, Calovium, Nihuſium, Erbermannum, Colonienſes, Moguntinos,* aliosque, vir pius, doctus, in officio fidelis & induſtrius, comis & benignus, moderatus, pacisque & concordiæ eccleſiaſticæ amans ac ſtudioſus, ut qui maxime, unde & ſub finem vitæ in pia hæc verba erupit: *Ego cupio mori ſub capite Chriſto, & in fide vere catholica eccleſia, & amore omnium, qui Deum Patrem, Filium & Spiritum ſanctum ſincere colunt & diligunt. Non condemnabo errantem in quæſtionibus non neceſſariis, & mihi quoque Deum veniam daturum confido, ſi in talibus, ut fieri potuit,*

aberraverim; tandemque ſenio & febriculis per intervalla recurrentibus attritus placidam animam placide ac leniter Deo reddidi A. 1656. 19. die Martii, cum annum ætatis ſeptuageſimum, profeſſionis publicæ quadrageſimum & ſecundum ageret. *Witte* Memor. theologor. 1132. nec non Gerh. *Titius*, & Chriſtoph. *Schraderus*, qui in laudem excellentiſſimi huius theologi orationes panegyricas in magno Iuleo habuerunt, atque iterum *Titius* in Refutatione calumniæ de morte G. *Calixti*. Elogia eius, ut ut notetur in *Crenii* Animadverſ. T. V. 86. T. VII. 161. T. IIX. 188. T. XVI. 79. in *Conringianis* p. 394. atque a *Nihuſio* Apologet. p. 29. 64. 65. 72. 82. 97. 98. 103. 104. & in Scholio poſt Apologeticum L. 5. 6. 7. in Irnerio 64. & in Suſcitabulo (im Wecker) 12. 15. 18. 19. 20. 26. 47. 53. 57. 61. 63. 64. 68. 72. 73. 80. 82. 86. 95. 101. 106. 112. collecta reperies in *Magiro* p. 164. *Wittio* 1145. & *Memoria Friderici Vlrici Calixti*, quam peculiari oratione, etiam in Memoriis theologorum *Pippingianis* p. 881. exſtante, celebrare annisus ſum. Poſſunt autem illis & ſequentia adiungi: nam *Voluſius* (a) eum vocat a calumniandi libidine remotum, (quamquam *Erbermannus* in Præfatione Animadverſionis in *Titii* Oſtenſionem ſummariam aliter canat) & ſtudium pacis abunde oſtendentem; *Le Fevre* (b) eruditum ac præſtantem lutheranum; P. Dionyſius *Werlenſis* (c) eum, quo maiorem non habuerit illuſtris Iulia; *Raſevvizius* (d) virum celebrem; *Boineburgius* (e) virum maximum, pietate, doctrina ac iudicio plane eximium, & dignum, quo cum & modeſti & prudentiores congrediantur; *Ruarus* (f) virum magnum, incomparabilem, quem inter præcipua ævi ſui lumina veneretur; *Curcellaeus* (g) præſtantiſſimum theologum; *Comenius* (h) inſigniter in certaminibus theologicis verſatum, ſolide pium, veritatis euangelicæ propugnatorem ſtrenuum, dirigendis, non diſturbandis conſiliis idoneum, cui undique tuto fidi, & a cuius præſentia auxilii multum ſperari poſſit; Lud. *Crocius* (i) in concordiæ ſtudio ſibi conſtantem adverſus exſerta capita orci, galea quan-

(a) In Aurora pacis religioſæ p. 30. 115. (b) dans les Motiſs invincibles 29. 51. (c) Philanthon. 206. 243. (d) Delineat. eccl. cathol. 809. (e) Epp. ad Dietericum p 22. 184. 190. & T. I. Actor. litterar. Struvii. (f) Epp. P. I. 295. 299. (g) Opp. p. 817. (h) in Iudicio duplici de Regula fidei p. 615. (i) In Epp. Voſſii p. 346.

Digitized by Google

quantumvis munita ſycophantarum; Io. Lud. *Fabricius* (k) incomparabilem inter Lutheranos theologum; Ger. Io. *Voſſius* (l) veteris eccleſiæ amantiſſimum, & ut veritatis, ita pacis ſtudioſum; item virum egregium & ad concordiam pronum; *Strimeſius* (m) filium pacis; *Pruſchenck* (n) inter præcipua ſeculi ſui ornamenta numerandum, quique res utiles docuerit, & quadam moderatione eccleſiæ concordiam promovere allaboraverit; Io. *Muſeus* (o) acutiſſimum theologum; *Schurtzfleiſch* (p) virum de antiquitate meritiſſimum, & Io. *Moller* (q) theologorum non Cimbriæ tantum ſuæ, & academiæ Iuliæ, ſed Germaniæ etiam univerſæ ſua ætate facile eruditiſſimum ac iudicioſiſſimum.

S. BARNABÆ Epiſtola catholica, denuo edita cura Ioach. Io. *Maderi*. Helmſtadii 1655. Prius enim edita fuerat ab Hugone *Menardo*, & correctior ab Iſaaco *Voſſio*. Præmittuntur (1) *Maderi* Præfatio, qua differit de perſona *Barnaba*, eiusque Epiſtola, dubitans, an ſit *Barnaba* apoſtoli, ſive unius e LXX. diſcipulis Chriſti. 2) Excerptum Critici S. Andr. *Riveti*, eandem cum *Madero* de præſente Epiſtola ſententiam tenentis. 3) Hugonis *Menardi* de S. Barnaba, & eius Epiſtola Iudicium. Qui & ipſe ſtatuit, Epiſtolam hanc non haberi inter ſcripturas canonicas, ac dubium eſſe, an Barnabas eius ſit auctor. Subiunguntur autem prædicti Notæ *Voſſii*. Vide *Hiſtoria* huius *bibliothecæ*, P. I. 44.

Ioach. Ioannes *Mader*, hanoveranus, ſcholæ ſcheningenſis rector, de re litteraria optime meritus, dum non tantum veterum monumenta in lucem protulit, verum etiam ſua ſcripta, multa cura elaborata, cum orbe litterato communicavit, a *Conringio* Præfat. in Antiqq. academ. amicus non e multis, atque a *Mollero* P. I. Iſag. ad hiſtor. cimbr. p. 87. vindex antiquitatum Germaniæ eximius vocatus, in amœniorem ac cæleſtem ſcholam translatus fuit anno Chriſti 1680. ætatis 54. Epitaphium eius in veſtibulo conſpicitur ædis ſacræ ſcheningenſis, atque ita habet:

 D.O.M.S.

(k) Opp. p. 295. (l) In Epp p. 149. 271. 385. (m) In Paræneſi ad union. Euangelicor. 94 (n) in Struvii Actor. litterar. T. I. faſc. V. 46. & T. II. 261. (o) de Vſu principior. rat. 16. (p) Epp. ſelect. p. 356. (q) de homon. 659. & Iſag. in Hiſtor. cimbr. P. II. 107. 176.

D. O. M. S.
Memoriæque perpetuæ
Ioachimi Iohannis Maderi
plurima & varia doctrina
clariſſimi viri
qui honorato Rectoris
in principali & celebri Schöningenſi ſchola
functus loco
ſed longe maiori dignus
cum docendo ſcribendoque
domi foriſque inclaruiſſet
in patriis antiquitatibus
eruendis illuſtrandisque
ſingulari induſtria
pari felicitate
raro exemplo verſatus
ipſos inter labores
maioresque conatus
immatura morte obiit
Nat. A. CIↃ IↃ CXXVI. VII. Aug.
Denat. A. CIↃ IↃ C LXXX. XVII. Aug.
uxor mœſtiſſima
Regina Stiſſeria
Marito opt. de ſe merito
H. M. P. C.

CLEMENTIS ad Corinthios Epiſtola prior, cum Fragmento Epiſtolæ, ut vocant, ſecundæ, edita notisque illuſtrata a Patricio *Iunio*, nunc denuo edita & aſſerta a Ioach. Ioan. *Madero*. Helmſtadii 1654. Vide P. I. *Hiſtoria* noſtræ *bibliothecaria* p. 45. ac nota, per *mundos, qui trans oceanum ſunt* Chriſtophorum *Franckium*, pereruditum & principem apud Kilonienſes theologum, Exercitation. antiwendelian. p. 300. intelligere Americam & Terram auſtralem; ſicut *laicus, qui prac[illegible]tis laic[illegible] conſtri[illegible]gitur*, p. 53. illuſtri ICto, I. H. *Böhmero* Diſſert. ad Plin. & Tertull. p. 327. 330. eſt laicus iudaicus.

Pag. 75. Miſſos a nobis *Claudium, Ephebum, & Valerium,* | Interpunctio ſive diſtinctio ſic eſt facienda: *Claudium Ephebum,*

Bitonem cum Fortunato.

bum, & *Valerium Bitonem*, cum Fortunato. Ita tres duntaxat habemus homines, cum ſecundum alteram diſtinctionem eſſent quinque. *Ittig* Diſſert. de Patribus apoſtol. §. 77.

XXIII.

Georgii CALIXTI in Acta Apoſtolorum, & Epiſtolas ad Romanos, Corinthios, Galatas, Epheſios, Philippenſes, Coloſſenſes, Theſſalonicenſes, (non quidem poſteriorem integram, ſed caput eius primum, & ſecundi verſum 1. uſque ad octavum) & Titum. Helmſtadii 1663-1666.

In Epiſt. ad Philip. II, 7. p. 27. Forma ſervi non ſignificat ſervitutem ſuperadditam humanæ naturæ, ſed ipſam *naturam humanam*.

Significat *habitum & ſpeciem vilem*, quod nempe inceſſerit, ut homo vilis & abiectus, ſive ſervus; quippe qui non venerat, ut ſibi miniſtraretur, ſed ut ipſe aliis miniſtraret. *Gloſſatores Bibliorum vinarienſium*.

Cap. III, 9. Non habens meam iuſtitiam, quæ eſt ex lege, ſed eam, quæ eſt per fidem Chriſti, ex Deo) Quam videlicet Deus nobis donat & *imputat per fidem*, ita ſcilicet, ut oblatam fide, quæ etiam ipſa Dei donum eſt, nos apprehendamus & recipiamus.

In hac antitheſi *iuſtitia legis* propriam iuſtitiam declarat, quam unusquisque ſuis ipſius viribus ſibi comparat, quæque opinionem meriti, quod tamen nullum in nobis eſt, adiunctam ſibi habet. *Iuſtitia* vero *fidei* eam ſignificat, quæ fide in Chriſtum obtinetur, & partim regenerationem, ſeu converſionem ad Deum, partim remiſſionem peccatorum in ſe continet. C. *Verſtius* in h. l. *Dippel* Opp. 996.

In Epiſt. II. ad Theſſal. II, 8. *Hodiernum* etiam *Pontificem* ego

Puta VRBANVM IIX. *Helmſtadienſes* in Refut. Buſcheri P.I. 110.

Digitized by Google

nolim dicere antichriſtum.

In Epiſt. ad Titum v. 9. p. 35. Scriptura contenta eſt, quod ad ſalutem cognitu neceſſarium eſt, ſimpliciter propoſuiſſe, ut quod unus ſit Deus ---- quod *in eucharistia corpus ſuum manducandum nobis præbeat.*

Dogma Lutheranum illud *de præcepta cuivis a Christo ſumtione calicis* omittit. *Nihuſius* Apologet. III.

Conradi HORNEII in epiſtolas ad Hebræos, Iacobi, II. Petri, III. Ioannis, & I. Iudæ Expoſitio litteralis. Brunſvigæ 1654.

In epiſt. ad Hebr. XII, 18. p. 26. Montem Sinai opponit Sioni, & Hieroſolymam terreſtrem Hieroſolymæ cœleſti, per illa ſynagogam, per hæc eccleſiam Chriſti, tum militantem, *tum maxime triumphantem* intelligens.

Non tantum ex verbo præteriti temporis, *Accessiſtis*, verum etiam ex omnibus circumſtantiis apparet, apoſtolum loqui *de ſtatu fidelium in terris.* Nec obſtat *Ieruſalem cœleſtis* appellatio: ea enim eccleſia militans intelligitur. Phil. 3. 20. *Curcellæus* 659.

In I. Ioh. V, 16. Per peccatum ad mortem intelligitur *peccatum in Spiritum S.* quatenus illud vel nunquam, vel *raro remittitur.* --- Ad mortem autem vocatur, quod non mortiferum tantum eſt, ſed ita mortem inducit, ut ex ea *nunquam* quis reviviſcat.

Intelligitur illud peccatum, quod mors certo certius ex decreto divino ſubſecutura eſt. *Epiſcop.* in h. l. T. II. 416. Sev. Walth. *Sluter* in Catech. 172.

Conradus *Horneius*, brunſvicenſis, *Caſelii* & Corn. *Martini* diſcipulus, ſingularibus ingenii dotibus, & bonarum litterarum, præſertim græcarum, notitia præditus, ethicen & logicam primum, deinde etiam theologiam, honoribus eius ſuſceptis, magna induſtria & perſpicuitate docuit, pleraque ad omne ævum perennaturis ſcriptis illuſtravit, pietatem ab adverſariis oppreſſam ſtrenue adſeruit, ſanctimonia & innocentia vitæ cunctis præivit, tandem, omnibus bonis immortali ſui deſiderio relicto, obiit A. 1649.

1649. ætatis 52. *Witte* Memor. theolog. 728. Inter ſcriptae ius laudat *Micralius* Syntagmatis hiſtor. eccleſ. p. 759. Tractatum de ſcriptura, Locos communes, & Diſputationes theologicas; ſed addit, ob phraſes, quibus ſchiſma de neceſſitate bonorum operum ad ſalutem videretur renovari, cenſuris D. *Rothmaleri*, (ſic enim eſt corrigendum) D. *Maioris*, D. *Hülſemanni*, & D. *Calovii* notatum fuiſſe. Manes autem optimi ac beati viri dixerint, eum quoque ſe maſcule defendiſſe, nec verbi divini normam exceſſiſſe. Ceterum, qualis & quantus aliis viſus ſit, accipe. P. Dionyſio *Werlenſi* in Pſeudopœnit. correcto p. 276. audit celeberrimus in univerſitate helmſtad. D. & profeſſor publicus; *Valuſio* in Aur. pacis relig. p. 30. is, quem calumniandi libido non omni ſenſu veritatis & pietatis privavit; *Boineburgio* Epiſt. ad *Pruſchenkium* (Actor. litterar. *Struvii* Faſc. V. p. 29.) vir probus, ſimplex, doctus, ſincerus, pacis utriuſque peramans; & G. I. *Voßio* Epp. p. 368. ſummus vir. Quibus adde *Magirum* p. 459.

XXIV.

Gerhardi TITII Animadverſiones exegeticæ ad Scripturæ S. inſigniora loca. Helmſtadii 1715. Et loca quidem utriusque foederis, veteris ac novi. D. Chriſtoph. Henr. *Ritmeier* eas XVIII. diſputationibus propoſuit, atque ita medium edendi invenit, pluresque ſine dubio diſputationes inſtituiſſet, niſi morte fuiſſet præventus. Non tamen Animadverſiones iſtæ eo conſilio fuerunt conſcriptæ, ut publici fierent uſus, ſed ut auditoribus ac diſcipulis ſuis traderentur, prælectionumque locum occuparent. Non mirum igitur, ſi non eam ubique ἀκρίβειαν ſentias, cuius alioquin in ſcriptis ſuis, quæ ipſe edidit, præclarus auctor valde ſtudioſus fuiſſe deprehenditur. Nunc quædam, quæ corrigenda videntur, annotabimus, adſcriptis paginarum numeris, qui in hac editione, more quidem hodie multis uſitato, ſed minime laudabili, lectoribusque oppido moleſto, omiſſi ſunt.

Diſquiſit. I. pag. 12. Ad verum Dei cultum vel maxime pertinet, *ad mentem Dei revelantis ſentire ac credere.*	At *Cornelius*, de quo hic agitur, *erat ethnicus.*
Diſquiſ. V. p. 54. *Vetuſtiſſimus Patrum* Irenæus.	Benigne hoc accipiendum: cum *vetuſtiores* ſint Egeſippus, Theophilus,

Diſquiſ. V. p. 60. Codex corbe-ienſis: *Ac* ſicut *ſingulis annis*, *bini* &c.

ophilus, Athenagoras, Melito, Iuſtinus martyr, & Patres apoſtolici. *Gerhard.* Patrol. p. 1. & ſeqq. *Ac ſingulis annis* &c.

Gerhardus *Titius*, natus Quedlinburgi, Io. Mich. *Dilherri* & Dan. *Stahlii* in academia ienenſi, in alma vero Iulia G. *Calixti* diſcipulus, ac Frid. Vlr. *Calixti* in ſtudiis philoſophicis theologicisque ſocius ac comes, primum hebraicæ linguæ prædicta in Iulia docendæ extra ordinem præfuit, deinde laurea philoſophica a *Schraderi* manu accepta, ſummis autem in theologia honoribus a præceptore & hoſpite ſuo, D. Georg. *Calixto* ornatus, & theologiæ profeſſor ordinarius conſtitutus, eam laudem conſecutus eſt, ut, quicunque docentem audiverunt, inſignem eius dexteritatem, cum brevitate, perſpicuitate, & ſuavitate coniunctam, non ſatis poſſent prædicare. Ceterum vir erat prudens, moderatus, pacis amans, nemini gravis, amicus omnibus, converſationis iucundiſſimæ, pietatis & ſanctitatis exemplum, de ſtudiis ſacris inter primos bene meritus, huiusque ſcholæ ſuo tempore decus, immo perpetuum atque æternum ornamentum; paucis, ſui vir nominis: nam *Gerhardus Titius* per anagramma eſt *Gratus eruditis.* Etiamſi pruritu ſcribendi non laboraret, pro commodo tamen ſtudioſæ iuventutis, & veritatis defendendæ cauſſa, variis ſe ſcriptis conſpicuum reddidit, quæ omnia enumerantur in *Wittii* Memoriis theologorum p. 2090. Atque inde patebit, eum pugnaſſe non tantum cum *Socinianis*, & inter Pontificios cum *Bellarmino*, Erhardo S. R. I. Comite *Truchſes* de Wetzhauſen, *Walenburgiis*, *Keddio*, *Erbermanno*, Conr. *Hennius*, M. O. *Sonnemanno*, ſed etiam inter Reformatos cum *Mareſio*, & Io. *Vorſtio*, atque inter noſtrates cum Matth. *Flacio.* Magna erga eum vel in hoc erat gratia Dei, quod ſanitate ſemper frueretur integra, & laboribus ſuſtinendis par eſſet, donec tempus adveniret mortis, quæ febriculam viriumque proſtrationem ſecuta eſt, ex voto ægroti plane ſuavis ac placida, d. VII. Iunii anno Chriſti 1681. ætatis 61. *Wittius* l. c. p. 2080. Et Chriſtoph. Tob. *Wideburgius* in Program. A. 1710. affixo, ſuperioribus convenienter ſcribit pag. 8.

Titii

Titii inſignem & ſolidam doctrinam, cum admirabili perſpicuitate coniunctam venerari omnes, qui illud academiæ huius decus ſecum audiverint.

Brand. Henr. GEBHARDI Exercitationes antirabbinicæ in Pſalmos Davidis. Gryphiswaldiæ 1704. Sunt explicatio VII. primorum Pſalmorum, qua potiſſimum falſæ Rabbinorum interpretationes exploduntur.

Adriani COCQVII Obſervationes critico-ſacræ in ſacrum Novi teſtamenti codicem. Lugduni Batavorum 1678. Sunt enim vero Ethica ſacra, ubi præter etyma & ſignificationes verborum græcorum, hominis beatitudo, affectus, virtutes & vitia, ex ſacris eruta, philologice & practice III. libris pertractantur. Et in primo quidem libro agit de philoſophia, ethica ſacra, beatitudine, voluptate, pulchritudine, ſanitate, honore & gloria, divitiis, nobilitate, invito & ſpontaneo: in ſecundo de affectibus animi in genere, ſpeciatim autem de ira, verecundia, metu ac timore, ecſtaſi, amore & caritate, odio, invidia, zelo, & acedia, ſive animi ſtupore & deiectione: in tertio de virtute in genere, tum de virtutibus dianoëticis, arte, habitu, ſapientia, intelligentia, prudendia, & animi moderatione. Hæ Obſervationes commendantur a *Schurzfleiſchio* Epp. arcan. T. I. 21. Lectu etiam digna eſt Epiſtola ad Guilielmum III. Principem arauſionenſem & naſſovium dedicatoria, qua philoſophiam, ſive ſapientiæ ac litterarum ſtudium Principi commendat: nam ſapientem litteriſque excultum eſſe debere, qui in alios habeat imperium.

Adr. *Cocquius*, S. theol. Doctor, & in eccleſia fliſſingana verbi divini miniſter, ſcripſit etiam Phyſiologiam ſacram, floruitque medio ſæculi XVII. atque ulterius.

Frid. Erneſti KETTNERI Hiſtoria dicti Iohannei de S. Trinitate, 1. Io. V, 7. Francofurti & Lipſiæ, 1713. In Præfatione narrat auctor, ſe ſe anno 1696. Vindicias huius dicti, anno autem 1702. Supplementa quædam prelo ſubieciſſe, cumque poſtea variis in bibliothecis multa obſervaverit, quæ huic materiæ lumen afferre queant, viſum ſibi operæ pretium eſſe, ut omiſſi & inſerti illius hiſtoria evidentior proponeretur: indagaſſe igitur cauſſas, cur per multa ſæcula omiſſum, ſæculo autem V. reſtitutum, & exeunte ſæculo XVI. in verſionem vernaculam receptum ſit. Interim

Digitized by Google

terim ea eſt modeſtia, ut roget viros doctos, velint in timore Domini rationes ſuas expendere, occaſiones expungendi inſerendique dicti ponderare, & quid quid deficit, favore benevolo ſupplere & perficere. Vide *Acta eruditor.* A. 1713. 379. *Narrat. innoc.* A. 1713. 167. *Germanicor. Actorum eruditorum* T. II. 284. *Muſeum novum* T. III. 377. quibus omnibus diligentia ab auctore adhibita laudatur. Conſtat etiam nobis, reverendiſſimum Archiepiſcopum cantuarienſem Hiſtoriam iſtam approbaſſe, & novis commendaſſe Arianis.

Frid. Erneſt. *Kettner*, natus Stolbergæ in Miſnia, A. 1671. *Pfeifferi*, *Carpzovii*, *Ittigii*, *Rechenbergii*, *Olearii* Doctorum diſcipulus, iam S. theol. doctor, paſtor primarius & ſuperintendens quedlinburgenſis, conſiliarius conſiſtorialis, & Gymnaſii inſpector, pluribus ſcriptis celebris, inter quæ ſunt Diſputationes de Gemitu columbæ, de *Spinoſa*, & *Bekkero*, de Vnitariis, de erroribus Pontificum, de Studio novitatis, Diſſertatio de religione prudentum, Iudicium de religione eclectica, Diſcuſſio quæſtionis, an liceat in uxorem ducere defunctæ ſororem uxoris, Commentarius in caput XVIII. & aliquam partem I. capitis Levitici, Dehortatio a Quackerorum & Böhmiſtarum ſeparatiſmo, & intermiſſione contemtuque S. cœnæ, Hiſtoria eccleſiæ & reformationis imperialis, liberi & ſæcularis Collegii quedlinburgenſis, nec non Antiquitates & diplomata quedlinburgenſia, (vide iterum *Germ. Acta erud.*) & Apologia contra Programma *Wideburgianum*, atque adhuc vivit, & quantum poteſt otii habere a laboribus ordinariis, illud lectioni bonorum auctorum, & conſignationi ſuarum impendit meditationum, quarum quidem ad prelum aliquot habet maturas, a celeberrimo D. Io. Frid. *Mayero* Hiſt. verſion. german. Biblior. Luth. p. 53. encomio viri longe doctiſſimi ornatus.

XXV.

Iac. RAVPPII Bibliotheca portatilis, ſive totius theologiæ theoreticæ ſyſtema integrum. Erffurti 1659. volumina IIX. Digeſta in III. libros, quorum primo auctor agit de principio theologiæ, ſeu ſcriptura ſacra, eique ſubiungit Obſervationes ſive Regulas theologicas, grammaticas, ſyntacticas, logicas, rhetoricas, & Lexicon theologicum; quod quidem correctius & auctius promittit

mittit in Nota ad *Ioan.* 12, 3. p. 968. ſecundo exhibet Locos theologicos per theſin & antitheſin: tertio Commentarium in univerſa biblia ſynopticum: vocatque ſyſtema hoc *theologia theoretica*, ad differentiam Bibliothecæ portatilis practicæ, qua de locuti ſumus in Parte II. *Hiſtoria* huius *bibliothecaria* p. 239. Nec minus hoc, quam illo opere de pauperibus ſtudioſis ac paſtoribus præclare meritus eſt auctor, quippe quibus hi libri ad inſtar magnæ & inſtructæ bibliothecæ eſſe poſſunt: quid quid enim in vaſtis *Chemnitii*, *Hunnii*, *Balduini*, *Gerhardi*, *Calixti*, aliorumque noſtratium exſtat voluminibus, id heic quaſi in compendio traditur.

De S. Scriptura p. 51. Vnum ex mediis interpretandi Scripturam eſt cuiuscunque dicti obſcuri *ex analogia fidei* & loco claſſico examinatio. *Rom.* 12, 6.

Confeſſio cum doctrina fidei, hoc eſt, euangelii, poteſt quidem analogia fidei vocari; ſed hic loci apoſtolus per fidei analogiam ſeu proportionem nihil aliud intelligit, quam id, quod verſu 3. vocaverat *μετρον πιστεως menſuram fidei*: quomodo etiam ſyrus interpres reddidit. Senſus enim eſt: Qui prophetiæ munus accepit, prophetet *iuxta eius ſcientiæ, qua a Deo donatus eſt, menſuram.* C. *Vorſtius* Comment. in h. l. p. 87.

In Lexico theol. p. 316. FACERE notat equidem aliquando ſacrificium, *non* autem *ſimpliciter poſitum*, ſed cum additamento.

Immo *etiam ſimpliciter poſitum*, ut *Levit.* 22, 24. *Num.* 28, 4. 8. 15. 24. 2. *Reg.* 17, 32.

457. Mingere ad parietes, *canis* Hebræis dicitur. 1. *Sam.* 25, 22. 1. *Reg.* 14, 10.

Eſt *deſcriptio maris aut viri*, ac ſenſus eſt, domum illam prorſus eſſe delendam, adeo ut nullus marium eius ſuperfuturus ſit. *Bochartus* Hierozoici Parte I. 675.

491. *Galat.* 2, 16. Non iuſtifi-

Εαν μη ſignificat *niſi*, non autem

catur homo ex operibus legis, niſi (*ſed tantum*) per fidem Ieſu Chriſti.

tem ſed tantum. Ita quidem videtur Chriſtiano *Helvvichio* in Vindic. Diſcuſſion. 35.

L. de Imag. Dei p. 221. *Eccleſ.* 7, 30. Deus creavit hominem *rectum*, ὀρθὸν, id eſt, ſanctum & iuſtum.

Rectitudo illa fuit *perfectio naturalis*, & ſignificat, nihil defuiſſe ipſi, quod ad Deum colendum, & beatitudinem ſtatus ſui conſervandam; maioremque adhuc obtinendam requireretur. *Curcellæus* 110.

L. de Peccato p. 420. *De peccato in Spiritum ſanctum* agunt etiam *hi duo loci*, 1. *Io.* 5, 16. & *Heb.* 6, 4. 5.

Id quidem *dubium eſt*. Neque enim ſequitur ita ſimpliciter: Datur peccatum ad mortem, item peccatum, unde non eſt reditus ad gratiam per pœnitentiam; ergo hoc ipſum eſt, de quo Chriſtus loquitur Matth. 12. *Foertſch* Diſp. de peccato in Spiritum S. p. 3.

Pag. 421. Peccatum in Sp. S. dicitur *irremiſſibile*, quia ſalutis medium impugnat, & cum finali impœnitentia coniunctum eſt.

Non dicitur irremiſſibile, quanquam ſano ſenſu admitti poſſit, ſed *non remiſſum iri*. Idem p. 49. 54.

L. de Lib. arbitrio pag. 446. Homo ψυχικὸς *animalis* 1. *Corinth.* 2, 14. vocatur, qui non eſt a Spiritu S. illuminatus, ſed *ſolam innatam & humanam* σύνεσιν ſive notitiam *habet*.

Intelligitur is, qui *carnalis* eſt, ſeu deſideriis carnis indulgens, & opera carnis perpetrans. Confer *Iudæ* ℣. 19. *Rom.* 8, 7. C. *Vorſt.* in locum illum 1. ad Corinth.

L. de Magiſtratu polit. p. 114. Fures iuſte capitali ſupplicio afficiuntur, quia 1) Deus ipſe conſtituit, furem, in quo animus graſſandi præſumitur, *poſſe* etiam extra iudicium occidi. 2) propter frequentiam furtorum, tempore Salomonis iam

Non quidem facile quis furum patrocinium in ſe receperit; at *rationes* tamen *allatas nec firmas, nec ſufficientes eſſe*, eruditi & perſpicaces cenſent viri, Sim. *Epiſcopius* Opp. T. I. a 107. *Curcellæus* 636. & *Franzius* de Interpr. Scr. S. orac. LIIX. p. 507. Sed

tum *exaſperata fuit eorum pœna*, Proverb. 6, 31. 3) *Furta non ſunt absque homicidio.* Sir. 34, 25. 26. 4) *Furi pœnam dictitat David*, 2. *Sam.* 12, 5.	
L. de Pœnitentia, p. 2. Græcis *duo* ſunt *vocabula*, pœnitentiam ſignificantia, μετάνοια & μεταμέλεια.	Sed *idem ſignificantia*, *Le Cene* 703.
Pag. 11. *Auguſtana Confeſſio* pœnitentiam vocat ſacramentum.	*Apologia* Auguſtanæ confeſſionis Abſolutionem vocat ſacramentum pœnitentiæ. p. 167. 200. (Concordiæ a Rechenbergio editæ.)
Pag. 50. Deus nec *ſemper*, nec omnibus, quibus peccata remittit, ſingulares pœnas imponit.	*Neque* vero *id credendum* proponit Eccleſia romana. *Concil. trid.* Seſſ. XIV. de Pœnit. c. 8. & can. 12. & *Kunckel* 396.
L. de Morte, p. 20. *Orationem pro defunctis* Auguſtanæ Confeſſionis Apologia (p. 274.) concedit.	Sed in L. de Inferno p. 251. ipſe auctor *talibus orationibus eſt adverſus*.
Pag. 44. *Complures ex veteribus Eccleſiæ Doctoribus* videntur quandam ψυχοπαννυχίαν amplexi, h. e. ſtatuiſſe videntur, animas hominum defunctorum *ſomno ſopitas* in loco quodam inter cœlum & terram intermedio deliteſcere ac quieſcere.	Ita tamen, ut diſcrimen facerent inter ſomnum huius & illius vitæ; ſicut & *Lutherus* facit in Comment. in Geneſ. caput XXV. p. 351. Vide & *Grabium* ad Rhegii Form. c. 1. 208. nec non illuſtrem *Thomaſium* in Annotat ad *Pufendorfii* Monarch. ſpiritual. 279.
L. de Reſurrect. mort. p. 65. Reſurrectio mortuorum probatur *veteris* & novi *teſtamenti teſtimoniis*, ut Gen. 3, 15. 4, 10. Ex. 3, 6. 1. Sam. 2, 6. Iob. 19, 25.	Quæſtio eſt, *an* reſurrectio mortuorum in illis veteris teſtamenti dictis *tam clare*, *& terminis adeo præciſis proponatur*, *ut negari nequeat*. Et hoc eſt, quod negant *Chryſoſtomus* apud

 Six-

Sixtum *ſenenſem* p. 613. *Sainjore* Biblioth. crit. T. II. 504. & T. III. 461. & Io. *Piſcator* Apolog. pro Bibliis herbornenſ. 272.

P. 82. Reſurrectionis ſubiectum eſt *corpus hominis*, & quidem *mortuum*.

Sed & *animatum*. Sebaſt. *Schmidt* diſp. de baptiſmo mortuorum §. 34.

83. Photiniani moderni contendunt, *corpora reſuſcitatorum ſine carne & ſanguine fore.*

Catechismus racovienſis nihil hac de re definit; docet autem p. 337. fideles Chriſti ſimilia corpori eius glorioſo corpora habituros, videlicet incorruptibilia, glorioſa, potentia, ſpiritualia. Et *Crellius* Opp. T. IV. 513. diſputat, eundem eſſe hominem, licet materia eius prior alteretur aut abſumatur.

93. Photiniani de impiorum reſurrectione obſcure & ambigue loquuntur. Videntur autem ſentire, totum hominem, quando moritur, *corpore & anima extingui*, *impiosque* vel *non reſuſcitandos*, vel ſuſcitatos *in nihilum redigendos*.

Non ſunt ſingulis imputanda, quæ non nulli ſtatuunt. *Ruarus* Epp. P. I. 218. Nec bonos tantum, ſed *& malos homines reſurgere* ad iudicium, *annihilationem* autem *nec Scripturam aſſerere, nec rationem evincere ullam*, docet Io. *Crellius* T. IV. Opp. Vnitariorum p. 533. Et *Slichting* in Vindiciis confeſ. chriſtianæ 210. nomine omnium ſcribit: Credimus, & ſpem habemus in Deo, reſurrectionem futuram non iuſtorum tantum, *ſed etiam iniuſtorum*, ut quisque factis operibusque ſuis congrua reportet.

L. de Inferno p. 223. Origeni, quod pœnarum infernalium perpetuitatem negaverit, &

Ex iis, quæ hodie exſtant, Origenicis ſcriptis, opinio ea *certo colligi non poteſt*. Georg. *Calixtus*

plurimi Patres tribuunt, & *ex multis eius ſcriptis colligi poſſe* videtur.

iixini de Bono perfecte ſummo p. 63.

XXVI.

Auguſti VARENII Commentarius in Iſaiam. Roſtochii & Lipſiæ 1708. Editio ſecunda, cum Præfatione Io. *Fechtii* de vita, fama, & ſcriptis *Varenii*. Præmittuntur duæ Dedicationes, quarum altera ſermo fit de præſtantia prophetæ Ieſaiæ, altera de academiis, eo illas fine eſſe conditas, ut doctrinæ cæleſtis, omniumque ingenuarum ſcientiarum & virtutum ſint theatra, honorum templa, eccleſiæ & reip. ſeminaria. In Commentario autem inſtitutum auctoris hoc eſt, ut ſenſum litteralem ex conſilio fontium oſtendat & vindicet, quid quid illius veritati obeſt confutet, deque variis argumentis theologice & critice contra Iudæos, hæreticos, & exorbitantes criticos diſſerat.

Aug. *Varenius*, natus Hitzigeri ad Albim in Ducatu luneburgenſi, Georg. *Krukii*, Mich. *Waltheri*, Io. *Mulleri* & Ger. *Granii* diſcipulus, confecto in Pruſſiam, ubi etiam *Behmium*, *Mislentam* & *Calovium* audivit, & Poloniam itinere, primum hebrææ linguæ, deinde theologiæ in academia roſtochienſi profeſſor & doctor, nec non Conſiſtorii meklenburgici provincialis adſeſſor, non tantum præclarus interpres, ſed etiam inſignis orator, & felix poëta, annotationibus ſuis alios etiam libros illuſtravit, ut, Moſis Pentateuchum, Danielem, Hagg. Zachar. Malach. epiſt. ad Rom. & quædam Davidis ac Salomonis, præterea dedit Breviarium theologicum, Rationarium theologicum de ſcriptoribus eccleſiaſticis ſæculi I. & II. item Antipapiſmum, Anticalviniſmum & Antiſocinianiſmum orthodoxum, & multas diſputationes, & conſummato per XLII. annos academicorum, aliorumque laborum curſu, dicere, ſcribere, ac laborare deſiit A. 1684. ætatis 64. In Programmate funebri, nomine *Senatus academici roſtochienſis* ſcripto, & in *Wittii* Memoriis theologorum p. 2138. exſtante, vocatur eccleſiarum meklenburgicarum decus & præſidium, ac vir, ſi quis alius, dignus, quem nemo niſi invidus & ingratus ſubticeat, nemo niſi a fide orthodoxa alienus ex SS. diptychis & publica eccleſiarum commemoratione expungat; atque a Ioanne *Fechtio* in Memoria Schomeriana (quæ inter theologorum Pippingianas exhibetur) p. 488. immortalis memoriæ

moriæ theologus: & in præfat. in Commentarium Ieſaiæ p. 3. vir, *cuius labores, præcipue exegetici, ita ſint comparati, ut in ſimili ſcriptorum genere nihil unquam conferri cum iis potuerit, & ne quidem ſuo* (Fechtii) *tempore, ubi ſeculum acutius longe ſubtiliusque factum eſſe ſibi videatur, poſſit ullo modo comparari.* Idque ut probet, hæc ſubiungit: Primus omnium fuit, qui libros V. T. biblicos ex ipſa intima hebraicæ linguæ indole, & accentuum præcipue diſpoſitione, quorum naturam, nexum, & diſtinguendi munus ita imbiberat, ut univerſam eorum œconomiam quaſi in numerato haberet, & vix inſpecto textu de ſingularum vocum ordine, virtute, cohærentia, nullo negotio, expeditiſſime iudicaret, interpretaretur. *Crenius* autem in Exercit. SS. priora Moſis tractantibus p. 174. cenſet, *Varenii* Commentarios, ſi tam perſpicue ſcripti eſſent, quam erudite, plures habituros lectores, maiore cum emolumento. Vide Carolum *Arndium* Continuat. Biblioth. bibl. Mayer. p. 38.

XXVII.

Sebaſtiani SCHMIDTII Annotationes in Geneſin. Argentorati 1697. Editæ a Io. *Ullmanno*, paſtore illkirchenſi, qui in Dedicat. teſtatur, auctorem hoc in libro rationem voluiſſe reddere verſionis ſuæ. Faciendum autem eſt diſcrimen inter libros ab ipſo *Schmidtio* typis traditos, & eos, quorum curam alii in ſe receperunt, prout recte monetur in Tomo III. des *Neuen Bücher-ſaals* p. 627. Hic & reliqui Commentarii auctoris noſtri tanti æſtimantur a plurimis noſtratium, ut ceteris omnibus præferantur: hinc *Fechtius* eum ſcribit præ ceteris noſtratium omnibus eminere; Io. Bened. *Carpzovius*, commentarios eius eſſe accuratiſſimos; G. H. *Gœtzius*, omnibus ferme ſcripturæ S. interpretibus videri palmam reddere dubiam; Io. Ioach. *Zentgravius*, ſacrarum litterarum ſenſum profunde eſſe meditatum, & quaſi alterum Hieronymum ad ſalutare hoc opus omni ex parte inſtructum fuiſſe; & Io. Henr. *Hartſchmidt* ſolidum profundumque iſtum interpretem ipſam etiam invidiam admiratam eſſe. Vide Car. *Arndium* l. c. p. 43.

In Gen. II, 17. p. 31. *Arborem* ſeu *lignum ſcientiæ boni & mali* h. l. Deus vocat, non quod hic primum ipſe ſic vocaverit, ſed *Poſtea* a ſerpente ſic vocata fuit. Cap. 3, 5.

Dota-

quod a ſerpente *paulo ante* ſic vocata, hoc nomine iam nota homini eſſet.	
In cap. 30, 20. p. 452. Dotavit me Deus; *mecum* (*enim*) eſt dos bona.	Dotavit me Deus, *me*, *inquam*, dote bona. Henr. Bened. *Starck* in Notis ſelectior. in loca dubia ac difficil. ſcripturæ ſacræ p. 51.
Cap. 31, 32. p. 490. (Sed) cum quo inveneris deos tuos, *non vivet coram fratribus noſtris*: (id eſt, *indicio fratrum noſtrorum*, ſi illis ita viſum fuerit, me non repugnante occidatur) *luſtra* (*itaque*) tibi, quicquid (fuerit tecum.)	*Apud* quem invenies deos tuos, non vivet; *coram fratribus noſtris* (ut arbitris) *fac cognoſcere* (laſs erkennen) *tibi* (deiner wegen, dir zu gut) quid ſit penes me (de tuo) *Idem* p. 53.
Cap. 32, 23. p. 516. Surrexit tamen in nocte *ipſe* (Iacobus.)	Et ſurrexit in nocte *illa*. c. 30, 15. *Idem* p. 516.
In caput 47, 12. p. 747. Pane *etiam* eo, qui ori infantis eſt, ſeu convenit.	Repetatur verbum *ſuſtentavit*, hoc modo: *Suſtentavit*, *inquam*, eos pane *uſque ad os ipſorum parvulorum*, i. e. a maximo ad minimum. *Idem* p. 60.
In caput 48, 22. Quam accepit manu Emoræi, (*quaſi*) gladio meo & arcu meo.	Quam *recepi* ſeu *recuperavi* proprio Marte. *Idem* p. 61.

Seb. SCHMIDTII Commentarius in Ieſaiam, eiusdemque Annotationes in IIX. priora capita Ioſuæ. Hamburgi 1695. Editio ſecunda. Eſaias quidem ab auctore in collegio privato fuit expoſitus. In libro autem Ioſuæ quamvis in IIX. tantum priora capita dederit annotationes, eas tamen uberrimas & longe doctiſſimas confecit, in quibus tum cohærentiam unius verſiculi cum altero, tum omnium ſenſum accurato ſtudio explicaret, ac difficultates textuales, quales in libris hiſtoricis V. T. innumeræ habentur, examinatis præcipuorum interpretum, ut *Maſii*, *Serarii*, *Abulenſis*, *Deodati* ſententiis, dexterrime enodaret. *Acta eruditor.* A. 1693. 493.

XXIIX.

Seb. SCHMIDTII in libros Regum Annotationes. Argentorati 1697. Editæ a Io. *Vllmanno.*

EIVSDEM in prophetam Hoſeam commentarius. Francofurti ad Mœnum 1687. In Præfatione prophetam hunc dicit, ob ſtilum partim & phraſin, partim ob res, de quibus ſuo tempore poſteritati longæ prophetaverit, ſemper eruditis difficilem viſum eſſe; ſe ſe autem eius expoſitionem aggreſſum rogatu diſcentium, neque ſibi de labore hoc quidquam in publicum edendi animum fuiſſe, niſi amicorum & fautorum precibus parendum eſſe iudicaſſet. *Hoſeas*, aiunt Collectores *Actorum erudit*. ad A. 1687. p. 430. *ſtilo adeo conciſo ardua myſteriisque referta vaticinia eloquitur, ut meras parabolas aut ænigmata narraſſe videri queat, quale quid* Ezechieli *obiectum fuiſſe, ipſemet teſtis eſt. At multam ei lucem* Schmidium *noſtrum affudiſſe nemo diffitebitur, qui vel levi oculo perſtrinxerit* verſionem *literalem*, analyſin *logicam*, annotationes *locupletiſſimas*, locosque communes *quam plurimos, ſed pauciſſimis verbis enunciatos; quæ univerſa ad ſingula capita reperias. Modeſte ac candide diſſenſum ſuum ab interpretibus iudæis chriſtianisque ſæpiſſime indicat, ac ad ſingulos pene verſus aliqua monet, quæ tot clariſſimos viros fugiſſe merito mireris.*

Michaëlis BECKII Diſquiſitiones hermeneuticæ, ſive Vindiciæ verſionis Lutheri a cenſura M. A. H. F. auctoris Obſervationum biblicarum, cum Stricturis ad promachum halenſem, M. I. H. M. & Zachariæ *Grapii* Diſſertatione inaugurali, pro baccalaureatu in theologia, de controverſiis quibusdam recentioribus. Vlmæ 1700. M. A. H. F. auctor Obſervationum biblicarum eſt M. Aug. Herm. *Francke*, celebris profeſſor ac paſtor halenſis; promachus autem halenſis, M. Io. Henr. *Michaëlis*, tunc temporis Facultatis philoſ. adiunctus, poſtea & adhuc profeſſor & doctor halenſis, fama meritisque clarus. Vtriusque partis ſcripta iam ſunt in medio poſita, de quibus eruditus & candidus lector iudicet. *Beckius*, uti in Præfatione declarat, Lutheri verſionem pro roſtris ſacris parcius vult & cautius carpi, eosque qui nudum litteræ ebræum ſonum exponunt, non accedere ſenſui litterali propius, nec Lutherum interpretem iure merito carpere autumat; ſed in hisce nec *Franckium*, nec eius promachum habebit contrarios, dicturos potius, ſe ſe libertate interpretandi, non in verſionis receptæ

ptæ detrimentum, ſed in fontium honorem uſos, nec ſibi ingratum fore, ſi quis ſua ſic reiiciat, ut adducat meliora, modo id placide fiat & amice, ac ſine acerbitate & conviciis. Notabis etiam, *anonymum*, qui ſcripſit Vnterſuchung etlicher Oerter des N. T. cuiusque In Præfat. mentionem facit *Beckius*, eſſe Caſp. Ern. *Trillerum*, & *Kraftium* in Emendat. Hiſt. verſion. bibl. germ. Mayerianæ p. 38. ſcribere, *Franckium* nimis duriter a non nullis traduci. De *Beckii* autem hoc labore vide *Schelgvigium* Synopſ. controverſ. p. 41. & *Sideralti* Sendſchreiben p. 15.

1. Reg. 21, 20. p. 150. Nunquid inveniſti me (*ut*) *inimicus meus?*	Num inveniſti me (*talem*, tantaque ultione dignum?) *inimice mi.* Henr. Bened. *Starck* in ſelectior. p. 158.
2. Reg. 8, 16. p. 164. B. Lutherus verba initialia huius capitis, *Et Ioſaphat rex Iudæ*, noluit ad literam reddere, *ne ſcrupulus chronologicus inde oriretur.*	*Hoc non ſufficit:* non enim integrum eſt interpreti, ob hunc alterumve ſcrupulum verba fontium omittere aut reformare. *Idem* p. 167.
Pſ. 118, 27. p. 261. Saubertus latinam paraphraſtæ verſionem ex opere anglicano, non inſpecto textu, oſcitanter exſcripſit, quæ hæc eſt: Ligate *puerum* ad ſacrificium ſolennitatis catenis. *Quaſi* ſcilicet *Molochi ſacra* in his Davidis commendarentur.	Satis patet, intelligi animal ad ſacrificium aptum, nimirum *agnum maſculum tenellum. Buxtorf.* Lex mai. v. טלה p. 874.

Mich. *Beckius*, in ſummo Vlmenſium templo eccleſiaſtes, & S. linguæ in eorum Gymnaſio profeſſor publicus, utraque de cathedra præclare optimeque meritus eſt.

XXIX.

Seb. SCHMIDTII in Iiobum Commentarius. Argentorati 1670. atque iterum editus A. 1690. Dorotheus *Sicurus*, ſive Thomas *Crenius* de Prud. theolog. p. 48. Commentarium iſtum vocat ſolidiſſimum, & Exercit. I. de libris ſcript. opt. p. 31. maximum ſtudium & diligentiam in eum contuliſſe ait. In Dedicatione oſtendit *Schmidius* ex apoſtoli *Iacobi* dicto cap. 5, 11. Iobi hiſtoriam eſſe veriſſimam,

mam, librumque eius commendari, tanquam lectu & auditu non indignum, immo in ipſum ſacræ ſcripturæ canonem referri, & ſancti viri patientiam, tanquam inſignem plane & admirabilem, dilaudari. Ad Iobi explicationem in primis facit uſus linguæ arabicæ, teſtibus Sam. *Bochartoy* Lud. *Capello*, Lud. *de Dieu*, *Hottingero*, & C. *Cellario*: bene igitur fecerunt Io. Abr. *Kromayer*, & Alb. *Schultens*, quorum ille dedit Filiam matri obſtetricantem, qua agitur de uſu linguæ arabicæ in addiſcenda hebræa & explicanda ſcriptura S. cum applicatione ad librum Iobi, hic Animadverſiones philologicas in Iobum, in quibus utitur adminiculo linguæ arabicæ & affinium.

XXX.

Seb. SCHMIDTII Reſolutio brevis ac Notæ in pſalmos propheticos de Chriſto. Argentorati 1688. Sunt autem illi 2. 8. 19. 23. 29. 31. 35. 40. 41. 45. 47. 48. 50. 67. 68. 69. 70. 72. 78. 87. 88. 89. 93. 95. 96. 97. 98. 99. 100. 102. 109. 110. 117. 118. 126. & in Appendice, 14. 53. 16. 18. 20. 21. 22. 24. 132. Vide *Acta erudit.* A. 1688. 397. Commentarius in Eccleſiaſten. 1691. In quo ſæpe a trita via multum recedit. *Acta erud.* A. 1691. 378. in Epiſtolam ad Galatas. Kilonii 1690. Vide *Acta erud.* A. 1690. 491. Faſciculus diſputationum ſuper Epiſtolam Iacobi, Epiſtolam Pauli ad Epheſios, Concionem Chriſti Matth. V. VI. VII. & Canticum Zachariæ Luc. I. Argentorati 1685. Commentatio in Epiſtolam ad Coloſſenſes, cum Paraphraſi capitis VII. IIX. IX. & XI. epiſtolæ ad Romanos, prioris ad Corinthios, duarum ad Theſſalonicenſes, prioris ad Timotheum, epiſtolæ ad Philemonem, & Cantici Mariæ. Hamburgi 1696. De qua rurſus *Acta erudit*, A. 1691. 90.

XXXI.

EIVSDEM Collegium biblicum prius & poſterius. Argentorati 1689. Editio tertia. In illo auctor LXVI. dicta ſcripturæ V. T. in hoc XLVI. N. Ti iuxta ſeriem Locorum theologicorum explicat; & ſicut in illius Præfatione ex Martino *Chemnitio* oſtendit, Locorum theologicorum ſcripta eccleſiæ Chriſti ſumme neceſſaria, in iis autem hæc duo præcipua eſſe, 1. ut orthodoxa theſis nervoſe proponatur, 2. ut Scripturæ loci probe notentur, ſenſusque & uſus eorum in fundanda theſi cognoſcatur, faſſus

faſſus pariter, ſe a receptis veterum recentiorumque expoſitorum interpretationibus, vel in totum, vel in tantum diſſentire, ſed tamen ſine novitatis culpa; ita in huius Præfatione morem laudat veterum Ebræorum, liberos ſuos in primis teneræ ætatis annis ad Scripturarum notitiam deducentium, eorumque exemplum chriſtianis commendat parentibus, & dictum apoſtoli 2. ad Timoth. 3, 15. explicat.

EIUSDEM Reſolutio brevis cum paraphraſi verborum euangelii Iohannis apoſtoli. Argentorati 1685. Animus quidem erat auctori fingendi amphoram, hoc eſt, iuſtum Commentarium adornare; ſed cum opus hoc nimis ei amplum, ſuisque forte viribus præarduum videretur, urceum elaboravit, ſeu Reſolutionem brevem, perſuaſus tamen, breviores eiusmodi reſolutiones & paraphraſes textuum ſcripturæ ſacræ, tanquam compendia, commentariorum vicem explentia, & quædam laborum lectionisque breviaria, doctiſſimis etiam acutiſſimisque viris magnopere commendari.

EIUSDEM in primam Ioannis epiſtolam Commentarius, Francofurti & Lipſiæ 1687. In Præfatione fatetur quidem auctor, commentatione iſta eccleſiam non tantopere indiguiſſe; ſi quis tamen aliquid ad meliorem verborum intellectum, & ampliorem in Eccleſia uſum utilitatemque conferre conetur, aut conferre poſſit, eum, ſi id faciat, adeo reprehendendum non eſſe, ut laudandum ſaltem conatum docti exiſtimaturi ſint. Ceterum oſtendit, interpretes huius epiſtolæ non omnes eadem incedere via: non nullos enim omnem fere negligere cohærentiam, alios vero omnia, quæ in ea continentur, & res & verba, conari ita connectere, ut inter ſe optime cohæreant, eoque ipſo cohærentiam facere coactiorem atque incommodam. Vide *Acta erud.* A. 1687.

XXXII.

Philippi ZEISOLDI Logica ſacra, cum præfatione iſagogica & augmento Aug. *Pfeifferi.* Francofurti & Lipſiæ 1689. ac poſtea Ienæ, 1704. volumina II. Logicam ſacram inter inchoata Sal. *Glaſſii* opera numerat Facultas theologica ienenſis in Reſcripto eiusdem Philologiæ ſacræ præfixo, eſtque illa recentiori eius editioni, uti Parte III. 349. recenſuimus, ſubiuncta; ſed cum

non niſi levis ſit maioris operis delineatio, eam provinciam in ſe ſuſcepit auctor noſter, ita quidem, ut Io. Chriſtfridi *Sagittarii* inſtinctu operi, quod incendio perierat, ſecundam admoveret manum, nec prius, quam abſolutum eſſet, eam retraheret. Diſpeſcitur autem in III. Partes, e quibus Prima continet Obſervationes ſelectiores XIII. de ſubiecto, prædicato, copula, & non nullis ſignis, ſub logici & theologici conſiderationem cadentibus; Secunda Obſervationes XXXIX. de orationibus & enunciationibus ſacris, præſertim novi teſtamenti; Tertia Obſervationes XVI. de particulis rationalibus & ſyllogiſmis, quos eædem formandos notant. *Occaſione illarum Obſervationum* (ſunt verba *Pfeifferi* in Præfatione) *vir diligentiſſimus* loca quam plurima, & ferme innumera Scripturæ *egregie illuſtravit, verbis interpretum formalibus in medium productis, ut adeo ſacrarum litterarum ſerutatores has* Zeiſoldi *Logica ſacra non minus, quam* Glaſſii *Grammatica & Rhetorica ſacra mirum in modum ſublevari queant.* Nec minus *Crenius* utilitatem huius operis commendat, quando Animadverſ. P. I. 109. ſcribit: *Sane qui Theſaurum Linguæ Sanctæ Hebrææ cum Lexico* Iohannis Buxtorfii, *Philologiam Sacram* Sal. Glaſſii, *Logicam Sacram in N. T. comprehenſam* Phil. Zeiſoldi, cum *Grammatica & Lexico N. T.* Paſoris *diligenter cognovit, addiditque* Chriſtiani Noldii *Concordantias Particularum Ebræo-Chaldaicarum, non facile dicti alicuius in Biblico ſenſu indagando hærebit, minimeque de intelligendo ſacris in Scripturis Spiritu ambiget.* Ceterum in Præfatione *Pfeifferus* id agit, ut Logicæ uſum in explicatione ſacrarum litterarum prædicet, & aliquot indicet viros claros, qui de concinnanda Logica ſacra cogitarunt, aut opellæ quid ad eam contulerunt. Argumentum vero eius conſiſtit in Canonibus Logicæ ſacræ XX. olim in collegio hermeneutico ſub manu ipſi natis. Ipſi autem operi duæ ſubiunguntur eiusdem *Zeiſoldi* diſputationes: prior de Chriſti cum Sadducæis diſputatione, *Matth.* 22, 23. poſterior de ſyllogiſmo Salvatoris, *Io.* 8, 47.

Phil. *Zeiſoldus*, altenburgenſis, Ioannis frater, paſtor golnizenſis prope Altenburgum, ſcripſit etiam tractatum de Solvendis ſophiſmatibus, claruitque medio ſæculo XVII.

XXXIII.

Io. Henr. MAII Oeconomia temporum V. T. Francofurti ad

Digitized by Google

ad Mœnum 1706. Qua exhibetur gubernatio Dei inde a mundo condito usque ad Meſſiæ adventum, per omnes antiqui hebræi codicis libros, ſecundum ſeriem ſeculorum & ſimilitudinem rerum; adeòque hic liber eſt quaſi commentarius in totum V. T. Docetur enim in eo de creatione, protoplaſtorum innocentia & lapſu, de fœdere gratiæ, deque eccleſia ſub Patriarchis, in Aegypto & deſerto, ſub Iudicibus, ſub Regibus, in captivitate babylonica, ſub Monarchia medo-perſica, & ſub Monarchia græca. A. 1708. ſecuta etiam eſt Oeconomia temporum N. T. Præſenti operi, quod Collectores *Narrat. innocent.* ad A. 1706. 314. vocant valde laudabile & doctum, & D. *Iæger* Præfat. in tract. de Fœdere gratiæ, pulchrum, auctor gravem, piam, omnique tempore neceſſariam præfixit Præfationem, qua ſtudii biblici tractationem, præcipue in academiis faciendam, non tantum commendat, ſed exigit ac poſtulat, monſtrans, theologiam exegeticam primas ſibi præcipuasque partes vindicare, &, *Franzii* conſilio, admonendos eſſe futuros animarum paſtores, ut ſtatim a primo ingreſſu in academiam, ſacrarum paginarum explicationes, una cum artium liberalium declarationibus, audiant, & ſic diverſis horis toto academicæ vitæ curriculo in utrisque proficiant.

Io. Henr. *Maius*, Pforzhemio-durlacenſis, Capnionis ſive *Reuchlini* civis, *Fechtii*, *Schurzfleiſchii*, *Stolbergii*, *Calovii*. Esdræ *Edzardi*, *Wandalini* & *Witslebii* (nam & in Daniam excurrit) item Seb. *Schmidii* & *Bebelii* diſcipulus, primum Ser. Principis Palatino-veldentiani a concionibus aulicis, deinde præco ſacrorum & profeſſor Durlaci, tandem theol. D. & profeſſor in academia gieſſena, pariterque eccleſiarum ſuperintendens generalis, Conſiſtorii principalis aſſeſſor, ſtipendiariorum ephorus, & pædagogiarcha, pluribus eſt ſcriptis celebris, eorumque catalogus datur in Tomo I. des *Neuen Bücher-Saals* p. 153. Nos tantum aliquorum faciemus mentionem. Eius nimirum ſunt Synopſis theologiæ moralis, Vita *Reuchlini*, Theologia prophetica, quæ prius ſub titulo Diſſertationum ſacrarum prodierat, Examen Hiſtoriæ N. T. *Simonianæ*, Præfatio iſagogica in *Poli* Synopſin Criticorum, Dialogus de fide, additus Dialogis Seb. *Caſtellionis*, Notæ in Hier. *Welleri* Methodum concionandi, Animadverſiones & Supplementa ad *Coccejii* Lexicon, Epiſtola ad D. Io. Fr. *Mayerum*, qua calumniæ crimen ſibi imputatum abſtergit, & *Lu-*

theri

theri Theologia. In primis notandum, eum diſcendo & docendo, ore ſcriptisque nervos omnes intendiſſe, ut ſe atque alios, ut urbem & orbem viva fide & Chriſti cognitione bearet, ut nullum non ſtudiorum vitæque genus ad voluntatem & honorem Dei componeret, ut denique viam cunctis monſtraret, Deo puro corde, ſalva conſcientia, minimeque fucata fide ſerviendi. Hanc bene vivendi artem excepit ars bene moriendi: pie enim placideque animam e vinculis ſuis dimiſit A. 1619. poſtquam vivendo annos 66. & dimidium expleviſſet. Vide *Acta erud.* A. 1688. 14. *Bibliothecarium* nulli parti addictum T. I. 656. *Parrhaſiana* T. I. 369. 374. Iren. *Philaletben* (id eſt, Rhenferdium) im Erſten orſprung der Broedertwiſten p. 99. & *Programma* in eius funere publicatum A. 1719. die 6. Septembris.

XXXIV.

Io. Henr. MAII Examen Criticæ N. T. Rich. *Simonii*. Giſſæ 1694. In quo preſſo pede Simonium ſequitur, ſingulisque capitibus epicriſin ſuam vel cenſuram addit. Præliminaris autem Diſſertatio generalius de Critica ſacra agit, uſum eius, regulas & cautelas in emendando S. codice ſuſcipiendas proponit, & celebriores aliquot, cum antiquos, tum recentiores huius ſtudii cultores commemorat. Acceſſerunt Appendices, videlicet Diſſertatio de inſpiratione librorum ſacrorum, quæ quidem dudum iam publicata fuerat, quaque pertendit, Spiritum S. amanuenſes ſuos non tantum interiore impulſu atque afflatu ad ſcribendum inſtigaſſe, ſed eisdem & res & verba & litteras ſuggeſſiſſe; altera Thomæ *Smithi* de loco 1. Ioh. 5, 7. eiusque Defenſio, qua integritas illius loci a ſuppoſitionis nota vindicatur. Quid autem circa priorem *Parrhaſiana* notent, in ipſis legi poteſt P. I. 369. Interim opus hoc a Collectoribus *Actor. erudit.* ad A. 1695. 343. vocatur limatiſſimum.

Io. Conr. DANNHAVERI Politica biblica, & duæ Orationes pentecoſtales de Spiritus ſancti poëſi, & pictura. Helmſtadii 1701. Edidit I. A. S. D. id eſt Io. Andr. *Schmidt* D. Et auctor quidem proponit nobis Politiam antediluvianam, anteexodicam hebræam, antebaſilicam, baſilicam, Hebræorum ſenio infirmam, captivam, & ſervam ſub quadruplo iugo, chaldæo videlicet, perſico, græco, romano,

Io. Conr.

Io. Conr. *Dannhauer*, natus Kindringæ Briſgoiorum, oriundus Argentina, poëta laureatus, & philoſophiæ magiſter non ſtatim ſe ſe theologiæ dedit; ſed philologiæ per triennium, in hebraicis uſus privata informatione Mennonis *Hannekenii*, poſtea theol. doctoris, & ſuperintendentis lubecenſis, operam navavit. Varias ſalutavit academias Germaniæ, & præceptores ſibi elegit in argentinenſi *Wegelinum*, Io. *Schmidium*, in marburgenſi *Winckelmannum*, *Menzerum*, *Feurbornium*, *Steuberum*, in altorfina Georg. *Kœnigium*, in ienenſi Io. *Maiorem* & Io. *Gerbardum*. Argentinam reverſus factus eſt inſpector Collegii prædicatorum, & mox profeſſor eloquentiæ, poſtea autem, ſumtis honoribus doctoralibus, theologiam docuit: cui muneri acceſſit etiam paſtoratus in ſummo, ut vocant, templo. Neque intra haſce permanſit functiones, ſed etiam conſtitutus eſt præſes Conventus eccleſiaſtici, & Capituli thomani decanus. Vbivis autem ita ſe præſtitit, ut cunctis muneribus par eſſet, magnoque & decori & commodo: unde factum, ut a pluribus aliis Magiſtratibus expeteretur; ſed ille ſorte ſua contentus, omnes illas vocationes modeſte deprecatus eſt, maluitque eo in loco, quem doctrina & ſcriptis animaverat, vitam ponere, idque factum anno 1666. ætatis 63. Mortuum laudarunt Iac. *Schaller*, (in *Wittii* Memoriis theologor. p. 1538.) & D. Balth. *Bebelius*. Vide etiam *Spizelii* Templum honor. reſerat. p. 284. *Reiſerum* in Epiſt. illi annexa p. 413. *Speneram* Præfat. in Tabb. hodoſophicas i 3. qui famam doctoris in noſtra eccleſia illis ait innotuiſſe meritis, ut ne hoſtes quidem elogium viri doctiſſimi, & ingenioſiſſimi, atque diſputatoris incomparabilis denegare ei potuerint. Hoc tamen in eo notatur, quod obſcuriore uſus ſit ſtilo, & in ſacris poëtarum more ſcripſerit. De quo *Boineburgius* in litteris ad *Pruſchenekium* (Tomo I. Faſce V. Actor. litterar. *Struvii* p. 28.) & *Bibliotheca Schrader*. P. I. F. 7. Vide tamen *Crenium* de Singularib. ſcriptor. p. 105. qui cum *Schallero* obſcuritati illi aliam induit faciem, ſcribens, *Dannhauerum* non aures permulſiſſe blandiori ſono, ſed ſtilum eius habere ſuæ maieſtatis pondus, & plus indigitaſſe, quam dicebat. Quod autem ad ſcripta viri attinet, eorum catalogi exſtant apud *Wittium* & *Spizelium*, interque ea eminent Idea boni interpretis & malitioſi calumniatoris, Idea boni interpretis & malitioſi ſophiſtæ, Oratio panegyrica de GVSTA-

VI ADOLPHI Suec. Regis victoria ad Lipſiam, Chriſteis, Hodoſophia chriſtiana, Gorgias leontinus ſophiſta in Valeriano *Magno* redivivus, Onirocritarum batavorum (Hadriani & Petri *de Walenburch*) Deliquia, cum Barth. *Nihuſii* Anoëtica, Hodomoria ſpiritus papæi, Hodomoria ſpiritus calviniani, Vale triumphale Melch. *Corneo* dictum, Hyæna freiburgica ab ovili Chriſti depulſa, ſeu Irenici catholici Thomæ *Henrici* elenchus, Nuntius nuntio britannico Io. *Duræo* miſſus, & Lac catecheticum: quod tamen non fuit abſolutum.

G. CALIXTI Exegetica recenſio pſalmi I. cum Præfatione & Poſtſcripto Chriſtoph. Henr. *Ritmeieri*. Helmſtadii 1713.

Chriſtoph. Henr. *Ritmeier*, helmſtadienſis, primum græcæ linguæ, deinde theologiæ, ſumta eius laurea profeſſor in academia Iulia, emiſit Diſputationes de Armatura ſpirituali, Analyſi apoſtolo deſiderata, Nominibus divinis ſtilo Scripturæ rem amplificantibus, Signo frontis bonorum Iſraëlitarum, Quotidiana chriſtianorum morte & reſurrectione, Orationes de reconcilianda græca LXX. interpretum verſione cum fonte hebræo, de palingeneſia ſtudii philologici, de recto ſtudii theologici ſcopo, de bono academiæ, item Gerh. *Titii* Animadverſiones exegeticas ad ſcripturæ S. loca inſigniora, & Conringiana epiſtolica, ſive excerpta ex ineditis *Conringii* epiſtolis, animamque efflavit A. 1719. cum vixiſſet annos 48. cum dimidio. Vide *Programma* funebre, poſitum d. 4. Auguſti anni prædicti, auctore D. Iuſto Chriſt. *Bœhmero*.

Io. Frid. HOMBERGKII Parerga ſacra, ſive Obſervationes ad N. T. Traiecti ad Rhenum 1712. In quibus ea præcipue in medium adducuntur, quæ ex græcæ linguæ uſu, vel ex ipſius contextus ſerie, ad intellectum quorundam locorum quid conferre poſſe videbantur, atque ita auctor media incedit via inter reiectionem uſus ſcriptorum ethnicorum ſive profanorum, & opinionem de hebraiſmorum in N. T. dominio perpetuo. Recenſentur in *Actis erudit.* A. 1712. 385. *Nova biblioth.* T. IV. 360. & dans le *Journal des Savans* A. 1713. 243.

Io. Frid. *Hombergk* zu Vach, natus Marburgi Cattorum A. 1673. ICtus & philologus, uti auctores *Actor. erudit.* loquuntur, „ conſummatiſſimus, magno cum adplauſu docet in academia patria, eamque & doctrina & ſcriptis condecorare ſtudet. Et ſcripta quidem

dem eius ſunt Hypomnemata iuris naturæ in uſum Collegiorum, Compendium iuris publici, Nova verſio Novellarum IVSTINIANI Imp. omnium cum Notis, Tractatus curioſus de iure naturæ, & Diſputationes de iure hominis in res creatas, de iure quod ex iniuria oritur, de principio iuris naturæ, ac de veritate iuris naturæ.

XXXV.

Renati Andr. KORTVMII Verſio & paraphraſis libri Iob. Lipſiæ 1708. Germanice. Et in Paraphraſi quaſi id dedit operam, ut non tantum verum monſtraret ſenſum litteralem, & allegoricas locutiones enodaret, ſed & emphaſin cuiusvis locutionis, ac nervum argumenti oſtenderet. Quæ omnia pluribus indicavit in Præfatione. Ipſi autem operi ſingulare præmittit ſcrutinium loci cap. 19, 25. 26. 27. qui vulgo de reſurrectione corporis explicatur; auctor vero oſtendere ſatagit, eum loqui de reſtitutione Iobi in priſtinam ſanitatem, adeoque eſſe teſtimonium de conſtantia ac ſpe firma Iobi, qua ille credat, Deum ſe defenſurum contra hoſtes ſuos, eiusque auxilium oculis ſe ſuis procedente tempore viſurum: interim articulum de reſurrectione mortuorum firmo ſtare talo, nec vim aut detrimentum pati, etiamſi hic locus eum proponere negetur.

Renatus Andr. *Kortum*, paſtor antehac aſcherslebienſis ſive aſcanienſis, nunc hattingenſis in Marchia Weſtphaliæ, verſione & expoſitione hac incidit in adverſarium, qui ſibi eam deberi contendebat, deinde in alium, videlicet M. Thomam *Haverum*, paſtorem dortmundanum, qui eius conſcripſit ediditque refutationem. Vide *Relat. innoc.* A. 1716. 553. Neque D. *Zeltnero* Diſſert. de novis Biblior. verſionibus german. p. 128. hæc opera videtur immunis eſſe ab oppoſitionibus & ſuſpicionibus, ſaltem ab aliis movendis, quamvis non proletariam litteraturæ hebraicæ notitiam in auctore laudandam eſſe, plane & expreſſis verbis fateatur.

EIVSDEM Verſio & paraphraſis vaticiniorum Ieſaiæ. Lipſiæ 1704. Cum brevibus Annotationibus, & Tabula nova Palæſtinæ. Itidem germanice. Subiungitur Appendix, in qua hominum, urbium, provinciarum, montium & fluviorum nomina peregrina explicantur. Præfatio autem eſt ampla, variique argumenti, ut, de præſtantia libri Ieſaiæ, de utilitate paraphraſeos continuæ, e-

iuſque a commentariis diſcrimine, de duplici ſenſu Scripturæ, litterali videlicet & myſtico, eorumque uſu in interpretatione, de requiſitis ad recte faciendam explicationem prophetarum, & certis regulis, ad quas interpres ſubinde oculos ſuos dirigere obligatus ſit: denique negat, ſe in hoc opere reſpectus humanos habuiſſe, rationem autem habuiſſe celebrandæ gloriæ nominis divini, & promovendæ ſanctæ veritatis.

XXXVI.

I. L. (id eſt, Iobi LVDOLFI, teſte *Placcio* de Anonymis p. 131.) מחקק יהודה אינגר Dux Iudæorum ſublatus. *Gen.* XLIX, 10. Ienæ 1674. Examinatis & reiectis aliis interpretationibus auctor hanc adfert c. V. §. 13. p. 29. *Non decedet* (auferetur) *ſceptrum* (principatus) *de Iuda, neque dux belli de* (inter, e medio) *vexillis eius*, inter quæ ſcilicet verſari ſolet, donec venerit Schiloh. Vel affirmate: *Manebit principatus penes Iudam, & dux militaris inter vexilla eius*, ſeu ordines militares Iudæorum, *donec venerit Schiloh*, h. e. Tribus Iuda tamdiu habebit ſuos Principes ac Duces, ſive iura pacis & belli, donec venerit Meſſias. Hæc interpretatio inde nata eſt viro doctiſſimo, quod in codice hebræo ſamaritanis litteris deſcripto, cum quo & alii Samaritanorum codices conſpirant, loco רגליו legitur דגליו id eſt, vexilla eius. Præterea notandum eſſe ait, non hic annum vel diem deſignari, quo finis ſit futurus imperii & poteſtatis Iudæ, ſed tantum dici, futurum ante Meſſiæ adventum. Perpulchra a *Wagenſeilio* in Confut. Carminis lipmanniani p. 274. vocatur hæc Diſſertatio, etiamſi eam non per omnia adprobet.

Iobus *Ludolf*, erfurtenſis, primum medico, deinde iurium, potiſſimum autem linguarum, cum omnium in Europa, tum orientalium & æthiopicæ ſtudio operam dedit, Barthol. *Elſneri*, Conſtantini *l' Empereur*, Iac. *Golii*, *Nathanielis* hieromonachi, *Meletii*, *Hierothei*, *Gregorii* abbatis, *Bocharti* (quem tamen ipſe viciſſim, ut & *Hottingerum*, informabat in æthiopicis) diſcipulus, & quamvis peragrata Germania, Hollandia, Gallia, Italia, Britannia, Dania & Suecia, (ubi innoteſcere & æſtimari cœpit magnis nominibus, *Puteanis*, *Sarravio*, *Drelincourtio*, *Capello*, *Voetio*, *Schurmannia*, CHRISTINAE reginæ, Card. *Mazerino*, *Freinshemio*, Nic. *Heinſio*, Iſ. *Voſſio*, *Boeclero*, *Bartholino*, *Scavenio*, *Wormio*, Comiti a *Windiſchgratz*,

gratz, Herm. *Nunneſio* legato Regis Luſitaniæ, Magno *de la Gardie*, Sam. *Pufendorfio*, Esdræ *Edzardi*, Gisb. *Cupero*, Mar. *Meibomio*, Io. Georg. *Gravio*, *Boylio*, *Caſtello*, *Iuſtello*, *Evremontio*, Thomæ *Hyde*, Ed. *Bernardo*, *Pocokio*, *Blondello*, *Vaillantio*, *Sirio*, Petro *Allix*, Lud. *Piques*, *Mabillonio*, *Huetio*, abbati *Renaudot*, Comiti a *Villa Maior*, itidem Legato luſitanico, & pluribus aliis) variis admotus eſſet muneribus, (fuit enim gubernator Principum iuventutis ſereniſſimi *Erneſti* Pii, inde conſiliarius eiusdem aulicus, poſtea ſub *Friderico* ſucceſſore director Cameræ principatus altenburgenſis, tandem conſiliarius cæſareus, & Ducum Saxoniæ a conſiliis intimis, nec non reditibus Electorum palatinorum præfectus) continuo tamen & impigre linguis excolendis, cum primis abiſſinicæ vacabat, multo magis autem in otio francofurtenſi ad Mœnum, quod dimiſſione clementiſſima impetrata, in nobili illo mercium ac litterarum emporio ſibi elegit, ubi etiam poſt exantlatos labores quievit A. 1704. ætatis fere 80. Scripta eius ſemper victura ſunt ſequentia: Schola latinitatis uſui pædagogico in gymnaſio gothano accommodata, Hiſtoria æthiopica cum commentario, Epiſtola æthiopice ſcripta ad univerſam Habeſſinorum gentem, Verſio & notæ ad epiſtolam Sichemitarum ipſi transmiſſam, Diſſertatio de locuſtis, Grammatica & Lexicon cum æthiopicæ, tum amharicæ linguæ, quæ Habeſſinorum eſt vernacula, Verſio latina pſalterii Davidis æthiopici, & Theatrum hiſtoricum rerum ſæculo XVII. per omnem Europam geſtarum. Plura videantur apud Chriſtianum *Iunckerum* in Vita Ludolfi, eique iunge *Bibliothecam novam* T. I. 302. *Acta erud.* A. 1710. p. 263. A. 1713. 101. & *Sagittarium* Introduct. in Hiſt. eccleſ. 392. In Epitaphio marmoreo, quod Francofurti in æde S. Catharinæ ſpectatur, audit fama immortalis, & qui litteris atque hiſtoriæ Habeſſinorum tantum lucis attulerit, quantum in Europa nemo; apud *Colomeſium* p. 236. non Germanorum modo, ſed & Europæorum omnium æthiopica in lingua longe erudatiſſimus; in *Felleri* Monumentis variis ineditis, iudice abbate *de Longue rue*, ſolus in Europa homo, qui perfecte calleat linguam æthiopicam. Ne dicam de *Actis erudit.* A. 1682. 64. *Wagenſeilio* l. c. & p. 264. *Buſmanno* Obſervat. SS. §. 36. & *Bocharto* Præfat. in Hierozoicon.

Notitia Karæorum, ſive Tractatus MARDOCHAEI, cum verſione latina & notis Ioannis Chriſtoph. *Wolfii*, & Iacobi *Triglandii* de Karæis diſſertatione. Hamburgi 1714. Per *Karæos* intelliguntur illi inter Iudæos, qui, ſpretis Patrum ſive Rabbanitarum traditionibus, Scripturæ ſacræ unice adhærent, eiusque ſimplicem ſenſum litteralem ſequuntur & admittunt. Eorum hiſtoriam & fata enarrat CL. V. Io. Chriſtoph. *Wolfius* in longa & erudita Præfatione, qua tres Karæiſmi epochas conſtituit, dicens, etſi non Karæorum nomen, rem tamen ipſam ſive homines, qui Karæi appellari poſſent, omni tempore fuiſſe, quo non nulli legem ſcriptam ſive libros ſacros veteris pacti, tanquam unicam & fidei & vitæ normam, acceptaverint: & primam quidem, ſeu exiliorem & adoleſcentem epocham poni poſſe in traditionum phariſaicarum initio, h. e. in termino 150. annorum ante natum Chriſtum; ſecundam, eamque robuſtiorem & firmiorem, in ſæculo IIX. usque ad XV. tertiam, quam languidam & ſeneſcentem vocat, inde a ſæculo XV. quo tempore Karæi ſive Schammæani a Rabbanitis ſeu Hillelianis, traditionum patronis, afflicti, ſuppreſſi, ac pæne ad incitas redacti ſint. Ceterum dicit de ſcriptis Karæorum, ſive editis, ſive manu exaratis, de ſcriptoribus, qui vel tralatitia, vel maiore opera Karæorum res perſecuti ſunt, deque præſentis inſtituto editionis, nimirum interpretationem latinam, quoad fieri potuit, ſe ſe hebræo textui accommodaſſe, Notas ad illuſtrandum aut confirmandum textum adornaſſe, & triglandianæ diſſertationi Indicem ſubiunxiſſe. Recenſetur hoc opus non tantum in *Actis eruditorum* A. 1714. p. 398. ſed etiam in *Narrat. innoc.* ad eundem annum p. 841. in *Nova biblioth.* T. IV. 912. & in *Conclavi libror. nov.* T. IV. 613. Et triglandiana quidem Diſſertatio, iudice *Wolfio* in Præfat. p. 18. eo, quod multa antiquitatis ſacræ capita nunc in tranſcurſu tangit, nunc fuſius perſequitur, commendari ſuo quaſi iure debet.

R. *Mordechai* ben Niſan, iudæus polonus, vivens in Croſni Oſtro, haud procul Lemberga, excitatus a Triglandio tractatum hunc ſcripſit, atque ad eum tranſmiſit anno Chriſti 1699. ita ut, antequam ad ſcribendum accederet, non tantum præcipuos ſuæ ſectæ doctores conſuluerit, ſed libros etiam maiorum ſuorum diligenter evolverit. Periiſſet autem, cel certe in obſcuro latuiſſet, egre-

egregius tractatus hic, niſi ex bibliotheca triglandiana ſub haſta divendita ad manus perveniſſet litteratiſſimi viri Io. Frid. *Winckleri*, nunc ad S. Nicolai apud Hamburgenſes paſtoris vigilantiſſimi, ab eoque in uſum boni publici communicatus fuiſſet cum celeberrimo VVolfio.

Io. Chriſtoph. *Wolfius*, in lucem editus VVernigerodæ A. 1683. *Anckelmanni*, *Edzardorum*, Io. Alb. *Fabricii*, Io. Frid. *Mayeri*, *Læſcheri*, *Neumanni*, *Wernsdorfii*, *Schurzfleiſchii*, *Wichmanshauſii* diſcipulus, primum conrector lycei flensburgenſis, & confectis itiribus in Belgium, Angliam & Daniam profeſſor philoſophiæ extraordinarius in academia vitembergenſi, inde orientalium linguarum in hamburgenſi gymnaſio profeſſor, & nunc paſtor ad S. Catharinæ ibidem primarius, multis præclaris ingenii monumentis perquam eſt celebris. Sunt autem illa: Index ſcriptorum, ab *Euſtathio* in commentariis ad Homerum citatorum, Diſpp. II. de mythica Moralia tradendi ratione nov-antiqua, Hiſtoria lexicorum hebraicorum, Philoſophumena quæ ſub Origenis nomine circumferuntur, Viſio crucis CONSTANTINO M. in cælo oblatæ, adverſus recentiores quosdam vindicata, Vſus talmudicæ rabbinicæque lectionis elencticus aſſertus contra *Gußetum*, *Spenceri* de Zabiis hypotheſis excuſſa & reiecta, Manichæiſmus ante Manichæos & in chriſtianiſmo redivivus, Oratio de præcocibus eruditis, Abſurda *hallenſia*, Notæ ad *Phædri* fabulas, Programma de ſcepticiſmo, eiuſque cauſſis, Carcer eruditorum muſeum, Vindiciæ atheiſmi falſo ſuſpectorum, Caſauboniana, Diſſertatio epiſtolica qua *Hieroclis* commentarius partim illuſtratur, partim emendatur, Diſſertatio de apparatu Philiſtæorum bellico, ut vindicetur locus 1. Sam. 13, 5. Diſſertatio de iuvencis labiorum Hoſ. 14, 3. *Libanii* Sophiſtæ epiſtolarum ineditarum Centuria ſelecta, Stricturæ in *Gregorii* Naz. Carmina a Muratorio edita, Hiſtoria Bogomilorum, Diſſertatio de Catenis Patrum græcorum, Diſſertatio qua phraſis, *Diu poſteri*, veræ ſuæ notioni vindicatur, Diſſertatio qua methodus hebraiſmi nova, ab erudito gallo nuper propoſita, examinatur. Vide Io. Henrici *Von Seelen* Commentationem de *Wolfii* noſtri vita, ſcriptis & meritis in remp. litterariam, qui & p. 48. & ſeqq. aliquot præconia adfert a viris doctis ei tributa. Quibus nos addimus egregium illud celeberrimi Severini *Lintrupii*, Præfat. in Borrichii

Diſſer-

Diſſertationes pag. 11. quo eum vocat virum ingenii, eruditionis atque induſtriæ ſingularis gloria florentiſſimum, ſibique amiciſſimum.

Iacobus *Triglandius*, Iacobi filius, Iacobi nepos, eorumque, ſi præcellentem (verba ſunt eorum, qui *Acta eruditorum* colligunt, ad A. 1703. p. 63.) ſpectare eruditionem velis, heres ex aſſe, in academia Lugduno-batava S. theol. D. & antiquitatum hebraicarum profeſſor, primus omnium ex ſcriptoribus chriſtianis, certiora de Karæorum conditione attulit, atque ita celebre gentis ſuæ nomen adhuc reddidit celebrius.

Pentaphyllum rabbinicum, ſeu Commentiones V. præcipuorum Rabbinorum, nempe *Raſchi*, *Abben Eſra*, *Baal Hatturim*, *Chaskuni* & *Raschbam* in caput 49. Geneſeos, in latinum converſæ ſermonem a Io Frid. LOSCANO. Francofurti ad Viadrum 1710. *Chaskuni*, ſive, ut alii, *Chasſecuni*, quod idem eſt ac Confortate me, eſt commentarius litteralis & myſticus in Pentateuchum, collectus ex Rabboth, Mechilta, Siphra & aliis libris, eo conſilio, ut ſupplementi loco eſſet in commentarium Raſchi, habetque auctorem *Chiskiam* filium Manoach. Vide *Placc.* de anon. p. 692. & *Wolfii* Bibl. hebr. 364. *Raſchbam* autem eſt R. *Schlomo ben Melech*, qui ſcripſit Michlal Iophi, id eſt, perpetuum & litteralem in totam ſcripturam ſacram commentarium ex præſtantiſſimis Iudæorum interpretibus, præcipue autem Commentario, Grammatica & Lexico R. Davidis *Kimchii*. De quo plura apud CL. *Wolfium* l. c. p. 1075.

Io. Frid. *Loſcanus*, natus Cuſtrini in Nova Marchia A. 1696. tunc, cum iſta verteret, adoleſcens, nunc philoſ. & opt. artium magiſter, ea excultus eſt linguarum ac ſcientiarum peritia, ut utilem ſive academieæ ſive eccleſiaſticæ cathedræ operam præſtare valeat, in præſenti autem bene meretur de nova editione ſacri codicis ebraici, quæ Halæ Saxonum paratur.

Guſtavi Georgii ZELTNERI Diſſertatio de novis Bibliorum verſionibus germanicis non temere vulgandis, contra C. E. *Trillerum* & I. H. *Reizium*. Altorfii, anno, qui quidem non adſcriptus eſt, 1711. Editio altera, (prior enim exhibuit diſputationem inauguralem, habitam A. 1707. die 12. Aprilis) cui acceſſere Io. *Wigandi* Oratio de cauſſis, cur Catechismus Lutheri in eccleſia ſit retinendus, & ſuppoſititii fugiendi, & Abr. *Calovii* Iudicium de

Verſione

Verſione nova Bibliorum helmſtadienſi. At quænam hæc? Nimirum eſt verſio illa, quam iuſſu ſereniſſimi ſapientiſſimique Brunſvicens. ac Luneburg. Ducis Auguſti auſpicatus eſt Io. *Saubertus*, tunc temporis profeſſor orientalium linguarum in academia Iulia; ſed quis locus impreſſionis in fronte libri nominandus fuiſſet, incertum eſt, quia de rubro operis, non niſi ad XVII. caput prioris libri Samuelis perducti, ne cogitatum quidem illo fuit tempore. Perſcriptum fuit iudicium iſthoc ad principem tunc temporis theologorum electoralium ſaxonicorum, D. Mart. *Geierum*, in eoque diſſuadetur publicatio novellæ verſionis. Recenſionem autem Zeltnerianæ huius Diſſertationis vide, ſi placet, in Tomo V. *Supplement. Actor. erudit.* p. 395.

G. G. *Zeltner*, natus Hilpoltſteinii in ditione noribergenſi A. 1627. S. theol. D. eiusque & græcæ linguæ profeſſor, eccleſiæque antiſtes, præclaris diſputationibus & tractatibus magnum ſibi eruditionis nomen acquiſivit ac tuetur, quarum illæ ſunt de Cruce Pauli 2. Cor. 12, 7. Eloquentia hæreſium obſtetrice, Vita & fatis Leonh. *Culmanni*, de Schilo Gen. 49, 10. Initiis baptiſmi initiationis Iudæorum, *Alexandra* Iudæorum regina, Euangelio tetragrammato e N. Tto exulante, Dei præceptis non bonis Ezech. 20, 25. 26. de Imagine diaboli loco divinæ Gen. 5, 22-24. de Munimento capitis fœminei contra angelos, de Gad & Meri Iudæorum hodiernorum diis Eſa. 65, 11. Subiectione Ieſu Chriſtiglorioſa 1. Cor. 15, 23. 28. Chiliaſmo præſente Apoc. 20, 4. de erudita Virgine iudæa per tranſennam docente, Genuino coniugiorum prohibitorum fundamento, Iuſtificatione particulari, Periodeutis veteris eccleſiæ reſtituendis, *Rebecca* polonica, & Typo polygamiæ in N. Tto abolito; ex hiſce, Schediaſma de Pauli *Lautenſackii* fatis & placitis, ac Breviarium controverſiarum cum Remonſtrantibus.

Abr. *Calovius*, Marunga-pruſſus, S. theol D. & in academia vitembergenſi profeſſor publ primarius, Electoratus ſaxon. ſuperintendens generalis, Ordinis theologici & Conſiſtorii eccleſiaſtici ſenior, interfuit Colloquio caritativo thorunienſi, & multa ac perpetua bella geſſit contra varios diſſentientes; (conſignavit enim Examen ætiologiæ Io. *Kirtheri*, Matæologiam *papiſticam*, Examen novæ, ut vocat, theologiæ G. *Calixti*, Io. *Behmii*, Chriſtiani *Dreieri*, & Io. *Latermanni*, Syncretiſmum *calixtinum*, Summariam

confutationem pſeudoſtereomatis *Bergiani* de verbis inſtitutionis ſacræ cœnæ, Præmonitionem de ſcripto calumnioſo Ioannis *Böttcheri*, Vindicias arminianiſmi Henrico *Nicolai* oppoſitas, Examen publicæ *Reformatorum*, & *ſyncretismi* in articulo de perſona Chriſti doctrinæ, Δοκιμασιαν ſpiritus ſyncretiſtici contra Diſſertationem Io. *Hoornbeeckii* de conſociatione Reformatorum & Aug. confeſſioni addictorum, Syntagma *antiſycretiſticum*, Hiſtoriam *ſyncretiſticam*, Diſcuſſionem infallibilitatis novæ chronologiæ biblicæ Chriſtiani *Ravii*, Conſiderationem *Arminianiſmi*, Biblia V. T. illuſtrata adverſus corruptelas *Iudæorum*, *Hæreticorum*, maxime modernorum, & depravationes *Grotianas*, Diſſenſum theologorum *ienenſium* ab orthodoxis electoralibus, *Scripta antiſocinianæ*, in quibus & *Anticrellius*, in unum corpus collecta) atque in ſexto coniugio exſpiravit, anno Chriſti 1686. ætatis 74. comparatus a D. Io. Frid. *Mayero* in ſollemni panegyri cum S. Athanaſio, τῳ πολυαθλῳ, omnibusque Patribus, uti *Baronius* ad A. 407. n. 35. iudicat, ſine invidia præferendo: ſi nempe, ut idem ad A. 372. n. 65. ſe ſe explicat, acerbiora diuturnioraque, quæ ſubiit, proelia lubeat reſpicere. Vide *Pippingii* Memorias theologor. p. 108. C. S. *Schurzfleiſchii* Orat. in eius funere habitam, *Wittium* Diar. biograph. Yyyy 3. *Carpzovium* ad Schickardi Ius regium p. 44. *Schurzfleiſchium* apud *Gottwalt* in Defenſione *Buddei* contra Seb. *Edzardum*, *Boineburgium* Epp. ad Dietericum p. 318. Bibliothecam *Schraderianam* P. I. E. 8. & *Crenium* Præfat. in Faſcem V. & Exercitatatione III. de libris ſcriptor. optimis p. 20.

Ionæ Conradi SCHRAMMII Synopſis corporis doctrinæ Iulii, cum Præfatione de primis Corporis doctrinæ Iulii initiis, & Timoth. KIRCHNERI libello de diſciplina eccleſiaſtica. Helmſtadii 1712.

Vrbani Godofredi SIBERI Tractatus de aquæ benedictæ potu brutis non denegando. Lipſiæ 1712. Occaſio huius tractatus ſcribendi data eſt auctori, uti ferebatur, a facto, quo hircus in celebritate verſans, ad ſacellum quoddam acceſſit, foetidumque os ſuum in vaſculum aquæ benedictæ immiſit, atque inde bibit, quantum ad ſitim levandam ſatis erat. Inquirit igitur ille in antiquitatem aquæ benedictæ, atque ſuſpicatur, originem ducere ex eo tempore, quo cærimoniæ fuerunt multiplicatæ, conſecrationem autem ſæculo demum IX. eſſe imperatam. EIVS-

EIVSDEM Oſtenſio, canem e templis eſſe exterminandum, iuxta leges eccleſiaſticas. Lipſiæ 1712. Canem docet omnium animantium & laudatiſſimum & viliſſimum eſſe, e ſacris tam Iudæorum, quam Chriſtianorum fuiſſe profligatum, probabiliter autem abactum per oſtiarios, ſicut noſtris in eccleſiis propellitur a lorariis; qui tamen pluribus in locis vel non conducantur, vel deſides ſuo ſe præbeant in officio.

Vrban. Godofr. *Siberus*, A. 1669. natus Scandæ ad Albim, *Schurtzfleiſchii*, Seb. *Edzardi*, Chriſt. *Kortholti*, *Deutſchmanni*, *Læſcheri*, *Neumanni* & *Hanneckenii* diſcipulus, primum ſcholæ ſchneebergenſis rector, deinde eiusdem urbis eccleſiaſtes, iam S. theologiæ licentiatus, Antiquitatum ſacrarum in academia lipſienſi profeſſor, atque ad S. Thomæ ſacerdos, variæ atque amœnæ vir doctrinæ, condidit varios & elegantes tractatus ac diſſertationes, nimirum in academia vitembergenſi de σκληροκαρδια, de Ancæo ad Plauti Rudentem: Schneebergæ de Moly *Hermetis* herba, Ducenariis, Statua *Memnonis*, Die cinerum, Collaribus clericorum tubulatis & planis, atque illuſtribus *Alemannis*: Lipſiæ de Martyribus, teſtibus divinitatis Chriſti, Prolegomena ad Hiſtoriam *Melodorum* græcorum, de Sanctis columnaribus, Albatis, Moris & ſalis propter Chriſtum, S. *Spyridione* epiſcopo trimithuntino, qui vixit ſæculo III. & IV. vir non ſtupidus, ſed ſanctæ ſimplicitatis, de Epiſcopis gazenſibus, *Godeſchalcis*, & Templorum dedicationibus; atque ad prelum parata habet *Cyriacum* confictum a R. Pontifice, Vitas *Macariorum*, Hiſtoriam *Melodorum* græcorum & latinorum, Diſſertationem de uſu florum in eccleſia, Hiſtoriam epiſcoporum antiochenſium, Supplementum hæreſium & hæreticorum, Hiſtoriam *Danielis* Stylitæ ex MSS. græcis lipſienſibus, ad ſupplendum ſcriptores Hiſtoriæ byzantinæ, Vitas epiſcoporum cæſarienſium, & Supplementum ad *Gallonium* de cruciatibus martyrum.

XXXVII.

Io. Wilh. PETERSENII Explicatio pſalmorum Davidis. Francofurti & Lipſiæ, 1719. Germanice. Plenus titulus ita ſonat: Pſalmi Davidis, ſecundum menſuram datæ a Chriſto gratiæ, in prædivite ſenſu prophetico, clave Davidis reſerati atque aperti per D. Io. Wilh. *Peterſen*. Rationem inſtituti ſui indicat auctor in

Præfatione,ſcribens: Sacrorum bibliorum quaſi epitomen eſſe librum pſalmorum, complectentem omnes articulos fidei, multa etiam vaticinia nec dum impleta, ut Pſ. 8, 22. 45. 72. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 110. curandum tibi autem, ut ſacrum hunc librum cum utilitate legas; idque fieri poſſe, ſi viis iſtis, quibus theologus fieri dicitur, utaris, nimirum, ut 1. otes Deum pro erudiendo per Spiritum ſanctum intellectu tuo, 2. ut rem ipſam in pſalmis propoſitam ſancta meditatione & conſideratione in te ſentias, 3. ut cruce & calamitate preſſus, ſanctos illos, qui pſalmos compoſuerunt, imiteris, atque ex fonte ſolatia petas, iisque animum afflictum erigas atque reficias, cetera vero in ſumma erga Deum reverentia conſtanter perſiſtas, omnemque ei gloriam tribuas in ſæcula ſæculorum.

EIUSDEM Myſtica domus piæ Chloës corinthiæ. Francofurti & Lipſiæ 1719. Etiam germanice. Eſt explicatio 1. *Cor.* 1, 10-13. qua deſcribitur chriſtianiſmus a ſectis alienus; in pudefactionem eorum, qui ſectis delectantur, perque triſtes diviſiones ſe ſe a fratribus ſeparant, aut fratres a ſe, quantum in ipſis eſt, expulſum eunt. Præfatio acceſſit Chriſtiani *Anonymi*, id eſt, D. Io. Phil. *Odelemii*, qua propoſitum auctoris laudat, animumque ſuum a ſchismatibus alienum declarat, cum illuſtri Chriſtiano *Thomaſio* ſentiens,neque pietatem, neque ſapientiam ſectæ ſtudioſam eſſe.

XXXVIII.

Io. Henr. ALSTEDII Trifolium propheticum, ſeu Explicatio Cantici canticorum,Danielis & Apocalypſeos Ioannis. Herbornæ 1640. Explicatio hæc ita inſtituitur, ut ſeries textus & ſeries temporis prophetici e regione poſitæ lucem menti, & conſolationem cordi ingerant. Et *tres hæ prophetiæ*, (uti *auctor* in Præfatione loquitur, pro certo aſſumens, tres illos libros eſſe prophetiarum de Chriſto & Eccleſia quoddam breviarium). *iisdem prorſus veſtigiis inſiſtunt. Communibus enim temporibus eosdem prædicunt eventus, & omnes ſibi finem in eadem meta ſtatuunt: initiis tantum diſtant, quantum Salomon Danielem, & Daniel Ioannem ætate præcedit. Itaque Salomon a Davide patre ſuo, Daniel a Nebucadnezare, Ioannes a Chriſto incipit, & inde ſtatum Eccleſiæ usque ad finem mundi, ſuis quisque intervallis & periodis, depingunt.* Secutus eſt auctor commentarios Io. *Brigtmanni*, & in ſerie Apocalypſeos prophetica *Grajerum* filium. Ale-

Alexandri MORI Cauſa Dei, ſeu de ſcriptura ſacra Exercitationes. Medioburgi 1653. Sunt primitiæ auctoris genevenſes, ſive prælectiones de Scripturæ auctoritate, canone ac integritate, & perfectione, non ab ipſomet ſcriptæ, ſed a Fran. *Turretino*, auditore tunc maximæ ſpei, poſtea ſpem iſtam non modo implente, ſed etiam ſuperante, ac præſtantiſſimo theologo, calamo exceptæ, eidemque poſtea, ut rivus ad fontem ſuum reduceretur, donatæ, cum hac petitione, ne auctor eas publico invideret, ſed aliquando typis committeret. Huic igitur deſiderio ut reſponderet auctor, pariterque typographo roganti, num quid imprimendum haberet, ſuamque ad id operam offerenti, ſatisfaceret, Diſſertationes haſce publicandas curavit, neque in iis quidquam niſi, fervente prelo, paucula quædam correxit, addidit, aut mutavit.

Pag. 148. Dirarum conſuetudo non erat apud Græcos Romanosque, *niſi cum extrema inciderant*, uſitata.

Etiam aliis temporibus: nam & libris apponi ſunt ſolitæ, non modo a Iudæis, eorumque exemplo a Chriſtianis, ſed & *a Romanis, Græcis & Barbaris*. I. A. *Fabricius* Biblioth. gr. l. 5. c. I. p. 75.

Alexander *Morus*, natus in Caſtro, Occitaniæ oppido, primum apud Genevenſes profeſſor græcæ linguæ, quam, tanquam lauream, inter plures candidatos legitimo in certamine, (laudabili certe exemplo, quod omnes omnino Magiſtratus, ne fungi irreperent, ſequi deberent) quum eius peritiſſimus omnium iudicaretur, reportavit, deinde Friderico *Spanhemio* Leydam vocato in cathedra tam academica, quam eccleſiaſtica ſucceſſor datus, inde utroque illo munere functus Middelburgi, poſtea, loco *Voſſii*, hiſtoriarum profeſſor apud Amſtelædamenſes, (unde tamen ſine Magiſtratus præſcitu & conſenſu iter ſuſcepit, in Italiam, parumque abfuit, ne moreretur Florentiæ) denique, quum multorum criminum accuſatus eſſet, & ſuggeſtus ei eccleſiaſticus præcluſus in Hollandia, eccleſiaſtes pariſienſis, ſed mox, productis variis turpiſſimæ accuſationis capitibus, ab officio hoc remotus, ibidem animam exhalavit ann 1670. ætatis 54. Dicitur quidem ſuperbus & mulieroſus fuiſſe, qui tamen perpetuo cœlebs manſit, atque a Rich. *Simonio* l. 3. Crit. V. T. c, 19. taxatur, quod rabbinica intel-

lexiſſe videri velit, & *Caietanum* peritis hebrææ linguæ, cuius tamen ille ex propria confeſſione imperitus erat, accenſeat, notatque ex Colomeſio *Crenius* Differt. I. de furib. librar. p. 107. eum p. 50. tacite Origenem exſcripſiſſe; (ubi certe inſpectione & collatione S. patris opus eſt) negari autem nequit, virum fuiſſe varia & magna eruditione præſtantem, nec male a *Calomeſio* p. 638. appellari ignei virum ingenii. Atque ut tandem de ſcriptis eius dicamus, ſciendum, ſcripſiſſe eum de Gratia & libero arbitrio contra *Petavium*, Fidem publicam contra *Miltonum*, Commentarium in cap. 53. Eſaiæ, Notas in loca quædam N. T. Orationes ac Poëmata latina, & alia. *Witte* Diar. biograph. E e e e. *Lexic. univ. hiſtor.* T. III. 564. I. A. *Fabricius* præfat. in Obſervationes ſelect. in varia loca N. T. *Chevraeus* in Opuſculis miſcellan. p. 49. (*Acta erud.* A. 235.) & *Sarravius* in Epp. p. 208. 212.

Sixtini AMAMA Antibarbarus biblicus, libro IV. auctus. Franequeræ 1656. Nam prior editio, quæ Amſtelodami prodierat A. 1628. 8. tribus duntaxat conſtabat libris. I. libro (cui præmittitur auctoris Oratio de barbarie, Speculum SS. miniſterii candidatorum, qui minus digne euangelio vivunt, Oratio altera de barbarie morum, Programma academiæ *rinthelienſis* contra vitia iuventutis academicæ, Excerpta *alſtediana* contra eadem, & Commentariolus de decimis) proponit VII. errores generales, quaſi totidem omnis, quæ ſuperioribus ſæculis ſacras litteras fœdavit, barbariei fontes: 1. Græcam interpretationem V. T. quæ LXX. inrerpretibus adſcribitur, eſſe θεοπνευστον. 2. Vulgatam verſionem latinam, quæ vulgo B. *Hieronymo* tribuitur, mentem Spiritus S. ubique examuſſim expreſſiſſe, eamque eſſe authenticam, & nullo prætextu a Chriſtianis reiici poſſe ac debere. 3. Fontes ſeu originariam Scripturam Hæreticorum & Iudæorum malitia ita eſſe corruptam, ut non amplius norma chriſtianorum dogmatum eſſe poſſit. Hoc igitur loco auctor defendit hebraicam & græcam veritatem, detegitque bonam ſcilicet fidem, infallibilitatem & concordiam romanorum Pontificum circa Vulgatam editionem: communicat quoque ſuperbam SIXTI V. Bullam, qua ſuæ editionis auctoritatem conſtabilire molitus eſt, eique ſubnectit modeſtius Breve, quod CLEMENS IIX. biennio poſt ſuæ editioni præmiſit, nec non Præfationem in CLEMENTIS illius Biblia. 4. Linguarum iſtarum

rum, hebrææ puta & græcæ, totiusque adeo politioris litteraturæ ſtudia hodie eſſe ſupervacanea. Hic tertiam ſuam exhibet, eamque auctiorem Parænefin, qua omnes euangelicarum eccleſiarum Synodos, Epiſcopos & Superintendentes ad excitanda SS. linguarum ſtudia hortatur. 5. Verſiones latinas, e. g. *Pagnini*, *Iunii*, *Eraſmi*, *Bezæ*, nec non germanicam *Lutheri*, &, quæ ex ea expreſſa eſt, *belgicam* ubique mentem Spiritus ſancti ita expreſſiſſe, nullius ut correctionis amplius indigæ ſint. 6. Bibliorum lectionem theologiæ ſtudioſo non eſſe admodum neceſſariam. 7. Omni Scripturæ textui, ſingulisque locis, aut ſaltem plerisque, duplicem ineſſe ſenſum, litteralem & myſticum: quin & uno loco plures poſſe dari ſenſus litterales. Libris II. & III. varia V. T. loca ad Prophetas usque, contra aliorum errores, explicantur, eisque inſperguntur 1) Reſponſio ad excurſus Marini *Merſenni*, quibus cenſuram Vulgatæ verſionis ad VI. priora capita Geneſeos ſuam defendere auſus eſt. 2) Commentatio de nomine tetragrammato contra Nic. *Fullerum*, qui vulgatam lectionem *Iehova* adſtruere laborat. 3) Diſſertationes de fundamentis allegoricæ interpretationis, qua omnia iſta, quæ Iobi capite 40. de Behemoth & Leviathan dicuntur, ad diabolum vulgo transferunt: de Keri & Ketibh: de craſſioribus quibusdam interpretum erroribus, in quos vel per librariorum ſphalmata, vel vocum ambiguitate, dum ad originalem non recurrerunt textum, delati ſunt: de Prov. 8, 22. Κύριος ἔκτισέ με, ubi explicatur & vindicatur ſententia Io. *Druſii*. IV. libro loca quædam ex Eſaia & Ieremia, eiusque Threnis explicantur. Animus quoque erat auctori, V. & VItum ſubiungere, iisque loca quædam ex reliquis Prophetarum & N. T. libris, adverſus aliorum interpretum corruptelas, interpretari; ſed hoc conſilium effectu caruit. Sicut autem illa, quæ recenſuimus, iuvenibus ſcripſit, ita primarius eius ſcopus fuit *Sixti* ſenenſis exemplo oſtendere, quantos errores linguarum originalium ignorantia beatiſſimis Patribus & acutiſſimis Scholaſticis attulerit in ſcripturarum interpretatione, atque ut illi ſibi caveant, ne illotis eam manibus aggrediantur. Vide *ipſummet* in Epiſtola & Præfat. ad Comment. Druſii in Prophetas minores (in Præmiſſis T. I. Criticor. ſacror. f 4.) Egregiam huic operi laudem tribuit Abr. *Scultetus* in Dedicat. Exercitat. ſuarum euangelicarum, dum ait, propoſitum ſuum fuiſſe ſtudioſos

ſtudioſos deducere ad ſcrutationem biblicam, ſed Deum excitaſſe alios, qui id ipſum longe melius eruditiusque præſtiterint, viros clariſſimos, Sixtinum *Amama* & Io. *Tarnovium*, quorum ille ante annos animumque gerens curasque viriles non ſolum Cenſuram vulgatæ verſionis V. librorum Moſis eruditam ediderit, ſed etiam univerſi V. T. verſionem belgicam ſtupendo labore cum textu authentico, pluribusque aliis tranſlationibus contulerit.

P. 36. 37. Non immerito quæſierit aliquis, quæ cauſæ Concilium tridentinum impulerint, ut vulgatam verſionem, *deturbato de ſolio textu originali*, eccleſiæ Dei tanquam authenticas tabulos obtruſerint.

Authentica, id eſt, valida fuit declarata, non *reſpectu* textus originalis, ſed *aliarum editionum ſeu verſionum latinarum*. Matth. *Petitdidier* Diſſert. hiſt. p. 86.

174. *Primus omnium* Petrus *Lombardus* lib. I. Sentent. diſtinct. 2. ex nominis pluralis cum verbo ſingulari conſtructione (ut ברא אלהים creavit Dii) pro perſonarum in div. eſſentia pluralitate argumentum exſtruxit.

Ante eum *Theodoretus* Quæſt. XIX. in Geneſ. caput I. com. 26. *Crenius* in Not. ad Epiſtolam Hottingeri (in Faſce I. p. 232.)

303. Nomen Iehovah *tantum a ſacerdotibus, in benedictione illa ſolenni,* de qua Num. 6. verſibus ultimis, & quidem cum illam in ipſo templo recitabant, pronuntiabatur. Confer p. 305.

Etiam ab aliis, ad iurandum, in maledictionibus, & in laudationibus. *Hackſpan* in Levit. 24, 16. *Lundius* 656.

305. *Scaliger* in Notis ad Fragmenta ſelecta p. 34. ſcribit: Quomodo efferendum erat, (nomen יהוה) nemini licebat concipere, *præterquam Pontifici maximo*, idque *decima Thisri*, & quidem *εν αγιοις*.

Quotidie pronuntiatum fuit, non tantum a Pontifice max. ſed *etiam a ſacerdotibus gregariis*; immo & extra ſacra ab aliis, ut modo dictum. *Lund.* l. c.

At *falſo* tamen. *Lundius* p. 656.

Pag. 319. *Galatinus primus* vocem Iehova uſurpaſſe putatur.

Io.

Digitized by Google

Io. VORSTII Facilis & expedita SS. apoſtolorum Pauli & Iacobi de iuſtificatione conciliandorum ratio. Coloniæ brandenburgicæ 1666. Qua proponuntur atque excutiuntur variæ, cum veterum tum recentium doctorum, de conciliandis apoſtolis ſententiæ, & auctoris ſententia ſimul in medium profertur atque exponitur. Ea vero hæc eſt: 1. Verbum *δικαιοῦσθαι* æque S. Iacobo ac S. Paulo ſignificare iuſtum reputari, ſeu pro iuſto haberi. 2. ad verba utriuſque apoſtoli ſubaudiendum *ὑπὸ θεοῦ*, *a Deo*. 3. Per opera legis intelligi opera legis moralis. 4. Fidem in Chriſtum ad iuſtitiam perfectam imputari, non merito atque ex debito, ſed mera gratia. 5. Notionem *δικαίου iuſti*, quam verbum *δικαιοῦσθαι* involvit, utrique non eſſe eandem, nimirum Paulo quidem eſſe, perfecte iuſtum reputari, at Iacobo, certo modo iuſtum reputari; adeoque Paulum velle, ex operibus hominem non reputari a Deo perfecte iuſtum; Iacobum autem, ex operibus hominem reputari a Deo pium & probum. Non igitur eos prorſus idem negare de eodem ac affirmare; ſed unum eorum negare, ex operibus hominem perfecte iuſtum reputari, alterum affirmare, ex operibus hominem reputari pium ac probum: & quod ad fidem attinet, ex qua homo dicitur iuſtificari, id eſt, iuſtus reputari, id neutrum illorum negare, ſed utrumque affirmare; neque tamen utrumque idem dicere, ſed Paulum quidem velle, Ex fide hominem perfecte iuſtum reputari, omniaque ei peccata condonari, Iacobum vero profiteri, Ex fide hominem pium ac probum chriſtianum cenſeri. In Dedicatione ad perilluſtrem Chriſtoph. Caſp. Lib. Baronem a Blumenthal, *Aurelium Auguſtinum* ait, ut varias ſacrarum litterarum conciliationes aggreſſum; ita etiam Paulum & Iacobum ſuper doctrina de iuſtificatione conciliare conatum eſſe, ſed a recta tamen via non parum diſceſſiſſe; ſi vero ipſe rem acu minus tetigiſſe videatur, ſaltem nihil alienum a fide chriſtiana prodidiſſe cenſendum eſſe.

Io. *Vorſtius*, Weſſelburgio-dithmarſus, initio ſcholæ flensburgenſis, deinde, cum ad ſacra Reformatorum tranſiiſſet, berolinenſis gymnaſii rector, & electorali bibliothecæ præfectus, philologus *πολυμαθέστατος*, *πολυγράφος*, deque ſacris & profanis ſcriptoribus egregie meritus, (dedit enim Exercitationes academicas, Diſſertationes ſacras, Libros de latinitate falſo & merito ſuſpecta, E-

piſtolas ad *Freundium*, *Titium*, *Chemnitium*, & *Reintrum*; Diſſertationem de divinæ gratiæ in hominibus convertendis & in fide conſervandis efficacia, Indicem in Corn. *Nepotem*, & germanice Animadverſiones in D. Chriſtiani *Dreieri* Conciones de S. cœna, atque obdormivit A. 1676. ætatis 53. *Witte* Diar. biograph. Mmmm, Io. *Moller* Hypomnem. ad Bartholini librum de Scriptis Danorum p. 318. *Crenius* Animadverſ. P. I. 104. P. II. 235. P. XIV. 45. & *Kriegk* Conſtit. rei ſcholaſt. ilfeld. 131.

XXXIX.

Danielis HEINSII Exercitationes ſacræ ad Novum teſtamentum. Cantabrigiæ 1640. Editio ſecunda, priore, quæ Lugduni Batavorum cum eiusdem Ariſtarcho ſacro A. 1639. in fol. prodierat, non parum emendatior, græco in ſuper Indice locupletata. In illis contextus ſacer illuſtratur, SS. Patrum, aliorumque ſententiæ examinantur, interpretationes denique antiquæ, aliæque ad eum expenduntur. Epiſtola dedicatoria ad illuſtriſſimos potentiſſimosque Hollandiæ & Weſtfriſiæ Ordines, quorum laudes cantat a belli rebus ac pacis, gravis pariter eſt atque elegans. In ipſo autem opere auctor ſæpius excitat, notatque *Recentiorem*, id eſt, Theod. *Bezam*, inque Prolegomenis de conſervanda contextus novi Fœderis integritate, de SS. Patrum auctoritate, quantumque in eo adducendo aut citando ſibi permiſerint, de inſtituto denique auctoris, aliisque agitur. Quæ autem fata expertum eſt hoc opus, & quænam eruditorum de eo ſunt iudicia? Io. *Croius* ad examen revocavit in SS. Obſervationibus in N. T. quibus innumera auctoris σφαλματα animadvertiſſe, & Bezam defendiſſe ſibi viſus eſt; ſed *Calovii* (fatentis pariter, *Heinſium* in criticis minutiis, iisque haud raro inutilibus hæſiſſe) iudicio apud *Crenium* P. XII. Animadverſ. p. 46. magis procaciter, quam feliciter id præſtitit; immo *Cartvvrightus* Præfat. in Annot. in Geneſ. (T. VII. criticor. ſacr. d 2) *Heinſio* illum ſe nimis iniquum præbuiſſe ait. Deinde & *Salmaſium*, quem toties perſtrinxerat atque laceſſiverat, nactus eſt antagoniſtam, quippe qui ſcribere cœpit Annotationes in N. T. easque magnam partem abſolvit, comprobaturus inter cetera, *nihil Heinſio dictum boni, quod aliis fuerit indictum, & quid quid de ſuo attulerit, eſſe falſum, ſæpe etiam ridiculum.* Vide *Voßii* Epiſtolas p. 293.

275.

275. *Epp. præſtant. viror.* p. 800. 801. 813. & *Sarravii* Epp p. 16. 18 *Ruarus* Cent. I. Epp. p. 243. *Grotii* Annotationes Heinſianis quidem longe præfert, non tamen eas plane contemnit reiicitque, p. 250. ſcribens: *Heinſium quidem eo* (Grotio) *longe videmus inferiorem, non tamen inutilem: & ingratos dixerim, qui ſtipem quantulamcunque ſibi erogatam manu grata non accipiant. Ego vel obolum in Dei templum allatum, a quocunque tandem, ut theſaurum excipio.* Et *Boxhornius* in Epp. p. 106. opus hoc vocat *ingens & eruditum.* Notandum etiam, *Heinſium Croio* Apologiam oppoſuiſſe.

In 1. Cor. XI, 10. p. 369. Mulier in ſuo capite (nempe *viro*) *non in ſe*, poteſtatem ſuam habeat & gerat.	Nemo dicitur *poteſtatem habere in alio*, qui alienæ ſubiectus eſt poteſtati. Ad. *Rechenberg* Exercitat. in N. T. p. 85.
In Eph. V, 3. πλεονεξία *eſt venerea libido ac impuritas.*	Immo *ſignificat avaritiam.* Io. *Clericus* Tomo II. de la Biblioth. ancienne & mod. p. 47.
In 2. Pet. I, 21. ἰδίας ἐπιλύσεως. Apoſtolum ἐπιλύσεως ſcripſiſſe quis exiſtimet, ut *proprius inſtinctus* innuatur.	Senſus eſt: Prophetia *ex ſe & ſua natura, aut pro cuiusque cerebro non eſt eliminanda ac delenda.* Herm. *Von der Hardt* in Nodo Petri ſoluto, ſive Præfat. in Nervoſum Lutheri in totam ſcripturam S. commentarium p. 69.

XL.

Thomæ CARTWRIGHTI Commentarius in Proverbia Salomonis. Amſtelodami 1638. Cum Præfatione Io. *Polyandri* de commentariorum utilitate, huiusque præſtantia, de auctoris muneribus & perverſa ſtudiorum theologiæ, qui illo tempore Lugduni vivebant, ratione tractandi ſtudia. Indici operis ſubiungitur Tabula duplex, mutuam relationem inter Decalogum & Proverbia Salomonis indicans. Commentarium hunc *Polyander* dilucidum vocat & ſuccinctum, in quo auctor admirabili artificio veram methodum exhibeat verbum Dei recte ſecandi, atque ad uſum omnis generis hominum apte applicandi: 1. enim, una cum capitum & verſuum analyſi, verba & formam loquendi Spiritui S. familiarem, ubi latet aliqua obſcuritas, accurate exponit. 2. ſacri

textus ſummam & ſcopum auctoris lectori ſingulis in locis ob oculos ponit. 3. dubia, quæ rerum propoſitarum reſpectu in non nullis locis occurrunt, oblata occaſione diligenter expendit. 4. poriſmata dogmatica, hortativa & conſolatoria, quæ ex contextu rite colligi poſſunt, optimo ordine recenſet.

EIVSDEM Paraphraſis & Homiliæ libri, qui dicitur Eccleſiaſtes. Amſtelodami 1632. Illa brevior, hæ longiores ſunt.

Thomas *Cartvvright*, Warwico-anglus, ab anglicis mercatoribus, cum Antverpiæ, tum Middelburgi negotiantibus ad munus paſtoris vocatus, abunde utriſque ſatis fecit; ſed & in academiam cantabrigienſem ad profeſſionem theologicam capeſſendam ſe ſe tranſtuliſſet, niſi hoc paſtoratus vinculo, ut ipſe in Epiſt. dedicatoria ad IACOBVM, quem Regem vocat nobiliſſimum, narrat, conſtrictus & impeditus fuiſſet: poſtea in Angliam reverſus, gargeſenienſi præfuit eccleſiæ, tandemque ſenio & lucubrationibus confectus, impetrata prius a Gargeſenienſibus venia, Warwicum repetiit, ut reliquam vitæ ſuæ particulam fideli civium ſuorum inſtitutioni conſecraret, & oſſa terræ patriæ condenda traderet: id quod factum A. 1603. Scripſit præterea Harmoniam euangelicam, & Commentaria practica in totam hiſtoriam euangelicam, anglice autem Commentarium in epiſtolam ad Coloſſenſes, Confutationem Remenſis translationis N. Tti, Replicas II. contra *Whitgiftum*, Apologiam contra *Sutgliffium*, Admonitionem ad populum anglicanum, & Papas letaliter vulneratos, atque a Io. *Pearſonio* in Vindiciis Epp. Ignatii c. 2. p. 249. Schiſmaticorum anglicanorum vocatur coryphæus. *Polyander* in prædicta Præfat. & *Hyde* in Catal. biblioth. Bodlei. P. I. 143.

Io. *Polyander*, metenſis, ex patricia Gandavenſium familia Vanden Kerckhoven, *Pezelii*, Dan. *Toſſani*, *Iunii*, *Sohnii*, Fort. *Crellii*, *Bezæ*, *Faii*. & *Sadeelis* diſcipulus, Leidæ & Dordraci munere paſtorali functus, tandemque theologiæ in academia leidenſi, cuius regimen octies geſſit, profeſſor, & hoſtis Remonſtrantium egregius, dedit Harmoniam locorum S. ſcripturæ prima fronte invicem pugnantium, Reſponſionem ad interpolata Anaſtaſii *Cocheletii*, doctoris ſorbonici ac monachi carmelitæ, ſophiſmata, Syntagma exercitationum theologicarum, & cum *Riveto*, *Walæo*, *Thyſio* tam Synopſin diſputationum theologicarum, quam Cenſuram Confeſſionis

feſſionis Remonſtrantium belgicorum, obiitque A. 1646. ætatis 78. Mortuo parentavit Frid. *Spanhemius*, ſicut ipſe Ludovico *de Dieu* idem antea officium præſtiterat. *Kœnig* 652. *Academia Leidenſis* 65. *Witte* Diar. biograph. V u. *Sorberiana* 169. *Epiſcopius* T. II. 6. 19.

Io. COCHII Coheleth, ſive Eccleſiaſtes Salomonis. Bremæ 1636. Divinum hunc librum auctor, illo tempore profeſſor bremenſis, poſteaque uſus nomine *Cocceii*, harmonica diſpoſitione, & brevi verborum ac rerum expoſitione, ad faciliorem textus intelligentiam, ac feliciorem meditationem, firmioremque ſententiæ memoriam illuſtravit, atque ſic diſcentibus prodeſſe ſtuduit. In Præfatione autem diſſerit de duobus genuini ſenſus reperiundi inſtrumentis, de concinnitate analyſeos, de notis ſuis Analyſi intertextis, deque nova ſua verſione.

XLI.

Amandi POLANI Commentarius in Ezechielem. Baſileæ 1608. In eo logica analyſi & theologica ἐκθέσει tradita, totius libri genuinus ſenſus, & multiplex uſus oſtenditur. In Præfatione autem ſermo eſt de cauſſis efficientibus, difficultate, & ſumma ac partitione libri huius prophetici.

XLII.

Ioannis BRAVNII Commentarius in Epiſtolam ad Hebræos. Amſtelædami 1705. Quem L. Salomon *Deylingius* Obſervat. ſacrar. P. I. 432. luculentum vocat & eruditum. In fine addita eſt Appendix de Aeterna generatione filii Dei, quam Collectores *Relationum innoxiarum* A. 1705. 669. *Deuſingio* aliisque cryptoſocinianis oppoſitam eſſe affirmant. Fatetur quidem auctor, paucos eſſe Scripturæ libros, in quos ſtilum magis exercuerint interpretes, quam in Epiſtolam ad Hebræos; quia tamen illa totam continet veteris & novi teſtamenti theologiam, & materiam præbet exponendi antiquitates, ritus, mores, obſervationes atque cærimonias ſacras, non deeſſe ſibi campum putavit, in quo ſua etiam decurreret induſtria: & ſicut omnes illas partes obſervare, ita in primis nexum inter veritates revelatas enodare & oſtendere ſtuduit. In Dedicatione ad illuſtres & potentes Omlandiæ Ordines, (contra quam calamum ſtringunt D. Thom. *Ittigius* in Præfatione

Diſſertationis de Synodi carentonenſis a reformatis in Gallia eccleſiis A. 1631. celebratæ indulgentia erga Lutheranos, & auctor *Novorum de rebus politicis atque eruditis* A. 1716. 153.) id agit, ut commendet Lutheranorum cum Reformatis conciliationem, quandoquidem ſint fratres, conſentientes in doctrinis fundamentalibus, quin unam eandemque fidem tenentes; neque hanc concordiam impediri debere diſſenſu opinionum quarundam, quum nulla ſit religio, in qua ille non reperiatur. Expoſitioni epiſtolæ præmittit Prolegomena, in quibus docet, eam iure haberi pro canonica, auctorem agnoſcere *Paulum*, a quo ſcripta ſit, cum Romæ ſub imperio NERONIS captivus detineretur, ad Iudæos in diſperſione, atque in ſcopum ſcriptoris inquirens, eum eſſe contendit avocationem Hebræorum ab obſervantia legis moſaicæ, & adductionem eorundem ad Chriſtum ſervatorem. *Acta erudit.* A. 1705. 360. & *Relat. innoc.* A. 1705. 668.

In Dedicat. ** 2. Celſiſſimus *Elector Saxoniæ*, ut ab ipſis fratribus Lutheranis audivi, ante non multos annos, *aliquot centena ex magni Coccetii operibus coëmi iuſſit exempla*, ut quælibet Eccleſia ſuum haberet.	Illi *et falſa narrarunt.* Thom. *Ittigius* in Præfat. ſupra dicta.
In c. 9, 4. p. 501. Cum Vrna & Virga tam prope fuerint ad latus arcæ, nemini mirum videbitur, ſi dicantur in arca fuiſſe: Ἐν namque ſæpe ſignificat *prope, ad.*	Sed *nego, ac pernego*, particulam Ἐν *hoc in loco* per *iuxta, ad, prope* exponi poſſe: nam Vrna & Virga iunguntur cum Tabulis legis, et vere eodemque ſenſu dicuntur fuiſſe in arca, qua Tabulæ in ea illæ fuerunt. *Deyling* Obſervat. ſacr. P. II. 458.
P. 508. *Me refutari* a Io. Nicolai, quod docuerim, *ſummum Pontificem non niſi unico die per annum intraſſe in ſanctum ſanctorum*, nempe X. menſis Tiſri, quo peragendum fuit mini-	*In puncto rei* Nicolaus cum Braunio *conſentit*: nam Braunius loquitur de introitu ad ſuffitum faciendum coram Domino, & inferendum ſanguinem iuvenci & hirci, & expiationem

ſterium ſolennis expiationis.	nem faciendam; Nicolaus de caſu extraordinario, & neceſſitatis. *Auctor Praefationis* in librum Io.Schefferi de antiquorum torquibus.
In Addendis ait iuvenis, quem Braunius doctiſſimum vocat, ſe obſervaſſe in Io. Nicolai Cunaeo, *illum integras paginas* ex Braunii opere de Veſtitu ſacerdotum hebr. *exſcripſiſſe*.	Sed & *Braunium nominavit*. *Idem* ibidem.

Io. *Braunius*, palatinus, vir parvus ſtatura, ſed magnus eruditione, ac fama, primum verbi divini miniſter apud Neomagenſes, deinde doctor & profeſſor theologiae & linguae hebraeae in academia groningana, carteſianae & cocceianae ſcholae addictus, atque ideo adverſarium nactus Ioannem *a Mark*, collegam ſuum, ſtilo uſus eſt ſimplici atque a terminis ſcholaſticis remoto, multumque nominis ſibi acquiſivit libris, quos ſcripſit, doctiſſimis, videlicet Apologia pro Religione praepotentium Ordinum generalium provinciarum unitarum contra *Stoupium* & *Taverneriam*, Syſtemate theologico, Selectis ſacris, & opere de Veſtitu ſacerdotum hebraeorum; ne quid dicam de Diſputationibus & Orationibus, quae commemorantur in *Benthemii* Statu eccleſ. & ſcholar. holland. P. II. 278. *Lundius* Praefat. in Antiqq. iudaicas n. 39. opus eius de veſtitu ſacerdotum ebraeor. magno effert encomio, atque auctorem laude mactat doctiſſimi & in ſcriptis iudaicis verſatiſſimi viri. Sed nec mors laudati viri praetereunda eſt ſilentio: haec enim, quae nemini parcit, abripuit eum anno Chriſti 1709.

XLIII.

Iohannis LIGHTFOOTI Horae hebraicae & talmudicae in IV. euangeliſtas. Lipſiae 1684. Cum Tractatibus chorographicis, quos *Hottingerus* Bibliothecarii p. 173. laborioſos appellat, ſingulis ſuo euangeliſtae praemiſſis. Eſt haec ſecunda editio, qua Horae iſtae, quae Londini per partes editae fuerant, in Germania iunctim prodierunt, & quidem e muſeo D.Io.Bened.*Carpzovii*. Scopus auctoris unicus eſt, euangeliſtarum, & in his commemorata Chri-

ſti

ſti verba e vaſtis Talmudiſtarum pandectis, & difficillimis Rabbinorum monumentis illuſtrare. In immenſum hoc pelagus ſe demittens, omnia curate legit, diligenter excerpſit, ingenioſe digeſſit, erudite ad Chriſti & SS. euangeliſtarum verba applicuit; & quamvis humani quid paſſus ſit, dum lectione Talmudis, cui ſe totum immerſerat, abreptus, ea Chriſtum hinc mutuatum ſtatuit, quæ Rabbini Chriſto ſurripuerint, dumque in Calvini ſchola eruditus, ad præceptoris mentem Scripturæ ſenſum accommodavit, *laudare* tamen, (ait *Carpzovius* in Epiſt. dedicatoria) *quin & mirari ſatis nequeo has eruditiſſimi* Lightfooti *lucubrationes, in quibus plus eruditionis, doctrina, ingenii, diligentia obſervo, quam in pragrandibus non nullorum voluminibus, ſine pondere, ſine fundamento, ſine linguarum cognitione, in hiſtoriam euangelicam, ſolo ſcripturientis calami, geniique luxuriantis, & prodeuntium hinc ſcholaſticarum dicam? an barbararum quaſtionum, cum ſcandalo ſæpius motarum deciſarumque, atque ſimilium nullius fructus materiarum adminiculo compilatis.* Omnia eius opera anglice Londini emiſſa ſunt A. 1684. II. voluminibus in fol. & latine Roterodami anno 1686. de quibus vide *Acta erud.* illius & huius anni, p. 120. 281. & Rich. *Simonium* lib. III. Hiſt. crit. N. T. c. 53. p. 797. Quibus autem debeatur verſio latina, non liquet; niſi quod varii fuerint viri eruditi, interque eos Ioſ. *Hill*, & Richard. *Kitter*. Nec ceſſavit induſtria clariſſimi Io. *Strypii*, quin poſtea etiam colligeret imperfectos & mutilos *Lightfooti* tractatus, qui quidem prodierunt Vltraiecti A. 1699. in fol. & recenſentur in *Actis erudit.* ad illum ipſum annum p. 104. Ceterum notabis, Lightfootum, iudicio Rich. *Simonii* l. c. p. 793. in Commentario in Matthæum & accuratiorem, & verboſiorem eſſe, quam in reliquis; verbis autem Carpzovii, quæ in eius Epiſtola dedicatoria b 3. leguntur, *Supprimant, quantum poſſunt, qui famam aucupaturi, ſuam cum aliorum contemptu gloriam quærunt, & conſcientia licet obloquente, nugarum tamen convicio irrideant egregia aliorum ſcripta*, e. r. pungi & confodi D. Io. Ad. *Scherzerum*, indice *Spenero* in Append. der Vbereinſtimmung mit der Augſp. confeſſ. §. 11.

Centur. chorogr. in Matth. c. 22. p. 46. Nos Sionem ab Aquilone (urbis hieroſolymitanæ) ſtatuimus.

In auſtrali parte. Herm. *Witſius* Diſſert. acad. X. §. 15. *Spanhem.* Geograph. S. p. 90. *Relandus* Palæſt. 626.

Dua

Cap. 34. p. 67. Altare fuit quaquaverſum 32. cubitorum: deinde coarctabatur *pluribus vicibus*, ita ut modo eſſet 30. modo 28. modo 26. tandem 24. cubitorum.

Duæ tantum in altari fuerunt prominentiæ. *Cramer* de Ara exteriore templi.

Cap. 54. p. 99. 100. Cum emitterent hircum Azazel, die expiationis, *verſus Bethhoronem*, erecta erant antea *tentoria decem*, milliari uno a ſe invicem diſtantia. *Egreſſi* cum eo ex Hieroſolyma ſunt generoſiores, *comitatique ſunt ad tentorium primum*. E rupe צוק Tſok *deiiciebatur* hircus, qui medium præcipitii vix attingens, *in fruſta colliſus & diſſectus eſt*.

Hæc omnia ſunt *fabula rabbinica*. Io. Philip. *Heinius* Obſervat. ſacr. lib. 2. c. 3. (in Conlect. libror. rar. T. II. Faſc. II. p. 44.)

In Matth. 2, 1. p. 202. Magi, id eſt, *venefici*, vel *malis artibus dediti*.

Eruditi, *ſapientes quidam*. Chriſt. *Arnold* Spicileg. ad I. H. *Urſini* Zoroaſtrem 47. *Crenius* Animadv. P. X. 255.

In caput 4, 23. p. 248. Ex X. otioſis *tres magiſtratum geſſerunt*, & vocabantur ב״ד של שלשה Conſeſſus triumviralis; quartus erat *publicus eccleſiæ miniſter*, qui oravit publice, & curavit lectionem legis, legentique adſtitit, inde שליח צבור *angelus eccleſiæ*, item חזן *epiſcopus* ſeu inſpector dictus: tres quoque erant *diaconi* ſive eleemoſynarii, quorum duo priores eleemoſynam exigebant, tertius diſtribuebat; octavus ex hoc ordine erat

X. Otioſi nullam apud Hebræos dignitatem præfecturamve geſſerunt, ſed quotidie in Synagoga præſentes erant, ut quicunque, etiam ſinguli, illam ingrederentur ad precandum, ſemper מנין i. e. numerum, ſive legitimum cœtum denarium invenirent, cum quo preces ſuas ad Deum funderent. Iac. *Rhenferd* Diſſert. de X. otioſis p. 5. & in Specim. animadverſion. *Wagenſeil* de Noribergæ reb. notabilib. 132.

תורגמן *interpres*, qui prælecta vernacule reddebat; nonus & decimus, *ſcholarcha theologicus*, eiusque *interpres*. Conf. p. 332.

In Matth. 5, 31. p. 274. Dixit ſchola Sammæana: Non dimittenda eſt uxor, niſi ob turpitudinem (hoc eſt, *adulterium*) ſolum. Confer p. 400.

Inter ſententias de divortiorum iure tunc temporis varias *nulla habebatur, ob adulterium tantum illud admitti debere*. Io. *Seldenus* de Vxore ebr. lib. 3. cap. 23. p. 350.

In cap. 15, 36. p. 373. Tres, qui conveſcuntur, debent iunctim gratias *agere*, hoc eſt, unus pro reliquis gratias egit.

Gratias *indicere*; uti redditum vult *Guiſius* P. I. Miſchnæ p. 25. At *Lightfoot* tamen defenditur ibidem a *Surenhuſio*.

In cap. 16, 19. p. 381. אסור ומותר Ligare & Solvere adhibentur in doctrina & iudiciis de rebus licitis, aut non licitis in lege. Ligare igitur idem hic eſt ac *prohibere*, ſive prohibitum declarare; & ſolvere idem, ac *permittere*, ſeu declarare licitum.

Hæc interpretatio & *ſcopo Chriſti*, & communi *ſententiæ Doctorum*, & *Apologia aug. conf.* artic. VI. de confeſſ. p. 199. eſt adverſa. *Scherzer* & *Calovius* apud Spenerum in Append. ad Conſonantiam cum Aug. conf. §. 11. p. 8. *Grapius* diſp. de Controverſ. exoter. H. & G. *Olearius* Obſervat. in Matth. p. 454.

In cap. 23, 2. p. 424. De *cathedra legiſlativa* hoc intelligendum potius, quam de mere doctrinali.

Sententiam illam *contextus* manifeſte refutat. Laur. *Odhelius* in Synagoga bifronte p. 47.

In cap. 26, 3. p. 455. Iudicia de rebus capitalibus 40. *annis ante excidium templi*, adeoque paullo ante mortem Chriſti ablata ſunt ab Iſraële. Confer p. 1123.

Immo eo tempore, *quo Iudaea in formam provinciæ redacta*. I. C. *Wagenſeil* in Confut. Carm. Lipmann. 318.

In Chorograph. Marco præmiſſa c. VII. p. 564. 565. Vrbes decapolitanæ, Scythopoli excepta, *omnes trans Iordanem*.

Pars earum etiam cis Iordanem. Fr. *Spanhemius* Geograph. S. 78.

Ab

Digitized by Google

In Marci cap. 13, 32. p. 644. Præſcientia futurorum in Chriſto, quum eſſet in ſtatu exinanitionis, inter ea numeranda eſt, quæ *ab unctione Spiritus ſancti* fluxerunt, *atque ab immediata revelatione.*	*Ab hypoſtatica naturarum unione.* G. G. *Goez* in Sylloge Obſervat. contra Lightfootum §. 2.
In Chorographia Lucæ præmiſſa cap. 1. Sect. III. p. 684. *Batanaa vel Baſan.* Et p. 686. Tota iſta regio uno & generali nomine *Baſan* audiebat: quæ vox in *Bathan* vel Batanæam tranſiit.	Baſan erat regio *Emoræorum*, eaque fertilis; Batanæa *Arabia*, & ſterilis. *Hiller* Onomaſtici ſacri p. 761.
Cap. 2. Sect. II. p. 693. Si coniecturæ ſit locus noſtræ, quæſiverim ego Sepharad *in Idumaa* potius, quam in Hiſpania.	Aut potius *in Babylonia.* Herm. *Von der Hardt* de Sipphara Babyloniæ p. 29.
Cap. 5. p. 490. Ab ortu (templi erat *platea orientalis*, cuius porta erat Porta aquarum.	*Non videtur probabile:* nam Ioſephus nullam ponit plateam inter templum & portam aquarum. *Lundius* Iud. heiligthum. c. 28. p. 372.
Pag. 542. Situs fontis Siloam erat poſt murum urbis *occidentalem.*	*Ad auſtrum. Spanhem.* Geograph. S. 108.

EIVSDEM Horæ hebraicæ & talmudicæ in Acta Apoſtolorum, partem aliquam Epiſtolæ ad Romanos, & priorem ad Corinthios. Lipſiæ 1679. Etiam e muſeo Io. Bened. *Carpzovii*: quum antea ſingulæ partes ſeorſum prodiiſſent, & Annotationes quidem in Acta apoſt. Londini, anno 1645.

In Acta Apoſtol. c. 13, 3. Quod imponunt manus, *recedunt a more uſitato.* Hoc probat ex Maimonide, qui Sanhedr. c. 4. ſcribat, ordinationem presbyterorum *non* fieri, *ut imponant manum* ſuper caput presbyteri,	At verba Maimonidis ita ſunt reddenda: Non *tantum* ut imponant manus, ſed *etiam* ut vocent eum Rabbi. Campeg. *Vitringa* de Synagog. 836.

N 2 Hoc

ſed ut vocent eum Rabbi.

In prioris ad Corinth. 1, 12. p. 157. *Pars gentilitia* forte Pauli nomen afferebat, & Apollo: *iudaica* Cephæ & Chriſti.

Hoc *facilius ſcribitur*, quam probatur. I. W. *Peterſen* in Domo Chloës myſtica p. 15.

Io. *Lightfoot*, anglus, e comitatu Staffordienſi, primum informator iuventutis apud Raptonienſes, deinde æmulatione illuſtris equitis Rolandi *Cottoni*, hoſpitis ac benefactoris ſui, in ebraicis & rabbinicis exercitatiſſimi, ſtudiis hiſce noctes dieſque deditus, tantos in iis, plurimum ſine magiſtro, fecit profectus, ut & patrono & aliis eſſet admirationi. Inde cogitationem ſuſcepit itineris ad exteros inſtituendi, atque illam exſecutus eſſet, niſi vocatio ad paſtoratum ſtonienſem in Comitatu ſtaffordienſi remoram iniecisſet. Poſt hæc, aſſumtis doctoris theologiæ honoribus, præfecturam Collegii S. Catharinæ, in cantabrigienſi academia, omni fide ac diligentia adminiſtravit, aliquando etiam vicecancellarii munus in prædicta academia ſuſtinuit, neque tamen vocationi ad verbum Dei Mundoniæ docendum dubitavit pariter morem gerere, ac tandem elienſi in civitate, ubi canonici dignitate gaudebat, in Domino exſpiravit, anno 1675. ætatis 73. Interfuit etiam conventui Clericorum weſtmonaſterienſi, tanta cum auctoritate, ut multa ad eius ſententiam, qua & pædobaptiſmum propugnavit, & ſacram euchariſtiam promiſcue omnibus, etiam impiis, iudicavit porrigendam eſſe, definita fuerint. In lectione Talmudis & Rabbinorum id operam dedit, ut obſervaret ea, quæ ad intelligendas phraſes & hiſtoriam N. T. atque ad notitiam urbium Palæſtinæ, & hiſtoriæ iudaicæ facere videbantur. Vide eius *Vitam*, Operibus ipſius præmiſſam, *Wittium* Diar. biograph. LIII. *Acta erudit.* A. 1686. 121. *Lexicon univ. hiſtor.* T. III. 324. I. F. *Mayer*. Biblioth. bibl. 112. *Pope-Blount* p. 1041. & *Bibliothecar.* nulli parti addictum 280. 451. Præter illa autem encomia, quibus apud *Pope-Blountium* ornatur, & alia virorum huius artis ac ſcientiæ peritiſſimorum ſuppetunt. Nam *Wagenſeilius* in Confutat. libri Toldos Ieſchu p. 22. eum vocat virum inſignem, quique primus oſtenderit, quantum utilitatis Talmud præbeat, ſi quis eo recte uti ſciat, & Præfat. in Tela ignea ſatanæ p. 66. hebraicæ literaturæ callentiſſimum; I. F. *Mayerus* Biblioth. bibl. virum conſummatiſſimæ

in

in litteratura rabbinica & talmudica eruditionis; Io. *Saubertus* Præfat. in R. Iehudam Leonem de Templo hieroſolymitano b 2. virum in lectione Talmudis verſatiſſimum, ut vix alii illa ætate hac in re comparari poſſit; I. B. *Carpzovius* in Dedicat. Horarum *Lightfooti* in IV. euangeliſtas)a(2. virum reconditæ eruditionis, & exquiſiti non minus ingenii, quam infinitæ in talmudicis rabbiniciſque lectionis; atque in altera dedicat. Quæ Commentario in Acta apoſtol. & 1. ad Corinth. præmiſſa eſt, virum in hoc genere ſtudiorum ſine pari; & præſtantiſſimi *Actorum eruditorum* editores ad A. 1686. p. 120. celeberrimum auctorem, cuius opera tanto magis merito ſint æſtimanda, quo pauciores, in talmudica maxime ac rabbinica literatura, qua hæc paſſim ſcateant, ſibi habuerit æquales. Quid? Io. Lud. *Fabricius*, vir ſapiens, ſcripta eius, teſte Heideggero in eius Vita p. 138. ſummis laudibus extulit. Neque tamen ita perfectus fuit, ut non hæc & illa notarent in eo, atque deſiderarent alii viri eruditi, ut *Crenius* Animadverſ. P. II. 102. P. III. 181. P. XV. 102. *Kettner* in Relig. eclect. 31. Auctores der *Monatlich. Vnterred.* de A. 1689. p. 645. *Guiſius* in Ordinis primi Zeraim titulos VII. (in Actis erud. A. 1691. 253.) G. H. *Goetzius* in Diſp. ſeu Sylloge Obſervat. theol. Lightfooto oppoſitarum, Io. *Eduardus* (Edwards) in Free diſcourſe (Act. erudit. A. 1701. 404.) Rich. *Simon* lib. III. Hiſt. crit. N. T. c. 53. p. 795. Io. *Clericus* Crit. P. III. 217. & *Calovius*, Seb. *Schmidius*, atque Aug. *Pfeiffer* apud Bibliothecar. nulli parti addictum p. 282.

XLIV.

Ioannis CLERICI Harmonia euangelica. Lugduni, ſeu potius Altorfii, A. 1700. Quæ prodierat primum Amſtelodami A. 1699. f. Subiuncta eſt Hiſtoria Ieſu Chriſti ex IV. euangeliis concinnata: & acceſſerunt III. Diſſertationes, I. de Annis vitæ Chriſti; qua auctor ſtatuit quatuor paſchata, in tempore miniſterii Chriſti numeranda, & Chriſtum ait paſcha ultimum ſuo celebraſſe tempore, una cum ceteris Iudæis, mortuumque anno æræ vulgaris 29. auctore *Extracti Ephemeridum* lectionem vocis *Clementis* alex. πεντεκαιδέκατῳ, de qua p. 14. vel ſecundum veteres numeros 512. ſermo eſt, approbante: II. de Canonibus harmonicis, quos in concinnanda Harmonia ipſe ſecutus eſt: III. de conditoribus euangeliorum,

 deque

deque conſilio, quo ſcripta, & tempore, quo edita ſunt ac lecta in eccleſiis chriſtianis. Denique ſubiiciuntur Notulæ in aliquot loca Harmoniæ euangelicæ. Præfatio, de qua Io. Frid. *Mayer* in Dehortat. a prof. Franckii Obſervat. biblicis p. 34. eſt D. Io. Mich. *Langii*, agitque de potioribus ſcriptoribus Harmoniarum euangelicarum: qui quidem ſunt, *Tatianus*, *Ammonius* alexandrinus, *Euſebius* cæſarienſis, *Epiphanius*, *Auguſtinus*, *Victor* epiſcopus capuanus, *Marianus* fuldenſis, *Petrus* comeſtor, *Thomas* aquinas, *Zacharias* chryſopolitanus, *Landulphus*, Io. *Gerſon*, *Bugenhagius*, Paul. *Crellius*, Andr. *Oſiander*, Io. *Calvinus*, Car. *Molinaus*, Laur. *Codomannus*, Corn. *Ianſenius* epiſcopus gandavenſis, (cuius lucubrationes altera vice A. 1577. Venetiis, tertia Lugduni A. 1582. editæ ſunt) Henr. *Büntingius*, (qui non duas tantum, ſed, teſte *Leuckfeldio* in eius Vita B iij, tres operis partes confecit) Mart. *Chemnitius* cum Polyc. *Lyſero* & Io. *Gerhardo*, Seb. *Barradius*, Andr. *Selmatterus*, Georg. *Calixtus*, Io. *Cluverus*, Chriſtoph. *Altheferus*, Abr. *Calovius*, Caſp. Herm. *Sandhagen*, *anonymus* anglus germanice editus Halæ, (qui quidem, indice *Struvio* in Actis litterar. Faſc. VII. p. 79. eſt Chriſtianus *Knorr* de Roſenroth) Thom. *Cartvvright*, Io. *Lightfoot*, Paul. *Pezron*, Bernh. *Lamy*, Ger. Io. *Voſſius*, Florentinus *de Bruin*, & Io. *Clericus*. Quibus addendus eſt Abr. *Covet* du Vivier, cuius Harmonia euangelica primum gallice, deinde germanice prodiit, & reliquis omnibus præfertur in *Fama erudita* Tomo I. 424. *Clerici* præſens opus laudatur a *Lockio* in ipſius Reliquiis, quæ recenſentur Tomo VI. *Supplement. Actor. erudit.* p. 345. ſed collectores eorundem *Actorum* ad A. 1699. p. 273. auctores *Relation. innoc.* A. 1701. p. 164. quorum verba adducit *Bibliothecarius* nulli parti addictus p. 456. plura in eo putant eſſe emendanda.

Antonii GRELLOTI Prodromus in Ioannis Apocalypſin. Lugduni Batavorum 1675. In eo adhuc minus bene intellecta explicantur, dum opus integrum paratur. Et quidem ex Hebræorum libris maximam verborum, phraſium & rerum partem auctor eruit, ſicut ipſe indicat Præfat. p. 87. Ceterum in hac Præfatione agit de Apocalypſeos ſcriptore, ſublimitate, ſenſu myſtico, difficultate, hieroglyphicis, variis lectionibus, facilitate, interpretibus, harmonia cum V. Tti prophetis, alluſionibus ad V. Tti ſacra, lingua in qua illa exarata, cabbaliſmis, talmudiſmis, chaldæiſmis, rabbi-

rabbiniſmis, arabiſmis, philoſophicis, (ut phyſica, metaphyſica, mathematica, arithmetica, geometria, architectonica, aſtrologia, chronologia, geographia) ſcopo, impletis & implendis, & ſingulis denique capitibus, quorum non modo argumenta dantur, ſed & ratio elucidationum, tam in præſenti datarum, quam olim in pleniore commentario dandarum. Hoc ſpecimen interpretationis Apocalypſeos, uti auctor Præfat. p. 28. & 76. ſine iactantia ſe ait dicere, eſt novum.

Antonius *Grellotus*, paſtor eccleſiæ reformatæ, florens anno 76. ſæculi XVII. in Præfat. præſentis libri promittit Babyloniam & Hieroſolymam p. 39. nec non Latinam translationem commentariorum aliquot rabbinicorum p. 63. ſed fortaſſis eandem circa eas fortunam expertus eſſet, quam in edendo maiori Commentario in Apocalypſin Ioannis, ubi, quod *Spenerus* teſtatur Iudicior. latinor. P. III. 128. nemo inventus eſt Francofurti ad Mœnum, qui in librum mole maiorem excudendum ſumtus faceret. Interim egregio auctorem elogio ornat ab adulatione ac falſitate alieniſſimus vir, *Spenerus*, loco dicto & p. 137. ſcribens, eruditiſſimum hominem, quod nullum commentatorem apocalypticum tentaſſe conſtet, præſtitiſſe, cum ſancta illa vaticinia, eorumque ſymbola ex iudaicis, talmudicis atque cabbaliſticis ſcriptis elegantiſſime illuſtraverit, &, quibus hypotheſin ſuæ religionis hominibus frequenter uſitatam de regno Chriſti glorioſo in his terris ſequatur, oſtendiſſe, pleraque, quæ Iudæi de ſuo Meſſia fabuloſa produnt, aliquid veritatis habere, & ex veris maiorum traditionibus hauſta eſſe, ſed quæ excœcata gens hodie non intelligat, dum primum eius adventum ſitiunt, qui alia ratione, & alio adventus genere exſpectari debeat. Eundem D. Io. Guil. *Peterſen* in Nube teſtium veritatis, lib. III. p. 146. vocat virum in veterum Hebræorum ſcriptis verſatiſſimum. His adde *Struvii* Acta litteraria Tom. I. Faſcic. VII. 78. & *Monatliche Vnterredungen* A. 1689. 647.

XLV.

Io. Henr. HOTTINGERI Theſaurus philologicus, ſeu Clavis Scripturæ. Tiguri 1659. Editio ſecunda; noviſſima autem prodiit anno 1696. Clave iſta, quid quid fere Orientalium, Hebræorum maxime, & Arabum, habent monumenta de religione, eiusque

iusque variis ſpeciebus, iudaiſmo, ſamaritaniſmo, chriſtianiſmo, muhammediſmo, gentiliſmo: de theologia & theologis, verbo Dei ſcripto & non-ſcripto, variis Bibliorum exemplaribus, fontium hebræorum integritate, ſcripturæ accidentibus, partibus, diſtinctionibus, ſenſu & commentariis: de Targumim ſeu paraphraſibus chaldaicis, ſyriacis, arabicis, perſicis, ſamaritanis, græcis & latinis: de Maſora & Kabbala: de ſingulorum V. T. librorum, canonicorum & apocryphorum, auctoritate in genere, & de lege, prophetis & prophetiis in ſpecie, ita reſeratur & aperitur, ut multiplex inde ad philologiæ & theologiæ ſtudioſos fructus redundare poſſit. In Dedicatione diſſerit auctor de reſuſcitatione linguarum orientalium, facta in Synodo Galliæ viennenſi circa annum Chriſti 1312. in qua decretum, hebraicam, ſyriacam, chaldæam & arabicam in ſcholis publicis docendam, & ſacra Biblia in easdem convertenda eſſe, quo Saraceni, qui nullis belli machinis domari poſſint, lectione ſacrarum litterarum ad viam ſalutis vocati Chriſto lucrifierent. Sed non obſervaſſe Patres illos, cum linguarum orientalium ignorantia ipſius quoque purioris doctrinæ paulatim factam eſſe iacturam: immo variis monachorum technis linguarum ſtudium in ſcholis publicis ſufflaminatum: per Gregor. *Tiphernatem* ſæculo declinante XV, quamquam ægre, invectam in academiam pariſienſem linguæ græcæ profeſſionem; nihilominus barbariem manſiſſe inter monachos, eosque contra ſtudioſos linguarum usque adeo deſæviviſſe, ut græce noſſe ſuſpectum fuerit, ebraice prope hæreticum; cum tamen trita hæc apophthegmata ſint veriſſima: Homine grammaticæ hebrææ perito doctius nihil eſt; Optimus grammaticus hebræus, optimus theologus; Scriptura non poteſt intelligi theologice, niſi prius intelligatur grammatice. Et hac occaſione laudat Wolfg. *Muſculum*, & Corn. *Bertramum*, qui cum græca & hebræa lingua arabicæ ſtudiis operam dederint, Hieroſolymamque & Arabiam in Helvetiæ meditullium invexerint. In Præfatione autem promittit Lexicon theologicum, quod 1. varias vocum ſignificationes aperiat. 2. origines hiſtoriarum, rituum, cærimoniarum, dogmatum & controverſiarum tradat. 3. uſum oſtendat in theologia vel dogmaticum, vel exegeticum, vel elencticum, vel hiſtoricum. Huic optat ab aliis adiungi duo alia, videlicet Lexicon biblicum, & Lexicon collationis

lationis variarum, præſertim orientalium, verſionum, pariterque uſuum practicorum; horumque Lexicorum ſpecimen aliquod ſtatim ſubiicit. In altera Præfatione laudat typographos, qui nobiliſſimam artem ſuam ad exprimendas etiam linguas orientales, magno eruditionis emolumento, tranſtulerunt. Ceterum de Iudæorum מדות ſive argumentandi modis, quos promittit, ſed ſine loci indicio, hoc ipſo in libro agit p. 560.

Pag. 532. ספר קנה Liber ſeu ſcheda zelotypiæ, quam ſacerdos *conijciebat in poculum redargutionis* fœminæ de adulterio ſuſpectæ. | *Abluebat* aqua illius poculi. *Wagenſeil* in Sota 424.

EIUSDEM Hiſtoria orientalis. Tiguri 1660. Editio poſterior & auctior, cum prior in lucem exiiſſet anno 1651. Hiſtoria hæc, ex variis Orientalium monumentis collecta, agit 1) de Muhammediſmo, eiusque cauſis, cum procreantibus, tum conſervantibus; in primis de *Muhamedis* ortu, pſeudoprophetia, æmulis, dogmatibus, hegira, prœliis, ſucceſſoribus, morte. 2) de ſaraceniſmo, ſeu religione veterum Arabum. 3) de chaldaiſmo, ſeu ſuperſtitione Chaldæorum, Nabatæorum, e. r. 4) de ſtatu Chriſtianorum & Iudæorum tempore orti & nati muhammediſmi. 5) de variis inter ipſos Muhammedanos circa religionis dogmata & adminiſtrationem ſententiis, ſchiſmatis & hæreſibus excitatis. Quibus 6) accedit Illuſtratio *Taarich Bene Adam*, qua ex ipſis Arabum ſcriptis vita & res geſtæ Prophetarum, Patriarcharum, quorundam & Apoſtolorum, Regum Perſiæ, aliorumque ab Adamo ad Muhammedis uſque natales in orbe degentium & regentium, explicantur. Hiſtoria hac orientali, & Smegmate orientali, omnia ſaracenica abunde explicari poſſe, *Voetius* confidit Diſpp. ſelect. Tomo II. 683.

Io. Henr. *Hottinger*, tigurinus, *Spanhemii*, *Altingii*, Matth. *Paſoris*, & *Golii* diſcipulus, confectis ad exteros itineribus theologiæ & linguar. oriental. profeſſor primum in academia patria, deinde permiſſu inclyti Magiſtratus ſui, & impetratis prius honoribus doctoralibus, in heidelbergenſi, ac denuo in patria, retinens tamen dignitatem conſiliarii eccleſiaſtici electoralis, ſæpe in rebus magni momenti a ſuperioribus ſuis ad Principes & Reſpublicas ablegatus, tandem vero ad profeſſionem leydenſem vocatus & di-

miſſus, dum prædium cui ſuum locaturus Limago fluvio ſe committebat, cum uxore & tribus liberis naufragium paſſus eſt; e quo licet ipſe artificio natandi liberatus eſſet, atque in vado conſiſteret, tamen, cum uxorem & tres liberos in periculo verſari cerneret, eosque inde extracturus undas repeteret, illis quidem ſalutem, ſibimet autem ipſi interitum attulit: doloſis enim aquis merſus miſere periit anno 1667. ætatis 47. Inter præcipua eius ſcripta ſunt Hiſtoriæ eccleſiaſticæ N. T. Tomi IX. Iuris Hebræorum leges, Smegma orientale, Cippi hebraici, Primitiæ heidelbergenſes, Exercitationes contra *Morinum* de pentateucho ſamaritano, & Diſſertationes miſcellaneæ. Io. Henr. *Heidegger* in eius Vita, *Witte* Diar. biograph. Z z z. *Lexicon univ. hiſt.* Tom. III. 129. & *Sagittarius* Introduct. p. 347. Ceterum Richardus quidem *Simon* Hiſt. Crit. V. T. lib. 3. c. 19. accuſat eum, quod modum in ſuis operibus non ſervaverit, minutiis inhæſerit, partium ſtudio indulſerit, nimisque præcipitanter libros ſuos compoſuerit; ſed benignius de eo iudicant alii viri docti apud *Magirum* 464. & *Pope-Blount* 1055. Quibus adde *Conringium* Epiſt. gratulator. ad Ducem Auguſtum p. 59. *Boineburgium* in Epp. ad Dietericum p. 261. *Morhofium* Polyhiſt. T. I. 204. Io. Frid. *Mayerum* Biblioth. bibl. 33. *Crenium* Animadverſ. P. VI. 143. & *L' Empereur* in Epp. celeberrimorum virorum Brantianis p. 164. quorum primus eum vocat meritis in rem omnem ſacram profanamque celeberrimum; ſecundus virum univerſo cœtui erudito longe chariſſimum, doctiſſimum, orientalium doctrinarum, & præcipue arabicarum litterarum callentiſſimum interpretem, cuius funus ſecuturum mox funus ſit eruditionis intimioris, certe in Helvetia cum ipſo ſepultum iri arabiſmum; tertius theologum Reformatorum πολυμαθέστατον· quartus litteraturæ omnis, præcipue orientalis, callentiſſimum; & quintus, ipſe orientalium linguarum magiſter excellentiſſimus, iuvenem ita in orientalibus, in primis in arabicis, verſatum, ut ſæpius ad ipſius ſermones obſtupuerit. Et ſane de eo memoratur, tantam in linguis illis facultatem adeptum eſſe, ut non hebraice modo, ſed & chaldaice, ſyriace, arabice, coptice, turcice & perſice loqueretur.

XLVI.

Io. BUXTORFII filii Diſſertationes philologico-theologicæ. Cum

Cum Diſſertationibus aliquot R. Iſaaci *Abarbenelis*. Baſileæ 1662. Buxtorfianarum ſunt IIX. 1) de linguæ hebrææ origine & antiquitate. 2) de eius confuſione, & plurium linguarum origine. 3) de illius conſervatione & propagatione. 4) de litterarum hebraicarum genuina antiquitate. 5) de nominibus Dei hebraicis. 6) de cœnæ dominicæ primæ ritibus & forma. 7) Vindiciæ præcedentis diſſertationis contra Ludov. *Capellum*. 8) de lotione manuum iudaica, ante & poſt cibum. *Abarbenelis* etiam ſunt totidem, in latinum verſæ ab editore: 1) de longævitate primorum patrum. 2) de ſtatu & iure regio. 3) de Iudicum & Regum in V. T. convenientiis & differentiis. 4) de miraculoſa ſtatione ſolis, tempore Ioſuæ. 5) de peccato DAVIDIS numerantis populum. 6) de nomine *Moſis*. 7) de idololatriæ ſpeciebus, quarum in SS. litteris mentio. 8) de librorum biblicorum diviſione. In Dedicatione *Buxtorfius* ſcopum editionis ait eſſe eum, ut antiquitates hebræas h. e. ſacras e tenebris producat; deinde de neceſſitate ſtudii hebræo-philologici diſſerit, oſtendens, illud ad verbi Dei per utrumque teſtamentum illuſtrationem perquam eſſe neceſſarium: res Hebræorum patrias non aliunde, quam ex Hebræorum dictis ſcriptiſque repetendas, & aurum in ſterquilinio rabbinicorum ſcriptorum colligendum.

Io. Henr. HOTTINGERI Enneas Diſſertationum philologico-theologicarum heidelbergenſium. Tiguri 1662. 1) de libris V. T. ſuppoſititiis; prophetia præſertim *Enochi*, & Samaritanorum libro *Ioſua*, indeque deducto Compendio theologiæ ſamariticæ. 2) de probatione *Abrahami*, ex Gen. 22. 3) de paradiſo. 4) de miniſterii eccleſiaſtici neceſſitate. 5) de baptiſmo. 6) de *Melchiſedeco*; annexa brevi Apologia contra *Labbeum* ieſuitam. 7) de cauſis cœnæ dominicæ. Cui ſubiungitur Specimen analyſeos ſacræ de ſenſu verborum: *Hoc eſt corpus meum*. 8) de Leone *Allatio*, nimiæ temeritatis convicto, & perpetuo Eccleſiarum latinæ & græcæ diſſenſu. 9) Compendium theologiæ iudaicæ. Quibus accedunt varia Programmata & Carmina, ab eodem vel rectore vel decano Facultatis theologicæ conſcripta.

R. MOSIS Ben Maiemon Tractatus de ieiuniis Hebræorum, cum interpretatione latina Ioan. Benedicti *Carpzovii*. Lipſiæ 1662.

XLVII.

ALCORANVM mahummedanum, germanice, cum refutatione. Noribergæ, 1664. Præmittitur narratio de Mahummedis adventu, doctrina, eiuſque propagatione, & ſubiungitur alia de ſtatu & religione hodiernorum Chriſtianorum in Græcia. Hæc autem poſterior Narratio translata eſt ex Chriſtophoro *Angelo*, a Georgio *Fehlavio* latine verſo; id quod hic ipſe indicat in Epiſtola dedicatoria, Annotatis præfixa, a 3. Sed & idem ægre fert, quod translator germanicus ne verbulo quidem meminerit ſive auctoris, ſive interpretis, Fehlaviana mutilate propoſuerit, dedicatoriam omiſerit, ſæpe in verſione aberraverit, nec raro mala in vertendis Annotationibus fide proceſſerit.

XLVIII.

GREGORII neocæſarienſis Opera omnia, interprete & ſcholiaſte Gerardo *Voßio*, Moguntiæ 1604. Hanc editionem melius pleniuſque expreſſerunt Pariſienſes A. 1622. in folio; latine autem prodierunt Venetiis A. 1574. in 8. Et *Voßius* quidem præmittit 1. Dedicationem ad B. Mariam virginem & Gregorium neocæſarienſem. 2. Præfationem, in qua editionis ratio redditur, & contenta deſcribuntur. 3. SS. antiquorum Patrum de Gregorio thaumaturgo elogia & teſtimonia. Ipſa autem opera, ex *Voſſii* ſententia, hæc ſunt: 1) Expoſitio fidei, quam per revelationem a S. Ioanne euangeliſta, mediante B. Maria virgine, accepit. 2) Alia Expoſitio fidei, quæ η κατα μερος appellata eſt. Tantum latine, ex interpretatione Fran. *Torrenſis* ſeu *Turriani*. 3) Capita XII. de fide, ſeu Anathematiſmi, contra hæreticos & Iudæos, cum addita ſingulis hermenia. Quibus ſubiungitur *Voſſii* Probatio, quod Expoſitio fidei κατα μερος, ſecundum partem, & XII. Capita de fide ſint *Gregorii* thaumaturgi. 4) Sermones III. in Annunciationem B. Mariæ. 5) Sermo in ſancta Theophania, ſive de Chriſti baptiſmo. Sed omnia hæc ſcripta aliis aut ſpuria videntur, aut dubia. *Placcius* de pſeudon. 323. *Rivetus* Crit. S. l. 2. c. 16. *Cave* 68. *Olearius* T. I. 296. *Bellarm.* de ſcriptor. eccleſ. p. 45. *Labbe* T. I. 373. 6) Epiſtola canonica de iis, qui in barbarorum incurſione idolothyta comederunt, aut qui in captivitate idolis ſacrificaverunt, interprete Gentiano *Herveto*; cumque commentariis Theodori

Balſa-

Balſamonis. Continet XL. canones; quorum tamen ultimum plerique reiiciunt, & Gregorio noſtro abiudicant. 7) Diſputatio de anima: an exiſtat; ſubſtantia ne ſit, an accidens; corporea, an incorporea; ſimplex, an compoſita; mortalis, an immortalis. Sed *Cave* p. 68. eam annumerat ſuppoſitis. Et *Bellarminus* p.46. non audet quidquam certi in alterutram partem pronunciare. 8.) Metaphraſis in Eccleſiaſten Salomonis, interprete Iacobo *Billio.* Quæ verſio ſine textu græco hic exhibetur; cum cenſura tamen *Voſſii*, quod Metaphraſis illa non ſit alterius, quam Gregorii thaumaturgi. Vide etiam *Heinſium* Ariſtarchi p. 235. 9) Proſphonetica & panegyrica in Origenem oratio, Cæſareæ Palæſtinæ, cum in patriam reditum pararet, grati pro informatione animi teſtandi cauſſa dicta, interprete Iac. *Sirmondo*, ut *Labbe* indicat. 10) Vita S. Gregorii thaumaturgi, a *Gregorio nyſſeno* conſcripta. Atque hæc opuſcula fere omnia Notis Voſſii illuſtrantur. Poſt ea ſequuntur Miſcellanea SS. aliquot Patrum græcorum & latinorum antehac non edita, videlicet 1) *Ioannis* chryſoſtomi de Aſcenſione Domini Sermones IX. 2) Homilia, quod Deus ſit unus & trinus, & de myſterio incarnationis Domini. 3. *Baſilii* M. Epiſtola de frequenti communione. 4) *Eiusdem* Encomium in SS. XL. martyres. 5) Paſſio SS. XL. martyrum. 6) *Samona* de veritate ſacramenti euchariſtiæ Dialogus. Habitus cum Achmed ſaraceno, quem ille fidem chriſtianam docere nititur. 7) *Nicolai* de eadem Aſſertio. 8) *Antonii* abbatis Sermo de vanitate mundi, & reſurrectione mortuorum. 9) Monita *Pachomii* abbatis. Brevicula quidem, ſed, iudice *Cavio*, vere aurea. 10) Interrogationes cuiusdam fratris ad abbatem Paſtorem. 11) de muliere, quæ peccata ſua in charta perſcripſerat, & pro venia ſuorum peccatorum ad S. Baſilium & ad S. Ephræm recurrebat. 12) Paſſio S. Thomæ cantuarienſis. 13) Epiſtola *Leonis* magni, pontif. romani, ad Flavianum. 14) *Eiusdem* ad LEONEM Imp. auguſtum Epiſtola: in qua & Symbolum nicenum continetur. 15) Teſtimonia catholicorum Patrum de Ieſu Chriſto, quod verus Deus ſit, & verus homo, excerpta a papa LEONE I. 16) *Petri chryſologi* Epiſtola contra Eutychen. 17) Tractatus LEONIS papæ adverſus errores Eutychis & aliorum hæreticorum, nunc primum editus. 18) *Eiusdem* Edictum ſive decretum de bonis eccleſiæ non alienandis. 19) *Eiusdem* Epiſtola de auctoritate

Concilii nicæni, & non ambiendis pluribus eccleſiis. 20) Sermo incerti auctoris de SS. martyribus. Qui, iudice *Voſſio* noſtro, non eſt Leonis Papæ, ſed alicuius fortaſſe monachi, ſi non Auguſtini; ſicut etiam inter Sermones eius de Sanctis reperitur. 21) Alius ſermo de Abſalone, patrem ſuum Davidem perſequente. De quo ambigit *Voſſius*, an Petro Chryſologo adſcribendus ſit, interea faſſus, pulchrum eſſe & lectu digniſſimum. 22) *Patricii* Legatio, ſive Epiſtola, qua refert, ſe in Hiberniam miſſum fuiſſe a Papa CAELESTINO, atque inde in Britanniam reverſum, vitam eremiticam regalibus prætuliſſe curiis, ac viſionem habuiſſe domini Jeſu, dicentis: *Patrici, ſerve meus, ſcias, me elegiſſe locum iſtum* (erat videlicet oratorium in cacumine montis antiquum, ac fere dirutum) *ad honorem nominis mei, & Michaëlis archangeli mei; & hoc tibi ſignum: Brachium tuum ſiniſtrum areſcet, donec, quæ vidiſti, annunciaveris fratribus tuis, & denuo huc redieris.* Sed nos mittamus ſomniantem, eiusque Epiſtolam ſpuriam, & pergamus in recenſione, ut eam abſolvamus: immo iam finem attingimus. 23) Cantuarienſium archiepiſcoporum omnium Catalogus, ab Auguſtino usque ad Reginaldum cardinalem Polum, per Marianum *Victorium*, ex tabulis atque ſcripturis Eccleſiæ cantuarienſis collectus.

Gregorius, alias *Theodorus*, nobilibus & opulentis parentibus natus Neocæſareæ Ponti, per quinquennium, ſi non amplius, Origenis diſcipulus, ſed non ingratus, (memorando enim exemplo in laudem optimi doctoris panegyricum ſcripſit Cæſareæ Palæſtinæ, ibidemque ante, quam diſcederet, eo præſente coram erudita civitatis multitudine recitavit) neque ſolum in philoſophia, ſed etiam in fide chriſtiana ab eo informatus, a *Phadimo* autem, epiſcopo amaſeno, abſens, ad epiſcopatum neocæſarienſem, cum vix XVII. eſſent in urbe chriſtiani, tanto cum fructu ſpartæ demandatæ præfuit, ut moriens vix XVII. ibi relinqueret ethnicos, tantaque miraculorum gloria fulſit, ut *Thaumaturgi* nomen ferret, ſicut a virtute & doctrinæ præſtantia magnus appellabatur. Eundem ut martyrem celebrant Martyrologia & Menologia; ſed non niſi late accepto vocabulo. Anno Chriſti 265. cum fratre *Athenodoro* interfuit Synodo antiochenæ contra Paulum ſamoſatenum, vitaque exceſſit imperante AVRELIANO, hoc eſt, non ante annum 270. Vitam eius deſcripſerunt inter recentiores Nicol. Maria *Pallavicinus*,

nus, & Io. Lud. *Boje*, ille Romæ 1649. hic Ienæ 1709. Plura autem de eodem dabunt Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. lib. V. c. 1. p. 247. *Cave* 67. *Olearius* T. I. 296. *Bellarminus* de ſcriptor. eccleſ. p. 44. *Labbe* T. I. 371. *Oudinus* 21. *Magirus* 402. *Pope-Blount* 204. & *Lexicon univ. hiſtor.* T. I. 295.

Samonas archiepiſcopus Gazæ, floruit ſæculo XI. circa annum 1072. *Olearius* T. II. 150. *Cave* p. 432. & Ger. *Voſſius* in Notis p. 119.

Nicolaus, metropolita ſive epiſcopus methonenſis, claruiſſe videtur properante ad finem ſæculo XI. quamquam alii eum referant ad exitum ſæculi XII. ſcripſitque Tractatus III. de proceſſione Spiritus S. contra Latinos, (de tertio tamen dubitat Leo *Allatius*, an non iuniori alicui Nicolao methonenſi tribuendus ſit) &, quæ manu ſcripta in bibliotheca Electoris Bavarici aſſervetur, Diſcuſſionem theologicæ inſtitutionis *Procli*, platonici philoſophi, ne quis probabilitate deceptus a fide deficiat. *Cave* 437. *Olearius* P. II. 24. *Oudinus* 468.

Antonius, Comæ, qui vicus eſt iuxta Heracleam Aegypti, claro atque ſplendido genere ortus, primus eremi incola, manſuetus tamen & humanus, prudens ac fortis, atque in converſatione ſuavis & iucundus, contentionis patientiſſimus, & in defendendis iis, qui iniuria affecti eſſent, quorumque cauſſa ſæpius ad urbes veniebat, diligentiſſimus, litterarum fere rudis, quippe quibus bonam mentem, litteris antiquiorem, longe præferebat, in Thebaide obiit A. 357. ætatis 105. Tribuuntur tamen ei Epiſtolæ XX. Regula ad monachos, Adhortatio ad monachos, Sermones XX. ad monachos, Admonitiones & documenta varia ad monachos, Sententiarum quarundam expoſitio, atque ad varia interrogata Reſponſiones: quæ omnia Abr. *Ecchellenſis* ex arabico in latinum idioma convertit. *Athanaſius* in eius vita, I. A. *Fabricius* Biblioth. gr. lib. IIX. 345. *Cave* P. I. 107. *Olearius* T. I. 63.

Pachomius, Thebaide in Aegypto parentibus gentilibus natus, ſed chriſtianam religionem amplexus, in Tabbeneſim, Thebaidis vicum ſeceſſit, ibique tabbeneſenſium monachorum auctor & abbas factus, monachos ſui ordinis late propagari, immo ſuo monaſterio 1400 contineri non ſine voluptate vidit. Claruit ſub CONSTANTINO M. obiitque medio ſæculi IV. Eius ſunt Epiſtolæ V. ad collegas prepoſituræ ſuæ ſcriptæ, & Regula monachorum,

chorum, eaque brevis: quæ a ſucceſſoribus fortaſſe aucta & locupletata fuit. *Simeon* metaphraſtes in eius Vita, *Cave* P. I. 112. *Olearius* T. II. 51.

Patricius, nomine baptiſmali *Succat*, natus in oppido Britanniæ Nemthur, hodie Kirckpatrick dicto, inter fretum Dunbrittonæ & urbem Glaſcuenſem ſito, a Germano antiſſiodorenſi Romam miſſus, ibique a CÆLESTINO papa Hibernorum apoſtolus & archiepiſcopus conſtitutus eſt. In patriam reverſus ad Hiberniam convertendam ſe accinxit, omnesque fere inſulæ regulos ad fidem Chriſti converſos ſacro baptiſmate luſtravit. Religionem chriſtianam longe lateque diſſeminavit, eccleſias ſeu ſacras domos condidit, ſedes epiſcopales inſtituit, ſynodos celebravit, miracula, ut aiunt, patravit, tandemque dierum, laborum ac gloriæ ſatur mortis legibus paruit A. C. 493. ætatis 122. Jac. *Waræus* opera eius collegit, & cum notis edidit Londini A. 1656. 8. e quibus pro genuinis agnoſcuntur Confeſſio in epiſtola ad Hibernos explicata, Epiſtola ad Coroticum, regulum Cambro-britannicum, Synodus Patricii canones XXXI. complectens, Synodus epiſcoporum hibernicorum Auxilii & Acernini, canones XXXIV. comprehendens, Canones alii aliquot, & Proverbia non nulla. *Cave* P. I. 236. *Olearius* T. II. 58.

XLIX.

THEODORI Libellus adverſus hæreſes, quibus iam olim hypoſtatica duarum in Chriſto naturarum unio oppugnata eſt. Genevæ 1576. Hæreſes, puta, *Manetis*, *Apollinarii*, *Theodori* mopsveſteni, *Neſtorii*, *Eutychis*, *Iuliani* halicarnaſſei, *Severi* & aliorum. Libellus nunc primum græce editus, & latinus factus eſt a Theodoro *Beza*, prius autem latinitate donatus a Gothofrido *Tilemanno*, Carthuſiæ pariſienſis monacho. Exſtat etiam inter Bezæ opera volumine III. item ad calcem *Gelaſii* cyziceni, græce & latine editi Pariſiis A. 1599. 8. & in Auct. *Ducaei* Tomo I. Eundem cum *Turriani* verſione reperies in I. Tomo Additionum ad Bibliothecam SS. Patrum.

Theodorus, presbyter monaſterii, non rhæthenſis, quaſi in Rhætia, ſed raithuenſis, vixit tempore S. Maximi, quo familiariter utebatur, circa annum Chriſti 646. *Baronius* ad A. C. 657. n. 34.

Labbe

Labbe de Scriptor. eccleſ. T. II. 400. *Du Pin* T. VI. 28. *Olearius* Biblioth. ſcriptor. eccleſiaſt. T. II. 197. *Cave* 324. *Moller* de Homon. 521.

S. Cæcilii CYPRIANI Epiſtolæ 83. ſeorſum editæ ſtudio Lucæ Friderici *Reinharti.* Altdorfii 1681. Ordine Pameliano locatæ, ex editione Goulartiana in ſectiones diviſæ, & cum S. *Auguſtini* ad Cypriani argumenta de baptiſmo hæreticorum reſponſionibus ſuo loco ſubiunctis, Variis etiam *Pamelii*, *Rigaltii* aliorumque lectionibus & coniecturis, ut & *Gratiani* in Decreto, *Lombardi* in libris Sententiarum, ac *Thomæ* aquinatis in Summa theologiæ allegationibus in margine notatis, & aliquot denique Indicibus. Quam editionem *Du Pinius* quidem Tom. I. Biblioth. eccleſ. p. 175. negat magni quid continere præter magnam MSS. copiam, (in quo tamen errat bonus vir, cum *Reinhartus*, ut ipſe in Præfat. fatetur, nulla habuerit MSS. fortaſſe autem dicere voluit, *Variarum lectionum*) ad quæ fuerit reviſa & correcta; at *Crenius*, laudis certe neutiquam prodigus, Animadverſ. Parte XVI. 293. eam laudat, dicitque eſſe optimam.

Lucas Frid. *Reinhart*, noribergenſis, G. *Calixti*, quem ad Colloquium torunienſe euntem, iuſſu Superiorum ſuorum ſecutus eſt, ut, quæ ibi agerentur, in patriam perſcriberet, Conr. *Hornei* & Io. *Muſæi* diſcipulus, Altdorfii docuit tam in ambone eccleſiaſtico, quam in cathedra academica, per plures annos, ea facilitate, ἀκριβείᾳ, aſſiduitate ac religione, ut ſatis laudari nequeat; præluxit etiam auditoribus ſuis tanta vitæ ſanctitate ac temperantia, tanta caritate item, manſuetudine, & comitate, ut omnes eum non modo amarent, ſed & maximo venerarentur opere. Ego quoque eum habui olim magiſtrum, deinde autem X. annos collegam ſuaviſſimum, donec atrophia ſcorbutica laborare inciperet, & febre maraſmode exſtingueretur anno Chriſti 1688. in feſto aſcenſionis Domini, cum annum ætatis ageret ſextum & ſexageſimum. Inter ſcripta eius ſunt Synopſis theologiæ chriſtianæ dogmaticæ, Primitivæ eccleſiæ arma victricia, Monita euangelica & epiſtolica, & Gemmulæ theologicæ iuris canonici. Vide *Programma*, quod ipſe compoſui, in funere eius ab Academiæ altorfinæ rectore poſitum, & *Wittium* Diar. biograph. T. II. 152. Neque ignotus fuit præſtantiſſimo doctori regiomontano, Mart. Silveſtro *Grabio*, qui in Appendice apologet. ad Regii Formulas caute loquendi p. 150. elogio

Digitized by Google

eum ornat theologi altdorſini famigeratiſſimi. Et Conr. *Hornejus* in litteris ad Dan. Wülferum, Helmſtadii A. 1649. prid. Kal. Maii exaratis, hunc in modum ſcribit: M. Reinhartum *hic plane retenturi eramus; iamque ei oblatus erat in oppido provinciæ Gœttingenſis locus; ſed cum magnificus & nobiliſſimus Senatus veſter eum dimittere nollet, in patriam redit. Hunc ut vobis commendem, non eſt opus: notus enim eſt. Id tantum dico, dignum eſſe præ ceteris, ut ratio eius accurata habeatur: hoc enim doctrina, virtus & pietas eius inſignis meretur.*

Aurelii AVGVSTINI de Doctrina chriſtiana libri IV. eiusdemque de Fide & Symbolo liber I. & VINCENTII lerinenſis Commonitorium. Helmeſtadii 1655. iterum recenſente atque edente Georgio *Calixto*. Prior enim editio prodierat A. 1629. in 8. Si vero Præfationi oxonienſis editionis Vincentii A. 1631. in 12. credimus, puriorem ea & emendatiorem non licebit reperire. Cui tamen non cedit, ſi non prævalet, *Baluziana*, quæ Pariſiis lucem adſpexit A. 1669. in 8. & Cantabrigiæ 1687. 12. Et *Crenius* quidem P. I. Animadverſ. p. 113. coniunctionem iſtam *Vincentii* cum *Auguſtino*, a Calixto factam, minus aptam eo putat, quod ille ſemipelagianiſmi ſuſpectus ſit; ſed P. IV. 208. faventior ſcribit, libros Auguſtini de Doctrina chriſtiana aliquoties in uſum eccleſiæ a magnis viris ſeorſum recenſitos & editos eſſe, olim quidem a D. Sal. *Geſnero*, poſtea a D. Georg. *Calixto*, qui & librum de Fide & Symbolo eiusdem Aurelii addiderit, & *prolixa præfatione adauxerit, in qua ſummam horum librorum nervoſe proponat, & de Traditione eccleſiaſtica, occaſione* Vincentii Lerinenſis *ſimul editi, diſſerat.* Eodem in prooemio, (quod ad Papæ romani uſurpatam in ſpiritualibus ac temporalibus poteſtatem, neç non omnes pontificias novitates, ſuperſtitiones & errores evertendos, ut in Refutatione Buſcheri P. II. 26. dicitur, præcipue tendit) *Calixtus* etiam loquitur de ambobus iſtis eccleſiæ doctoribus, *Auguſtino* & *Vincentio*, atque his eorum ſcriptis, Admonitionem ſubiungens, in qua de occaſione agit editi a ſe Commonitorii, & Symbolo apoſtolico, tanquam ſumma fidei chriſtianæ. P. 271. duo adfert Excerpta ex *Paciani* Epiſtolis, ut pateat, & quanti genuinam antiquitatem priſci doctores fecerint, & quod in rebus fidei genuinam non putaverint, quæ poſterioribus temporibus cœpit, & ad Chriſtum atque Apoſtolos referri nequit. In Dedicatione autem ad D. Petrum *Tuckermannum*, Aulæ & ditionis brunſvic. protecclesiaſten & abbatem

tem riddageshuſanum de neceſſitate conſenſus inter theologos aulicos & academicos, nec non de diſcrimine ſtudioſorum theologiæ pie & graviter diſſerit. Ceterum de libris Doctrinæ chriſtianæ vide *Hildebrandum* de Precib. veterum Chriſtianor. p. 71. *Titium* Oſtenſ. ſummar. 28. & *Breithauptum* Program. IIX. 101. De Traditione autem eccleſiæ catholicæ, quam Vincentius, ad fidei munimen contra hæreticorum fraudes, divinæ legis ſeu ſcripturarum auctoritati adiungit, ſciendum, eum illam ſumere ſignificatu ſpeciali, videlicet pro teſtimonio eccleſiæ, quod de doctrina ab Apoſtolis & primis eius præconibus & myſtis accepta perhibet.

Vincentius, Tulli Leucorum natus, ex milite monachus, & quidem presbyter, in monaſterio inſulæ Lerinæ, ad litus inter Liguriam & Maſſiliam in Italiæ & Galliæ confinio ſitæ, unde & Lerinenſis appellatus, neque confundendus cum Vincentio Galliarum præfecto, vixit ſæculo V. Aur. Auguſtino aliqua parte æqualis, obiitque ante annum 450. & ſcripſit nitido ſatis, uti *Gennadius* iudicat, & aperto ſermone Commonitorium ſuum, ſub nomine *Peregrini* latitans, (quod eius modeſtiæ tribuendum) tertio, ut ipſe ait, poſt Concilium epheſinum anno, æræ videlicet chriſtianæ 434. hoc eſt, quarto poſt obitum Auguſtini. Duo equidem compoſuit Commonitoria; ſed cum poſterius maximam partem interciderit, quid opus eſt eius rationem habere? Hoc potius notamus, ſicut Io. *Coſterius* & Barthol. *Petrus* Lintrenſis, nec non Steph. *Baluzius* breves in eum Notas ſcripſerunt, ita Dominicum *Gravinam* commentario eundem illuſtraſſe, & Seraph. *Piccinardum* ſtuduiſſe, pelagianiſmi maculam ab eo ut abſtergeret, denique ſub iudice litem eſſe, an Obiectiones adverſus Auguſtini ſcripta, & doctrinam de Prædeſtinatione ac libero arbitrio noſtri ſint Vincentii, Prædeſtinati vero auctorem eſſe *Vincentium Victorem*, cui libros IV. de origine animæ Auguſtinus oppoſuit. Vide G. *Calixtum* in Prooem. p. 20. qui & pag. 24. ſubiungit veterum & recentiorum de Vincentio, eiusque ſcripto teſtimonia & iudicia, *Magirum* 795. *Pope-Blount* p. 298. *Placcium* de pſeudon. 490. *Mollerum* de homon. 640. *Noriſium* in Diſſert. hiſt. III. *Sainjore* Biblioth. crit. T. III. 474. *Baluzium* in Dedicat. Salviani & Vincentii noſtri ad illuſtriſſ. abbatem Iac. Nicol. Colbertum, *Räſevvitzium* Delineat. cathol. eccl. 24. F. V. *Calixtum* diſp. de Vniverſ. primitivæ eccleſ. au-

ctorit. §. 2. 23 *Cavium* 239. *Olearium* P. II. 229. *Crenium* Animadv. P. XIX. 47. & *Bergerum* Diſſert. acad. 400.

Pacianus, hiſpanus, epiſcopus barcinonenſis, caſtigatæ eloquentiæ, & tam vita, quam ſermone clarus, ſcripſit varia opuſcula, videlicet contra Novatianos Epiſtolas III. (quas librum contra Novatianos vocat Hieronymus) Paræneticum ad pœnitentiam, libellum de baptiſmo, & Κέρβον, Cervum ſive Cervulum, i. e. librum contra ludicri cuiusdam genus, quod apud Paganos & Chriſtianos in Gallia, forſan & in Hiſpania, uſitatum erat, (qui quidem liber interiit) ſubque THEODOSIO Imp. admodum ſenex eſt mortuus præter propter anno Chriſti 389. Paciani editio omnium optima, romana eſt, a Petro *Galeſinio* & Paulo *Manutio* curata. Neque hoc prætereundum, *Fl. Dextrum* eius fuiſſe filium. *Hieronymus* de ſcriptorib. eccleſ. c. 106. *Cave* 132. *Colomeſius* 705. *Olearius* P. II. 52.

Ioachim Iuſti BREITHAVPTII Inſtitutio hermeneutico-homiletica. Kilonii 1685. Hoc in opuſculo præcepta interpretandi Scripturam ſacram & concionandi ex *Auguſtini* de doctrina chriſtiana libris IV. conquiruntur, illuſtrantur, atque ad uſum accommodantur. Et in Præfatione loquitur auctor de præſtantia & ſcopo illorum ſancti patris librorum, oſtendens, nihil ei aliud propoſitum fuiſſe, quam monſtrare viam & adminicula ſcripturam ſacram tractandi, intelligendi videlicet ac docendi doctrinam chriſtianam, id eſt, hermeneuticæ ſacræ & homileticæ fontes aperire, ut antea nemo fecerit; non igitur res ipſas, ſed modum inveniendi eas atque eloquendi præcipue tradere: ſe autem, ne diſcentes tanto theſauro carerent, libros illos, verbis auctoris plerumque retentis, in nucleum quaſi contraxiſſe. Iam hæc Inſtitutio hermeneutico-homiletica, ſed ſine Dedicatione ad *Chriſtianum Albertum*, heredem Norvagiæ, poſtulatum coadiutorem epiſcopatus lubecenſis, Ducem Sleſvici & Holſatiæ, eſt appendix Inſtitutionum eius theologicarum, ut diſcentes compendium haberent theologiæ non modo dogmaticæ & moralis, ſed etiam homileticæ. Vide *Acta erudit.* A. 1695. 82.

Ioachim Iuſtus *Breithaupt*, northemus, natus anno 1657. primo conrector ſcholæ wolfenbuttelenſis, deinde homileticus in academia kilonienſi profeſſor, poſtea eccleſiaſtes aulicus meiningenſis, mox aſſumtis Doctoris honoribus, profeſſor ac Miniſterii euangelici

gelici ſenior in civitate erfurtenſi, nunc autem princeps in academia halenſi theologus, pariterque ſuperintendens generalis eccleſiarum in Ducatu magdeburgenſi, conſiliarius conſiſtorialis, abbas bergenſis magdeburgicus, & Seminarii theologici ſacrorumque hilderslebienſium director, pietatis ſtudio, eximia doctrina, elegantiorum litterarum ac poëſeos cultu, & præclaris ſcriptis, quorum catalogus typis impreſſus exſtat, inclytus, ſicut ipſe ſtilo uſus eſt contra unum & alterum, ita adverſarios expertus eſt Io. Frid. *Mayerum*, Seb. *Edzardum*, Io. *Fechtium*, Val. Ern. *Loeſcherum*, directorem Relationum, ut vocantur, innocuarum, & Io. Chriſtoph. *Wolfium*. Scripta autem eius abſolvuntur Syſtematicis, Homileticis, Diſputationibus, Programmatibus, Præfationibus, Apologiis, Epiſtolis, Orationibus & Carminibus.

L.

Aurelii AVGVSTINI & aliorum quorundam ad ipſum ſcriptæ Epiſtolæ CCLXXIIX. cura Lucæ Frid. *Reinharti* ſeorſum editæ. Altdorfii 1668. Alii illi ſunt *Voluſianus*, *Marcellinus*, *Hieronymus*, *Longinianus*, *Paulinus*, *Severus*, *Maximus*, *Macedonius*, *Dioſcorus*, *Clerici Hippone catholici*, *Nebridius*, *Heſychius*, *Patres Concilii carthaginenſis*, (tempore Innocentii I. Papæ) INNOCENTIVS, *Euodius*, *Audax*, *Publicola*, *Paſcentius*, *Bonifacius*, *Conſentius*, *Alipius*, *Theraſia*, *Nectarius*, *Valentius*, *Theodorus*. In Præfatione loquitur auctor de modeſtia Auguſtini, qua ſua ſcripta aliorum cenſuræ exponit, de præſtantia Epiſtolarum Auguſtini, utpote de quibus *Eraſmus* in Præfat. ſcribat, *non alio in opere magis eluceſcere ſanctisſimi viri pietatem, caritatem, ſtudium crediti gregis, amorem concordiæ, & zelum domus Dei*. Paucis: *ex aliis Auguſtini libris perſpicere licere, qualis fuerit adhuc infans in Chriſto; ex aliis, qualis fuerit iuvenis, qualis ſenex; ex hoc uno volumine ſimel totum Auguſtinum te cogniturum.* His rationibus ſe impulſum ait *Reinhartus*, opus hoc ut ſeorſum, in gratiam ſtudioſæ iuventutis, prodire iuberet; neque tantum dediſſe Epiſtolas ab Eraſmo olim editas, ſed & eas, quæ ex vaticana bibliotheca acceſſerunt, & alias, a nemine adhuc inter Auguſtini epiſtolas relatas, in ceteris tamen operum eius Tomis, pro rerum ſimilitudine, relictas. Ea, quæ in margine conſpiciuntur, continent allegationes S. ſcripturæ, Iuris canonici, Lombardi, Codicis

Theodoſiani, & Thomæ aquinatis, quibus alii multas implerent paginas. Denique ſub finem voluminis exhibentur IV. Indices, quorum ultimus ita eſt theologicus, ut Hiſtorico-gnomologici titulo ſimul dignum facile ſis deprehenſurus. Ad Epiſtolam XC. quæ eſt Patrum concilii carthaginenſis, & ad Epiſtolam XCII. quæ eſt Auguſtini & ceterorum epiſcoporum Concilii milevitani, legenda eſt Henrici *de Noris* Cenſura in Notas Garnerii ad Epiſtolas ſynodales

Ep. XIX. p. 68. Solis eis Scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſime credam --- alios autem ita lego, ut, quantalibet ſanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt; ſed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel *probabili* ratione, quod a vero non abhorreat, perſuadere potuerunt.	Per probabilem rationem S. pater *probam & firmam* ſeu *validam* intelligit; ſicut explicant F. V. *Calixtus* in Append. reſponſion. ad Theſes antiſyncretiſticas Y, & *Grabe* ad Regii Form. caute loq. 149.
Ep. XLIIX. p. 171. Putas, neminem debere cogi ad iuſtitiam, cum legas (Luc. 14, 23) patrem familias dixiſſe ſervis, Quoscunque inveneritis, *cogite* intrare? Et p. 177. Vides iam, ut opinor, non eſſe conſiderandum, quod quiſque cogitur; ſed quale ſit illud, quo cogitur, utrum bonum, an malum. --- Mea primitus ſententia erat, neminem ad unitatem Chriſti eſſe cogen-	Cogite, non vi, ſed *per civilitatem, precibus, ac rationibus* ad perſuadendum idoneis. *Le Cene* dans le Projet d'une nouvelle verſion Françoiſe de la Bible 94.

Immo

dum; ſed hæc opinio mea, non contradicentium verbis, ſed demonſtrantium ſuperabatur exemplis.	
Ep. LVII. p. 279. & p. 452. *Non facile alicubi ſcripturarum* inferorum nomen poſitum invenitur in bono.	Immo *Gen.* 37, 35. *Pſ.* 6, 9. 16, 10. Act. 2, 27. *Grabe* Append. apol. ad Regii Form. c. I. p. 189.

LI.

Aurelii AVGVSTINI libri II. de adulterinis coniugiis ad Pollentium, cum notis celeberrimi ICti. Ienæ 1698. ICtus hic dicitur eſſe Io. *Schilterus*. Controverſia autem inter Auguſtinum & Pollentium, quæ hic tractatur, reduci poteſt ad duo capita, quorum prius eſt de iure diuortiorum, alterum de iure iterum nubendi poſt diuortium. In priori, Auguſtinus negat ius diuortiorum, regulariter, excepta cauſſa adulterii: Pollentius affirmat, regulariter. In poſteriori, Auguſtinus ius iterum nubendi, vivente altera parte, nullo modo admittit, neque in cauſſa adulterii: Pollentius vero in hac cauſſa admittit. Denique ſicut Auguſtinus in priori quæſtione facundia diſputandi, quippe in cauſſa meliori, optime utitur; ita Pollentii ſcripta in poſteriori quæſtione non immerito deſiderantur.

Io. *Schilter*, Pegavio-ſaxo, ICtus, primum ſer. Ducis Saxoniæ Bernhardi a conſiliis aulicis & conſiſtorialibus Ienæ, dein conſiliarus Reip. argentoratenſis, & profeſſor honorarius, in Præfatione huius tractatus encomio viri celebris, & divinarum litterarum, omnisque iuris & humanioris doctrinæ cultu excellentis honoratus, ſecundum Conradum *Sincerum*, ſive Io. Georg. *Kulpiſium* in Diſſertat. epiſtol. de German. legum veterum, ac rom. iuris in Rep. noſtra origine autoritateque præſenti p. 122. ſingulari elogio appellandus, &, iudice *Schurzfleiſchio* Epp. ſelectar. p. 171. ordinis ſui & Aulæ (ſaxonicæ) ornamentum, immo ſummus vir, & omni cura pro republica, & amplificandis bonis litteris nitens, edidit Inſtitutiones Iuris canonici, Reſponſionem ad Diſſertationem Conradi *Sinceri*, de quo iam diximus. Praxin iuris romani in foro germanico, Inſtitutiones iuris ex principiis iuris naturæ, gentium

tium & civilis, Commentarium in Herennii *Modeſtini* Fragmenta libri περι ευρηματικων ſive de cautelis, Introductionem ad ius feudale utrumque, germanicum & langobardicum, Codicem iuris alemannici feudalis cum commentario & diſſertationibus, Obſervationes hiſtoricas in Chronicon Iacobi *de Konigshofen*, Elementa iurisprudentiæ totius, tam romanæ quam germanicæ privatæ, Librum de pace religioſa, Tractatum variorum de renunciatione cum præfatione & notis, Inſtitutiones iuris publici romano-germanici, Επινικιον rhythmo teutonico LVDOVICO regi acclamatum, cum verſione latina & commentatione hiſtorica, Diatriben de S. R. I. Comitum prærogativa ac iure inter ipſos & Ordinem equeſtrem immediatum controverſo, Notas ad G. A. *Struvii* Syntagma iuris feudalis, & plura, quæ recenſentur in Tomo II. Novæ bibliothecæ p. 868. laboribusque hiſce ac pluribus aliis defunctus eo abiit, ubi quies atque otium eſt ab omni labore, idque contigit A. 1705. quum annum ætatis ageret 73. Vide etiam *de Conduite* der correſponder. Rycks-Vorſten p. 30. G. W. *Wedelium* in fun. Georgii Schubarti, A. 3. *Schurzfleiſchium* Epp. ſelect. p. 175. 607. B. G. *Struvium* Diſp. de Synodo francica p. 39. & Io. Guil. *Bergerum* Program. A. 1715. Non Mart. p. 22.

Aurelii AVGVSTINI liber de Hæreſibus, emendatus & commentariis illuſtratus a Lamberto *Danao*. Helmſtadii 1673. edente Gebh. Theod. *Meiero*, ſed vitioſe admodum. Prior editio eſt genevenſis A. 1576. cui pii cuiusdam viri tractatus de Eccleſia erat additus. In præſenti opere adiunxit *Danaus* hæreſes ab Auguſtino omiſſas, uſque ad inſtitutum papiſmum & mahumediſmum: arborem etiam confecit hæreſeon, ex qua, quo modo aliæ ex aliis natæ ac propagatæ ſint, perſpicue licet perſpicere.

Lamb. *Danaus*, aurelianenſis, viſo triſti ſpectaculo, quo Anna *Burgius*, ICtus doctiſſimus & ſenator ſanctiſſimus, præceptor ipſius, Lutetiæ propter euangelii doctrinam ſtrangulatus cremabatur, ita commotus eſt, ut in veritatem illius doctrinæ quam diligentiſſime ſibi inquirendum iudicaret: quo facto nullus dubitavit, ſicut ſtudium iuris theologico, ita patriam religionem reformata permutare. Calvinum igitur & Bezam audivit, ſeque totum ſacris litteris tradens, ſumma induſtria, nocturna diurnaque auctorum lectione, & ſtupenda memoria id conſecutus eſt, ut theologorum

logorum ſui temporis præſtantiſſimis accenſeretur, variaque loca eius doctrina gaudere & illuſtrari poſſent: docuit enim Genevæ, Lugduni Batavorum, Gandavi, atque Orthefii in regno navarreno: quo ultimo in loco, vel potius in eius vicinia, finem vivendi in his terris fecit anno 1596. ætatis 66. poſtquam non minus calamo, quam ore magnam ſibi famam acquiſiverat: multa enim ſcripſit ediditque, videlicet Elenchum hæreticorum, Ethicam, Politicam & Phyſicam chriſtianam, Aphoriſmos politicos, Geographiam poëticam, de Amicitia chriſtiana, ludo aleæ, & veneficis, Explicationem orationis dominicæ, in Salomonis Proverbia & Eccleſeaſten, in euangelium Matthæi, Marci, & Ioannis, in I. ad Timotheum, epiſtolam ad Philemonem, atque in epiſtolam Iudæ, Polemica denique adverſus Guilielm. *Genebrardum*, Martin. *Chemnitium*, quem vindicavit Frid. *Petri*, Iac. *Andream*, Luc. *Oſiandrum*, Stephan. *Gerlachium*, Nicol. *Selneccerum*, ac Robert. *Bellarminum*, defenſum quidem ab Andrea *Eudæmon-Ioanne*. Vide, ſi lubet, *Academiam leidenſem*, p. 13. Melch. *Adamum* in Vitis theologor. exteror. p. 177. *Koenig*. 235. & *Crenium* P. XI. Animadv. p. 93. 101. ac P. XIX. 101. A *Thuano* ad A. 1596. vocatur magnæ eruditionis inter Proteſtantes theologus.

Chriſtoph. PELARGI Epitome univerſæ theologiæ, ſive explicatio IV. librorum *Damaſceni* de orthodoxa fide. Francofurti ad Viadrum 1607. Io. Chriſt. *Beckmannus* in Notitia Vniverſit. francofurt. p. 126. Explicationem hanc vocat egregiam, *Crenius* Exercitat. III. de Libris ſcriptor. optimis p. 37. optimam, & Wittebergæ ea a D. Frid. *Balduino* defenſa eſt per Caſtigationem Cenſuræ calviniſticæ, A. 1612. 8. ſicut ipſe auctor in præfatione huius operis ſe & locutiones ab ipſo adhibitas tuetur contra anonymum quendam calviniſticum.

Chriſtoph. *Pelargus*, germanice *Storch*, (quidam enim ex eius maioribus, vir magnæ ſtaturæ, & in cuius domus cacumine quotannis ciconia nidificabat, *der lange Storch* i. e. Procerus cicogna fuit dictus) in academia francofurtana primum Organi ariſtotelici, deinde græcæ linguæ, ac poſtea, quum honores doctorales conſecutus eſſet, theologiæ profeſſor, præterea generalis ſuperintendens marchicarum eccleſiarum, nec non paſtor francofurtanus & ſpecialis inſpector illius dioeceſeos, in hoc honorum culmine, quamvis

a multis variisque Principibus & Magiſtratibus expeteretur, totos XXXVII. annos ad finem uſque vitæ ſtetit; nec tamen fuit ſine faſtidiis & adverſis, atque calamitatibus, præſertim; quum ad partes Reformatorum, quos non amplius condemnare audebat, tranſiiſſet, iccirco paſſim proclamatus apoſtata, ut qui fidem Chriſti abnegaſſet. Vidit etiam luctuoſum illum diem, quo urbs Francofurtum expugnata in manus hoſtis incidit, & ſupellex ipſi a milite rapta; hoc tamen beneficii a præpotente accepit victore, ut bibliothecæ ſuæ, quæ poſtea Vniverſitati ceſſit, cuſtodes adderentur, atque ita hic theſaurus ab interitu liberaretur. Scripſit bene multa, Exegetica videlicet, (in Pentateuchum, Matthæum & Ioannem) Didactica, e quibus eſt Compendium theologiæ A. 1616. Polemica contra Catholicos, Lutheranos, (ut Conr. *Schluſſelburgium*, Dan. *Cramerum*, qui & ſub nomine Dan. *Candidi* latuerit, & Frid. *Balduinum*) & Arianos, denique Particularia, in quibus ſunt Orationes, Conciones, Poëmata, & Bibliotheca theologica, laborumque & vitæ finem, quum rediiſſet a viſitatione ſcholæ Vallis ioachimicæ, fecit anno 1633. ætatis 68. Laurus ei, tanquam inſigni poetæ, domum miſſa eſt; ſed ille, qua erat modeſtia, honorem iſtum recuſavit, gratulationibus pariter miſſis ex tempore ſubſcribens:

Non ego vel fatui, vel vatis nomen habebo,
Nec laudem cygni poſco, Pelargus *ero.*

Idem in domo ſua adſcriptum habuit:

Hoſpitium breve quaque domus: peregrinus in illa
Quisque eſt. Cælum qui tenet, in patria eſt.

Plura de eo tradunt Io. Chriſtoph. *Becmannus* Notitiæ Vniverſit. francofurt. p. 56. 122. & in Catalogo libror. biblioth. francofurt. 220. atque *Koenigius* p. 616. Vide etiam *Müllerum* in Atheiſmo p. 39. & *Bibliothecam Schrader*. P. I. A 2.

LII.

Hugonis GROTII de Iure belli ac pacis libri III. Cum Annotatis auctoris & Excerptis annotationum variorum virorum inſignium in totum opus, edente illud Io. Chriſtoph. *Becmanno*. Francofurti ad Viadrum. 1691. Editio hæc denuo impreſſa fuit A. 1699. & prima ipſius *Grotii* Pariſiis A. 1625. poſtquam ſummus vir *Peireſcius* doctiſſimum *Grotium* ad opus hoc ſcribendum excitave-

rat

rat atque expugnaverat, de bono publico hac ratione immortaliter meritus. Viri autem illi inſignes, unde *Becmannus* excerpta ſua petit, ſunt Io. Ad. *Oſiander*, Caſp *Zieglerus*, Io. Henr. *Boeclerus*, Io. Frid. *Gronovius*, Io. Georg. *Simon*, Henricus *Hennigus*: cernimus namque, ait ille in Præfatione, in *Gronovio* elegantem periphraſin verborum auctoris, & adiuncta ex aliis ſcriptoribus verba & facta parallela; in *Oſiandro* ſacrorum ſedulum examen, variorumque, quæ circa quæſtiones motas diſputari poſſint, collectanea; in *Boeclero* altiorem ex iure naturæ & factis veterum doctrinæ & exemplorum *Grotii* indaginem, cautelasque ad id neceſſarias; in *Zieglero* ex iure civili pariter ac iure naturæ rationum augmenta; in *Simone*, præter ſtricturas ex iure civili & publico, diligentem locorum Scripturæ collationem; in *Hennigo* conatum cum aliis principiis confirmandi, ſæpe & defendendi Grotium. Neque intermiſit, *verſionem gallicam* (Antonii *Courtini*) in ſubſidium vocare, & quædam ex ea inſerere, quoniam enixo ſtudio accurata verborum auctoris paraphraſi mentem eius exprimendi commendare ſe ſe videbatur; ſuorum autem aliqua ut adiungeret, religioni ſibi duxit. Hunc igitur clariſſimi viri laborem, ut egregium & utilem, laudat exquiſiti iudicii candidique animi philoſophus ac theologus, Io Fran. *Buddeus* in Selectis iuris naturæ & gentium p. 59. Quamquam CL. *Struvius* Biblioth philoſoph. c. 8. §. 2. haud dubitet ſcribere, eum in contrahendis excerpendisque aliorum notis haud æquum ubivis iudicium exhibuiſſe. *Eiusdem* in eadem pagina iudicio, inter commodiores ac meliores editiones habenda eſt *Gronovii*, quæ prodiit A. 1688. idemque de hagenſi A. 1680. ſentit *Crenius* Diſſert. I. de libris ſcriptorum optimis p. 54. Perilluſtri Lib. Bar. *a Lyncker* in Felleri Monum. var. ineditis p. 447. optima videtur eſſe Io. *Teſmari*, excuſa Francofurti A. 1696. f. ſed ei palmam reddere dubiam videtur nova illa, quam curavit Io. *Barbeyrac*, notasque ſuas addens publicavit hoc ipſo anno (1720.) Amſtelodami in 8. maiori, proxime etiam in lucem producturus verſionem ſuam Grotiani operis gallicam, quæ ſuperatura eſt, ut aiunt, Curtinianam. Sunt & alii, præter ſupra dictos, commentatores, nominatim Io Georg. *Kulpiſius*, Vlricus *Obrecht*, Gerhardus *Van der Muelen*, Io. Wolfg. *Iæger*, & ipſe etiam Sam. *Pufendorf*, quippe qui in ſuo opere *Grotium* illuſtrat & ſupplet; minime vero

Digitized by Google

Conringius, ut ipſe fatetur in Conringianis p. 64. atque ad epitomatores pertinent Iac. *Thomaſius* & Io Phil. *Mullerus*, qui doctrinam *Grotii* in tabulas redegerunt, & Ianus *Klenckius*, Io. Georg. *Simon*, Io. Henr. *Sincerus*, Phil. Reinh. *Vitriarius*, quorum duo priores auctorem noſtrum per quæſtiones contraxerunt. Atque ut nihil eſt, quod omnibus placeat, ita nec Grotiani libri ſine adverſariis fuerunt, ſed nec ſine defenſoribus etiam; & ante paucos annos, videlicet A. 1712. Io. *Arndius* dantiſcanus Roſtochii emiſit Specimen, tanquam prodromum maioris tractatus, de *Hugone Grotio*, a commentatoribus Iuris belli & pacis, aliisque immerito vapulante. Immo obſervatum eſt a viris ſagacibus, *Grotium* a turba commentatorum non tam illuſtratum, quam obſcuratum eſſe; neque continere ſe potuit celeberrimus in Batavia ICtus, atque in ſcriptis grotianis verſatiſſimus, *Vitriarius*, quin grotiani nominis cultori ac vindici, Io. *Arndio*, prout hic fatetur in Specimine ſuo p. 11. libere atque ingenue diceret: *Commentatores ſive interpretes Grotium non recte intellexiſſe, ſcriptosque ab iis eſſe commentarios non in, ſed circa Grotium, ab eoque errore ne* Boeclerum *quidem, quem alioquin ut præceptorem veneretur, immunem eſſe.* Pufendorfium *ſuo opere palmam omnibus prærepturum fuiſſe, niſi ob rationes ſæpe infirmas a Grotio diſſenſiſſet. Commentatorem igitur in Grotium non habere nos ipſo Grotio meliorem.* Id quod clariſſimus *Becmannus* in præſente præfatione timidius expreſſit his verbis: *Forſan & ſufficiens a Grotio diſſentiendi cauſa non ſemper exſtitit: fortaſſis idem Grotius cum parte adverſa ſæpe ſenſit, ſed non ſatis ab eo expreſſum, vel ab aliis quæſitum. Ne dicam, multum differre, in Grotium ſcribere, & occaſione eiusdem ſcribere; multa quoque in theoria diſputari, quæ in praxi vita humana locum non inveniunt.* Interim apud ſolide eruditos, æquos ac prudentes ſemper conſtabit operi huic Grotiano, quod inter omnes eius libros caput effert, quod & conſultiſſimus *Schützius* germanica verſione ſervatum ivit, ſuum pretium, nec niſi cum fine mundi deſinet eſſe admirandum atque incomparabile. Vide, ſi lubet, *Acta eruditorum* A. 1692. 456. & A. 1707. 34. I. G. *Bergerum* Diſſert acad. 151. *Biblioth. Schrader.* P. I. K 3. I. C. *Boehmerum* Program. A. 1709. A 2. *Boeclerum* Bibliograph. crit. 225. 352. 6 9. 772. 898. *Boineburgium* Epp. ad Dietericum p. 126. *Boſium* de compar. prudentia civili §. 105. *Clericum* T. IX. de la Bibliotheque choiſie 388. *Cloppenburg.* de Vſuris

p. 48.

p. 48 *Colomeſium* 459. *Conringiana* 61. 347. *Crenium* de libris ſcriptor. opt. p. 53. Diſſert. I. de furib. librar. 78. & Diſſert. II. 27. nec non T. II. Methodorum 345. 399. 459. ipſum etiam *Grotium* Epp. præſt. viror. p. 764. *Pufendorf.* præf. in libb. ſuos, Car. Ott. *Rechenberg* Program. A. 1701. *Schurzfleiſchium* Epp. ſelect. p. 564. & Epp. arcan. P. I. 58. 464. 614. P. II. 344. *Sorberiana* 132. *Struvium* Hiſt. philoſoph. 187. & Chriſtian. *Thomaſium* in Scriptis parvis german. 398. Et quod ad ſtilum celeberrimi auctoris noſtri, quo uſus eſt hoc opere, attinet, de eo peritiſſimus artifex, *Boeclerus*, in Crenii Methodorum Tomo I. 382. ſcribit, eſſe gravem, & maieſtati rerum convenientem: optandumque eſſet, ut falſas ſive erroneas Rabbinorum allegationes, quas ſe in *Grotio* animadvertiſſe aſſeverabat *Wagenſeilius*, tam longo tempore, quo profeſſioni iuris & orientalium linguarum præfuit, correxiſſet, indicaſſet, ac fidem olim datam vindicaſſet, aut omnino tacuiſſet: ad quid enim nobis tam diu ſalivam movit? Sed miſſis aliis, agedum, eamus propius ad elegantiſſimum corpus, & nævos, quos in eo viri docti ſibi obſervaſſe videntur, ſpectemus atque annotemus.

In Prolegomenis §. 8. p. 9. *Societatis cuſtodia* humani intellectui conveniens, fons eſt Iuris naturæ.	*Dei voluntas* eſt iuris naturalis cauſa, quam efficientem, itemque principium eſſendi in ſcholis barbare vocare ſolent. *Buddeus* Select. I. N. & G. 66. *Keſtner* de I. N. & G. 8. Vide tamen etiam I. W. *Iägerum* Comment. in *Grotium*.
Lib. I. c. 1. §. 10. pag. 69. Ius naturale *eſt dictatum rectæ rationis.*	Hæc ſententia maxime dubium & ſuſpectum reddit ius naturæ, cum non conſtet, cui præ altero rectior ſit ratio. *Keſtner* 21.
§. 12. p. 77. A poſteriori, iuris naturalis eſſe colligitur id, quod *apud* omnes *gentes*, aut *moratiores* omnes, tale eſſe creditur.	Principum hoc eſt *valde lubricum & incertum.* Alia gens alia eſt moratior; ſed quid ſit bene moratum eſſe, in eo non conveniunt. *Conringiana* 325.

Cap. 3. §. 20. p. 222. Reges hebræi quin in rebus *pleriſque* ſummo iure imperaverint, dubitari nefas arbitror.	In rebus *omnibus*; ut patet ex Eccleſiaſtæ cap. 8, 2. *Wagenſeil* Confutat. Carminis Lipman. 278.
Pag. 223. Video, *conſentire Hebræos, Regi* in eas leges, quæ de officio Regis ſcriptæ exſtabant, *peccanti inflicta verbera.*	*Minime omnium* id factum; *neq; Hebræi conſentiunt. Wagenſeil* l. c.
In Annotat. ad libri I. c. 3. §. 8. p. 240. A Carolo *Quinto* Imperatore *Auguſta* civitas petiit, ne Senatus urbis ſuæ placita valerent, niſi aſſenſiſſent curiarum magiſtri.	A Carolo *Quarto* id petiit *Argentina* civitas. *Wagenſeil* de Notabilib. civit. Noriberg. c. 23. p. 179.
Cap. IV. p. 248. de *Bello ſubditorum in ſuperiores.*	Caput 5. & 6. *libri de Antiq. Reip. batavicæ* videntur iſtis adverſari. *Crenius* Animadv. P. V. 204.
Lib. II. c. I. §. 12. p. 324. Mihi legum conditores videntur hoc voluiſſe potius, *directe rerum cauſa interfici neminem debere.*	Nos id ex iſtis legibus perſpicere non poſſumus, quæ *de furibus loquuntur, qui, ut clanculum ſubducant, in ædes irrepunt. Pufendorf* de Iib. N. & G. I. 2. c 5. §. 18.
§. 17. p. 332. Illud *minime ferendum eſt*, quod quidam tradiderunt, iure gentium arma recte ſumi ad imminuendam potentiam creſcentem, quæ nimium aucta nocere poſſet.	*Contrarium* defendere nititur celeberrimus *Gundlingius*, Gundlingianorum Tomo I. 382.
Cap. IV. §. 1. p. 442. *Generatione* parentibus ius acquiritur in liberos.	*Negatur*, quia parentes domini viſcerum eſſe nequeunt: quin nemo ſui ipſius dominus eſt: dominium hominibus non in homines, ſed in res datum. *Keſtner* de I. N. & G. 63.
Cap. V. §. 29. p. 486. In ſervi-	Illud Iuris romani principium, rectæ

Digitized by Google

lis conditionis hominibus partus matrem ſequitur; quod tamen *iuri naturali non ſatis congruit*, ubi pater aliqua ratione ſufficiente cognoſci poteſt.

rectæ rationi maxime conforme, *cenſuram Grotii non meretur*. D. Auguſtinus *Leyſer*, IC. academiæ Iuliæ, Meditation. ad Pandectas, Specim. XIIX. p. 182.

In Annot. ad c. VII. §. 1. p. 564. Quid in mentem venit *Bodino*, *ut talia* (bona naufragorum, fiſco eſſe addicenda) *defenderet?*

At Bodinum non defendere, ſed *acriter reprehendere*, eius verba docent. *Crenius* Animadv. P. V. p. 205.

C. IX. §. 11. p. 609. *Approbatio* populi rom. circa electum Germaniæ regem, per Epiſcopum (romanum) edici & ſolemniter teſtata *fieri peculiari coronatione* ſolebat. Ex approbatione vero populi romani fit idem Rex aut Imperator romanus, aut, ut hiſtorici ſæpe loquuntur, *rex regni Italiæ*. Iure *Epiſcopus romanus, vacante imperio, inveſtituras tribuit feudorum Rom. Imperii*.

Tres hic *magni erroris* committuntur. *Conring* de Germanorum Imperio romano, c. 12. §. 10. & c. 13. §. 15. 16.

Cap. XI. §. 7. p. 644. 645. Sepoſita lege civili, is, *qui metu promiſit* aliquid, *obligatur*. Alter autem *tenetur ad liberandum promiſſorem*, ſi promiſſor velit.

Non obligatur, quia omnis obligatio oritur ex voluntate Dei. Quis autem dicat, Deum vim facienti tribuere ius in alterum? C. *Thomaſius* Introduct. ad doctrinam moralem p. 221.

Cap. XV. §. 12. p. 750. *Fœdus* (univerſale) *inter Chriſtianos ineatur* contra impium hoſtem.

Pium quidem, omnique laude pleniſſimum hoc eſt conſilium, ſed *eius impletio vix ſperanda*. *Keſtner* de I. N. & G. 131.

Cap. XVI. §. 12. p. 765. 766. *In favorabilioribus verba laxius ſunt ſumenda. In odiſis* vero *ſermo figuratus aliquantulum* admittitur.

Hæc regula, ut naſus cereus, *quaquaverſum flecti & torqueri poteſt*. C. *Thomaſius* in Ausubung der Vernunſt-lehre p. 211.

Potius

Cap.XVII. §.21. p.798. Vt mancipium, aut animal, quod damnum aut pauperiem fecit, noxæ dedatur, itidem *ex iure civili eſt*.

Potius *ex iure naturali*. Gottl. Gerhard *Titius* Obſervat. 169. in Pufendorfium de Officio hom. & civis p.234.

Cap.XIIX. §. 4. p. 805. Cenſeo, placuiſſe gentibus, ut communis mos, qui quemvis in alieno territorio exiſtentem eius loci territorio ſubiicit, *exceptionem pateretur in legatis*.

Putamus nos, *legatum in loco, ubi deliquit, & conveniri & puniri poſſe ex omni cauſa*. H. E. *Keſtner* de I. N. & G. 187.

Cap. XX. §.1. p.832. Pœna generali ſignificatu eſt malum paſſionis, quod infligitur ob malum *actionis*.

Definitio iſta definito ſuo eſt anguſtior. F.V. *Calixtus* Tract. de hæreſi p. 249. At illuſtris *Thomaſius* Inſtitut. Iurisprud. div. L. 3. c. 7. n. 29. facilem ad id putat eſſe reſponſionem, & omne dubium tolli, ſi dicatur, pœnam eſſe dolorem, illatum *ob delictum*.

Cap.XXV.§.8. p.1024. *Si manifeſta ſit iniuria* (erga ſubditos alienos) *ſi quis Buſiris, Phalaris, Thrax Diomedes ea in ſubditos exerceat, quæ æquo nulli probentur, non ideo præcluſum erit ius humanæ ſocietatis*, ſed poterit contra eum bellum ſuſcipi ab alio imperante.

Verba illa ex infami Amphitheatro Car. Scribanii deſumta eſſe, ſcribit Andr. *Rivetus*. Sed *Crenius*, diligentiſſimus indagator, *negat ſe reperiſſe*. Diſſert. II. de furib. librar. §. 53.

Cap.XXVI. §. 4. n. 2. Et illud *Taciti*: Principi ſummum rerum imperium Dii dederunt, *ſubditis* obſequii gloria relicta eſt.

Taciti *Annal.* VI. 8. 6. *nobis* obſequii gloria relicta eſt. C. *Cellarius* Antibarb. p. 202.

Lib. III. c.2. §.2. p.1071. (Repreſſaliæ) *iure gentium voluntario* induci potuerunt.

Eas exercendi facultas *naturaliter* competit, modo iuſta cauſſa, a parte iis utentium, ſubſit. G. G. *Titius* Obſerv. 697. in Pufendorf.

Cap. IV. §. 11. p. 1102. *Auguſtinus* laudans Gothos, qui ſupplicibus, & in templa perfugientibus pepercerunt; *Quod belli iure fieri licuiſſet*, ait, *illicitum ſibi eſſe iudicarunt.*

..dorf. de Offic. hom. & civis, p. 610.

Verba illa exſtant *libro* II. de Civitate Dei *cap.* 2. *Crenius* Animadv. P. V. 201.

LIII.

Io. SELDENI de Iure naturali & gentium, iuxta diſciplinam Ebræorum, libri VII. Lipſiæ & Francofurti. 1695. Prodierant quoque Argentorati A. 1665. Libro primo agitur de ebraicæ philologiæ dignitate, & iure naturali, eiusque ortu ac ſedibus; ſecundo de interdictis Noachidarum, & ſpeciatim de idololatria & blaſphemia, item proſelytis & libertinis; tertio de cultu divino, ad quem alligati erant proſelyti domicilii, ſeu gentiles, & ſabbato; quarto de homicidio, excommunicatione, iure aſyli, & vindicationis ſanguinis; quinto de concubitu, adeoque matrimonio, concubinatu & divortio; ſexto de furto, adquiſitione & translatione dominii, rerum occupatione, iure egenorum, ſervitute, uſuris, bonis alea lucrifactis, iure bellico, numiſmate, & captivis; ſeptimo de membro animalis viventis, carnis & ſanguinis eſu, honore parentum, iudiciis, & an veſtigia præceptorum VII. noachicorum inſint non tantum in ſacra Iobi hiſtoria, verum etiam in ſynodo apoſtolorum hieroſolymitana. Præfixa etiam eſt *Boecleri* ad Io. *Capellanum* epiſtola dedicatoria, in qua, præterquam quod oſtendit, ſublato divini iudicii metu & remota reverentia iuris naturalis, ipſa reip. munimenta ac præſidia everti, in laudes it LVDOVICI XIV. Gall. regis, *Colberti*, & *Capellani*, nec non *Seldeni*. Hoc opere *Seldenus Grotium* de I. B. ac P. æmulari ſtuduit, ſed ordinis & perſpicuitatis negligens, & digreſſiones captans adeo remotas, atque interdum iuſto longiores, ſæpe non parum tædii lectoribus creat, ut præter alios *Buddeus* in Selectis iuris nat. & gentium p. 32. bene obſervavit. Plura de *Seldeno* huiusque opere tradunt *Morhof* Polyhiſt. T. III. 74. *Struve* Biblioth. philoſoph. 191. *Colomeſius* 494. 814. *Reineſius* Var. lect. 209. *Boeclerus* in Epiſt. dedicat. huic Operi

præfixa, *Boineburg.* Epp. p. 126. *Spizelius* Infel. literati p. 910. Collectores *Actor. erud.* A. 1707. 34. auctor *Præfat.* in Laur. Odhelii Synag. bifront. p. 4. Iuſt. Chriſtoph. *Böhmer* Progr. A. 1709. d. 4. Maii A 3. & *Feller* Monum. ined. T. I. 571.

Io. SELDENI Vxor ebraica, item de Succeſſionibus, ad leges Ebræorum, in bona defunctorum liber, & de Succeſſione in pontificatum Ebræorum, libri II. Francofurti ad Oderam 1695. Prius editi fuerant libri iſti Londini A. 1646. 4. In libris Vxoris ebraicæ ex iure divino & talmudico tractat auctor de nuptiis & divortiis. In Prolegomenis autem in librum de Succeſſion. de opuſculi utilitate de verpi iuramento per Anchialum, apud *Martialem* lib. XI. epigr. 95. de Talmudis utriusque auctoritate, partibus, compoſitione, ævo, deque ſcholarum legi publice Hieroſolymis prælegendæ ante excidium ſub *Veſpaſiano* frequentia. *Schurtzfleiſchius* in Biblioth. Schrader. P. I. K. 6. hæc habet: *Seldeni* Vxor ebraica, *liber eruditionis & antiquitatis plenisſimus. Ad fontes biblicos & rabbinicos maxime ſpectat. In antiquitate enim & Ebraorum hiſtoria eminet* Seldenus, *& in eis verſatisſimus eſt.* De libro autem Succeſſionum in bona defunctorum *Clericus* in Comment. in Num. 27, 11. Seldenum Iurisprudentiam talmudicam, hiſce de rebus, iudicat copioſe tradere. Et nota, *virum ſummum*, qui notatur p. 61. quod Epiphanii de nuptiis Ioſephi & Mariæ virginis non recte verterit, eſſe Iſ. *Caſaubonum*, Exercit. I. ſect. XIIII.

Pag. 292. *Sacerdos* mulieri ob adulterium ſuſpectæ partem ephi farinæ hordeaceæ, ex mariti apothecis petitam *tradidit.*	Non ſacerdos, ſed *maritus.* I. C. *Wagenſeil* in Sota p. 419.
Lib. II. c. 9. de Succeſſ. in pontif. p. 244. Ex interdicto divino Ex. 30. 33. *nefas fuit oleum aliud præter illud ipſum*, quod tum ex præſcripto conficiebatur, *componere.*	Non omnis ſimpliciter confectio, ſi prior defecerit, prohibetur, ſed ea duntaxat, quæ *in privatum & profanum* fit *uſum. Cartvvright* in Electis targum. rabbin. in l. c.

LIV.

Samuelis PVFENDORFII de Iure naturæ & gentium libri

bri IIX. Francofurti ad Mœnum. 1684. Editio ſecunda, auctior multo & emendatior, poſt primam, quæ emiſſa fuit Lundini Scanorum A. 1672. 4. Primo libro agit auctor de origine & varietate entium moralium, certitudine diſciplinarum, quæ circa moralia verſantur, intellectu & voluntate hominis, prout concurrunt ad rationes morales, actionibus moralibus in genere, earumque norma, qualitatibus, quantitate, imputatione: ſecundo, hominis naturæ non congruere, ut vivat exlex, de ſtatu hominum naturali, lege naturali in genere, præſtationibus hominis adverſus ſe ipſum, defenſione ſui, & iure ac favore neceſſitatis: tertio de vitanda læſione alterius, omnium hominum æqualitate, officiis humanitatis, ſervanda fide, promiſſis & pactis: quarto, de ſermone, eumque comitante obligatione, iureiurando, facultate humani generis, dominio, occupatione, teſtamentis, ſucceſſionibus ab inteſtato, uſucapione, & obligatione, quæ ex dominio rerum per ſe oritur: quinto, de pretio, contractibus, interpretatione, & modo litigandi libertate naturali: ſexto, de matrimonio, & poteſtate patria, atque herili: ſeptimo, de civitate & imperio: octavo, de poteſtate imperantium, modis, quibus quis deſinat eſſe civis, deque mutatione & interitu civitatum. In Præfatione primæ editionis narrat occaſionem ſuſcepti huius operis, iudicium profert de *Grotii*, *Hobbeſii* & *Seldeni* ſimilibus laboribus, gratulatur ſibi de adprobatione Regiæ Maieſtatis ſuedicæ, eamque omnibus aliorum cenſuris anteponit; denique cauſſam aperit, ob quam fundamentum univerſi iuris naturalis poſuerit ſocialitatem hominis, atque ea, quæ ſententiæ huic opponuntur, ſolvere ac diluere ſtudet. Nimirum, ut verbis utar doctiſſimorum virorum, quibus *Acta eruditorum* debemus, & quidem ad A. 1707. p. 35. illuſtris hic auctor, litterarum humaniorum, & philoſophiæ, ac in primis matheſeos ſingulari ſcientia, iudicio ſolido, exquiſito, & a præiudiciis aliorum libero, ſedula optimorum auctorum lectione, eruditorumque ſuæ ætatis familiari opera adiutus, inclyta in primis *Grotii* veſtigia ſequi, & quæ imperfecta in iuris naturæ ac gentium doctrina videbat, heroico conatu, ſucceſſu feliciſſimo, frendentibus licet plurimis, tantique gloriam operis ipſi invidentibus, ſupplere ac perficere cœpit. Adverſarios autem na-

ctus eſt Ioſuam *Schvvarzium* & Nicol. *Beckmannum*, qui heterodoxiæ labem ei affricare conati ſunt; contra quos tamen ſeque & libros ſuos defendit. Secuti hoſce ſunt *Scherzerus*, *Lyſer*, *Velthem*, *Geſenius*, *Warenbergius*, *Alberti*, *Strimeſius*, *Zentgravius*, quibus ille in Diſſertationibus academicis, Specimine controverſiarum, & Eride ſcandica ita reſpondit, ut Apollo faveret, & plurimi eruditorum adprobationem ſuam adferrent. Quin & in varias linguas translatum fuit hoc opus, a *Kenneto* quidem in anglicam, a Io. *Barbeyraco* in gallicam, cuius editio altera, quæ A. 1712. prodiit, priori de A. 1706. longe præferenda eſt, atque a *Webero*, profeſſore gieſſenſi, in germanicam, cum notis Io. Nic. *Hertii*, *Barbeyraci* & aliorum. Datur etiam *Puſendorfius contractus*, & aphoriſmis illuſtratus, Marpurgi 1698. 8. immo liber eius *de Officio hominis & civis* nihil aliud eſt, quam compendium magni operis de Iure naturæ & gentium. Et iuvat coniungere cum illo excellentiſſimi *Thomaſii* Fundamenta iuris naturæ & gentium, edita Halæ A. 1705. in quibus, depoſitis præiudiciis, quibus & *Grotius* & *Puſendorfius* hic & illic laborarunt, altius atque accuratius doctrinam huc pertinentem conſideravit, perpendit, candideque elocutus eſt. Nec reticendum, fuiſſe virum illuſtrem, miraculum ſui temporis, eccui ignotum? qui, ut clari nominis Iuſt. Chriſtoph. *Bœhmerus* in Program. A. 1709. m. Maii A 4. refert, Puſendorfium hoc in opere nec finem obiectumque, nec cauſſam efficientem iuris naturæ recte conſtituiſſe adfirmavit. Plura iudicia de auctore noſtro, eiusque præſente labore qui deſiderat, conſulat *Acta erudit.* A. 1707. 35. *Boeclerum* Bibliogr. crit. 894 900. *Boehmerum* l. c. *Buddeum* in Selectis iuris nat. & gent. p. 32. 53. & in Elementis philoſ. inſtrument. 92. *Clericum* T. IX. de la Biblioth. choiſie 387. *Schurzfleiſchium* Epp. Select. p. 234. C. *Thomaſium* Diſſert. procem. in Inſtitutiones Iurisprud. div. p. 18.

Lib. VI. cap. 2. §. 4. p. 908. Parentum imperium ipſorum quoque *liberorum præſumto conſenſu*, adeoque pacto tacito niti videtur.	Sententia illa *ex falſo* hoc *principio* reſultat, quod bellum omnium in omnes detur. *Keſtner* de I. N. & G. 63.
§. 11. p. 919. Pater in familia ſegregeius *vitæ & necis habet in liberos.*	*Contrarium* verius mihi videtur. *Idem* 66.

Doctrina

Lib. VII. c. 7. §. 11. p. 1088. ubi agitur de *Succeſſione in regno*. | Doctrina illa *non ſatis plene & diſtincte* hic traditur. *Idem* diſput. de Succeſſione ſororis præ filio ſororis defunctæ.

Sam. *Pufendorf*, Flöha-miſnicus, Erh. *Weigelii*, celebris mathematici ienenſis diſcipulus, primum in academia heidelbergenſi, deinde in lundienſi Scanorum profeſſor, tum regius Holmiæ ſecretarius & hiſtoriographus, tandem Electoris brandenburgici conſiliarius intimus, pariterque hiſtoriographus, atque in Baronum ordinem evectus, vir tam illuſtris per totam Europam nominis, ut ſatius ſit de eo ſilere, quam pauca dicere. Felicis ingenii ſui dotes explicuit præſtantiſſimis, ac per omnem ætatem victuris ſcriptis, quæ ſunt, Elementa iurisprudentiæ univerſalis, (cui multa inſerta ſunt ex *Weigelii* Ethica euclidea) Liber de ſtatu Reip. germanicæ ſub ficto Severini *de Monzambano* nomine, Eris ſcandica, Specimen controverſiarum ipſi circa ius naturale motarum, Hiſtoria de rebus ſuecicis ſub GVSTAVO ADOLPHO uſque ad abdicationem CHRISTINAE, de Rebus a CAROLO GVSTAVO geſtis, Ius feciale divinum, Introductio in hiſtoriam & Liber de habitu religionis chriſtianæ ad rempublicam, atque ex improvida ſubſectione unguis in pede, quam inſecuta eſt inflammatio, immaturam, ſi fas ita loqui, mortem obiit Berolini anno 1694. ætatis 63. *Buddeus* in Selectis iur. nat. A 3. *Lexicon univerſ. hiſtor.* T. IV. 241. Io. *Moller* Hypomnem. ad Schefferi Sueciam litteratam 468. *Magirus* 695. *Titius* præfat. in Pufendorfium de Officio hom. & civis, ac *Bibliothecarius nulli parti addictus* 514.

LV.

Theodori REINKINGKII Tractatus de regimine ſeculari & eccleſiaſtico S. Imperii romano-germanici. Auguſtæ Vindelicorum, 1717. Septima editio. Ter enim typis Hampelianis Giſſæ ac Marpurgi, & ſemel Genathianis Baſileæ prodiit: tertia autem illarum editionum ſine auctoris præſcitu & conſenſu, ſub fallace auctoris titulo, A. 1641. in publicum protruſa, typis mutilatis, charta immunda, innumeriſque vitiis neutiquam ſe commendat. In quo de prædicti Imperii agitur maieſtate & potentia, de Imperatoris, Electorum, Principum & Magiſtratuum iure & ſuperio-

ritate, de Imperii fundamentis, conſtitutionibus & legibus pragmaticis, de poteſtate eccleſiaſtica: & quidquid ſcitu dignum & neceſſarium eſt ad pleniorem eiusdem ſtatus cognitionem & inſtructionem, adducitur. Accedunt non nulla, quæ durantibus belli motibus circa publicum Imperii ſtatum, ac per novam Pacis monaſterio-oſnabrugenſis compoſitionem innovata, vel confirmata fuerunt, ſolide ac fuſe ex antiquis recentioribusque Hiſtoricis, Politicis, Iurisconſultis, aliisque verſatiſſimis ſimul & probatiſſimis auctoribus proponuntur. In Præfatione de prioribus editionibus loquitur, longamque & gravem diſputationem contra Hippolithum *a Lapide* inſtituit, non ſuum ipſius duntaxat, ſed auguſtiſſ. etiam Imperatoris, Electorum & Principum S. R. Imperii adverſarium, & hoſtem maledicum. Interim *Conringius* de Negot. convent. Imper. th. 65. non dubitat ſcribere, eum ſtrenuum, forte nimium cæſareæ poteſtatis aſſertorem fuiſſe; *Bilderbeckius* autem in Bibliotheca Iuris publ. german. p. 35. apertius rem eloquitur, dicens, confundere ius privatum cum publicō, ſententiam de pure monarchica Imperii romano-germanici forma non ſatis firmis probare argumentis, & denique ignorantiam politices atque hiſtoriæ germanicæ prodere. Quibus adde *Zſchackvvizium* Prolegom. in ius publ. p. 42. D. Auguſtinum *Leyſerum* diſp. de Aſſentat. ICtorum §. 37. & D. *Rinckium* Program. Orationi auſpicali præmiſſo)(2.

LVI.

CAROLI IV. Rom. Imperatoris Aurea bulla, ex autographo francofurtano deſcripta, & edita ab Henr. Gunthero *Thulemario*. Francofurti & Lipſiæ 1706. Confecta fuit ab ipſis Procerum Germaniæ miniſtris, & quidem XXIII. priora capita Norimbergæ IV. Idus Ianuarii A. 1356. in ædibus ad inſigne aurei clypei, reliqua eodem anno in curia Metenſi, & promulgata ipſo ſacri natalis feſto; latino autem uſi ſunt idiomate, ut Romano pontifici aliisque germanicæ linguæ ignaris poſſet innoteſcere. Sed & variæ eius dantur verſiones atque editiones germanicæ; inter quas antiquiſſima eſt illa, quam WENCESLAVS Imp. faciendam curavit, quæque in hodiernum diem in Bibliotheca cæſarea oſtenditur. Plura de his, & aliis huc pertinentibus, vide apud *Thulemarium* in Tractatione de Bulla aurea, edita Heidelbergæ A. 1683.

4. &

4. & recenſita in *Actis eruditorum* eiusdem anni p. 559. & nota, Capitula ex editione moguntina, quæ in francofurtano exemplari deſiderantur, adiecta eſſe.

Henr. Guntherus *Thulemarius*, I. V. & Philoſ. doctor, & Academiæ heidelbergenſis profeſſor publicus ordinarius, ſcripſit Tractationem de Bullis, & ſpeciatim de Aurea bulla CAROLI VI. Imperatoris, Heidelbergæ 1682. aliamque de Octoviratu, ibidem 1684. laudatus ab egregiis viris, Henr. *Meibomio* Rerum german. T. I. 466. *Wagenſeilio* de Noribergæ Rebus notabilibus p. 233. & *Thomanno* in Struvii Actorum litterariorum T. I. 91.

Heinrici VFFELMANNI Liber de iure, quo homo homini in ſermone obligatur. Helmſtadii 1676. In quo præter quam plurima alia, Ieſuitarum novorumque Caſuiſtarum portentoſa de æquivocationibus, amphiboliis, & mentalibus reſervationibus doctrina refellitur. *Conringius* in Epiſtola ad auctorem, quæ huic libro præmiſſa eſt, laudat eum cum ob præſtantiam huius opuſculi & plenam argumenti tractationem, tum ob candorem atque integritatem, qua ingenue monuerit, nec primis aut ſolis Ieſuitis hanc artem deberi, nec etiam illorum omnibus, etſi quam plures, ipſique adeo ſummates illius ſodalitii, foede hic ſeſe geſſerint. Idemque ſcriptum laudatur a *Strimeſio* in Examine reſponſionis Caſp. *Calvoerii* p. 4. & Chriſt. *Thomaſio* Diſſertat. prooemiali in Inſtitutiones iurisprud. divinæ p. 21. Capita operis ſunt XIII. quorum 1. agit de homine ſociali. 2. de ſono, voce, & ſermone. 3. de obligatione. 4. de iuribus ſermonis, & inſignite de veracitate. 5. de veracitate iudiciaria. 6. de fide. 7. de fide latroni, hoſti & hæretico data. 8. de iureiurando. 9. de mendacio. 10. de perfidia, proditione & periurio. 11. de maledicentia. 12. de retorſionibus iniuriarum verbalium. 13. de æquivocationibus & mentalibus reſervationibus.

Henricus *Vffelmann*, vehrdenſis, *Haberkornii*, *Misleri*, *Sиricii* & *Ebelii* diſcipulus, in academia Iulia tradidit publice doctrinam moralium, & extra ordinem per breve tempus theologiam, deinde autem ad paſtoratum & profeſſionem theologiæ luneburgenſem vocatus, eo quidem ivit, ſed hiſce muneribus diu præeſſe non potuit; degenerante enim tuſſi & ſanguinis profluvio in febrem hecticam, anno 1680. exſtinctus eſt, quum in flore ætatis eſſet, h. e. vir

vir annorum 40. Habemus ab eo varias Diſputationes, de principiis actionum moralium, de iure talionis, de homagio, de menſura pretii rerum, de ſanctimonia Principum, de legatis, de duellis, de imperfecta perfectione fidelium in hac vita, de centitudine gratiæ & remiſſionis peccatorum, Orationem adverſus exercitationes paradoxas Petri *Gaſſendi*, & alia. Vide Io. Georg. *Bertrami* Luneburgum euangel. P. I. 676.

Caſp. ZIEGLERI Diatribe canonica de dote eccleſiæ, eiusque iuribus & privilegiis. Wittebergæ 1676. In qua tractatur 1. de vocabulo *eccleſia*, & eius uſu 2. initio naſcentis eccleſiæ templa Chriſtianis nulla fuiſſe. 3. ignotam fuiſſe primis Chriſtianis dotationem eccleſiarum. 4. de ſententia *Canoniſtarum*, neceſſario eccleſias dotari debere ſtatuentium. 5. de extenſione dotationis uſque ad oratoria, & ſingula altaria. 6. cui incumbat onus dotandi eccleſias. 7. de quantitate dotis. 8. in quibus rebus conſtitui debeat dos eccleſiæ. 9. de familia eccleſiaſtica. 10. de forma & modo conſtituendi dotem eccleſiæ. 11. de fine dotis eccleſiaſticæ. 12. de eius privilegiis. 13. de eorundem violatione & ademtione.

Caſp. *Ziegler*, lipſienſis, iis deſcendens maioribus, qui nobilitate & egregiis facinoribus non tantum in Europa, verum etiam in Aſia, Perſiæque regno gentem nomenque ſuum extulerunt, poſtquam patris voto morem gerens ſacris ſtudiis ſub *Hoepfnero*, *Hulſemanno*, *Carpzovio* operam dediſſet, iura didicit patre duce, comitibusque Polyc. *Wirthio* & Amadeo *Ecolto*, tanto cum ſucceſſu, ut poſt triennium cum applauſu lauream in academia ſalana acciperet, & mox profeſſioni iurium in academia wittebergenſi, admoveretur. Hæc videns Euſebie, non poterat amplius moleſte ferre *Ziegleri* apoſtaſiam, eiusque nomine Themidi invidere: eventus enim docebat, non potuiſſe illum ad ſumma pervenire, niſi utramque coluiſſet. Ceterum ſicut ille ſingularem in docendo induſtriam, feliciſſimam in reſpondendo de iure promtitudinem, in tuenda aſſerendaque iuſtitia incorruptum ſtudium, in conſiliis dexteritatem haud vulgarem demonſtrans, omnium in ſe ora oculosque convertebat, ita honores ac dignitates, una poſt alteram, virum optime merentem excipiebant; mox enim factus eſt Facultatis ſuæ, ut vocant, ordinarius ſive præſes, & ſummo

Saxoniæ

Saxoniæ tribunali, quod Dreſdæ eſt, adſcriptus. In omnibus autem rebus ita ſe geſſit, ut non tantum doctus, non tantum prudens, ſed etiam bonus & videretur, & eſſet, atque nihil ad oſtentationem, omnia ad conſcientiam referret, recteque facti, non ex populi ſermone, ſed ex ipſo facto peteret mercedem; ſi tamen mercedem is petere dicendus eſt, cui propitius Deus, & bona conſcientia erant inſtar omnium. Fatales optimo ICto noſtro, qui muneris ratione tot caſus reſolvere debuit, reſolvitque, fuere caſus: puer enim ex lapſu cranium fregit, et ſenex tibiam cum fibula dextri cruris. Sed hic alter caſus mortis erat præambulo: nam ex ſomno quaſi experrectis calculis, exquiſitiſſima tormenta patiebatur, cumque etiam letalis febris accederet, defecit anno 1690. cum abſolviſſet, ut putant, ætatem hominum, videlicet annos 70. D. Caſp. Henr. *Hornius* in Oratione parentali, apud Pippingium in Append. Memoriar. theologor. p. 1042. *Witte* Diar. biograph. T. II. 178. Apud eosdem videri poteſt, quid ſcripſerit. Nos hic tantum obſervamus, ſcripſiſſe Dicaſticen, Regicidium Anglorum, Tractatum de iuribus maieſtatis, Rabuliſticam, multas Diſputationes, & germanice Libellum de conficiendo carmine, quod Madrigale vocatur: in quo ille Germanis primus facem prætulit. Hic ille eſt *Zieglerus*, quem *Schurzfleiſchius* Epp. arcan. T. II. *6.* decus patriæ; Chriſtianus *Thomaſius* Diſſert. prooemiali in Inſtitut. iurisprud. divinæ p. 3. ICtum divinarum pariter & humanarum rerum ſcientia inſtructiſſimum; & Io. Guil. *Bergerus* Diſſertationum academicar. p. 320. graviſſimum iuris antiſtitem, interque cetera ſeverioris doctrinæ ornamenta, elegantiſſimum omnis leporis magiſtrum, ac plane Gratiarum manibus factum appellat.

Io. SCHILTERI Diſſertatio de condominio circa ſacra. Argentorati 1704. In qua docetur, condominium circa ſacra fundari in condominio territoriali pro indiviſo, atque nihil aliud eſſe, quam ius circa ſacra inter duos vel plures dominos territoriales: Statusque Imperii, etiam poſt Concordata nationis germanicæ, & tempore pacis religioſæ ac weſtphalicæ, gaviſos eſſe iure ſuperioritatis territorialis; huius autem naturam, velut analogam maieſtatem, in primis conſiſtere in iure etiam circa ſacra & eccleſiaſtica intra territorium. Quare ſi Status reformantes iure ſuo uſi, vindicias egerint iuris circa ſacra adverſus Sedem romanam,

invito forte etiam ab initio Imperatore & Edicto wormatienſi, poſtea tamen, re penitus conſiderata, Imperatorem & Imperium, atque in primis Epiſcopos etiam, vindicias iſtas, ſaltem reſpectu occupatæ poſſeſſionis per Pacem religioſam, ratas habuiſſe, & ut partem ſuperioritatis territorialis agnoviſſe, & confirmaſſe.

Ioachimi MEIERI Diſſertatio gamica de iure connubii cum ſponſa extranea, Gottingæ 1703. Abſolvitur V. capitibus, quorum 1. tractatur de iure ſponſarum extranearum antiquo apud Iudæos, Græcos & alios. 2. de iure ſponſarum antiquo apud Romanos. 3. de iure ſponſarum extranearum antiquo apud Germanos. 4. de iure ſponſarum extranearum hodierno in detractione. 5. de ſponſarum extranearum hodierno reliquo in contractibus vel quaſi, & delictis. Et dicata eſt nuptiis ſumme reverendi Phil. Lud. *Boehmeri*, eccleſiarum Principatus & urbis gœttingenſis ſuperintendentis generalis, profeſſoris theologiæ in Gymnaſio primarii, & proteccleſiaſtæ ad S. Ioannis, cum Catharina Eliſabetha Stillenia.

Io. Wilh. ENGELBRECHTII Commentatio iuris gentium de militantium officio in expeditionibus bellicis, vulgo in Feldzugen und bataillen. Helmſtadii 1705. In qua delineantur officia, quibus ſupremi bellorum duces inferioribus, & inferiores viciſſim milites illis obſtricti ſunt, eo potiſſimum tempore, quo cum hoſte confligendum, aut eius aggreſſus exſpectandus eſt.

Io. Wilh. *Engelbrecht*, natus Hanoveræ anno 1674. d. 15. Ianuarii, primum cauſſarum patronus in urbe patria, deinde in academia Iulia profeſſor moralium, porro D. & profeſſor iuris, & nunc Ordinis ſui princeps ac ſenior, nec infelix poëta, quod viri ſeverioribus ſtudiis addicti ſingulare decus eſt, varias partim ſcripſit, partim moderatus eſt Diſputationes, ut, de iuſto naturali ludorum in pecuniam, de iure poenarum capitalium in homicidio doloſo, de legitima, per quam ſeparantur liberi, de iure peregrinantium, de caſibus quibusdam practicis, de renovatione inveſtituræ, univerſitatis nomine regulariter non in caſu mortis unius ex pluribus feudi curatoribus, ſed demum cunctis iis deficientibus, petenda, de caſibus aliquot iuris ſelectioribus, de advocato electorali ſaxonico.

Adami CORTREII Repræſentatio iuris primariarum precum,

cum, ſacratiſſimis Imperatoribus romano-germanicis ſine prævio Pontificum aſſenſu competentis. Magdeburgi 1716. Poſtea primo eius Tomo Corporis iuris publici annexa.. Qua 1) exhibentur Litteræ papalis internuncii colonienſis, Archiepiſcopi rhodienſis, & tenor velaminis papalis. 2) Reſponſio *Cortreii.* 3) FERDINANDI III. & LEOPOLDI Diplomata: e quibus patet, preces primarias ultra longiſſimum tempus præſcriptum, absque requiſitione & indulto Pontificis eſſe impertitas. 4) Imperatorem in orbe chriſtiano eſſe caput omnium ſupremum, nullaque obedientia Pontifici ſubiectum.

Adamus *Cortreius*, ſyndicus provincialis magdeburgicus, vir conſultiſſimus, qui per plurima luſtra illuſtrandæ iurisprudentiæ publicæ non minore gloria, quam labore, incubuit, aliis etiam ſcriptis ſtuduit prodeſſe, nimirum Obſervatis ad articulum IV. Pacificationis ryswicenſis, & Corpore iuris publici, cuius IV. iam prodierunt Tomi, & II. alii exſpectantur. Rebus autem humanis ereptus eſt clariſſimus vir annno 1707. ætatis fere 70. *Acta eruditorum* A. 1706. 348. & 30. A. 1708. 23. A. 1710. 511.

Henr. Ern. KESTNERI Conſpectus prudentiæ legislatoriæ. Rintelii 1710. In quo vera iurisprudentiæ principia ex nativis ſuis fontibus deducuntur. Prohibitionem autem Creatoris, fundamentum iuris naturæ eſſe docetur, cuius voluntas aut verbis declaretur, aut factis: ſi illud fiat, vocari ius divinum revelatum; ſi hoc, naturale. Ad facta autem pertinere motus & inſtinctus a natura hominibus inſitos & implantatos, itemque actiones ipſius Creatoris, rerum videlicet creationem & conſervationem: actionum quoque finem, tum neceſſarium, tum probabilem: necnon medii neceſſitatem: & denique naturam ipſius ſanctiſſimi Creatoris, qui perfectiſſimus ſit, & nihil fruſtra feciſſe intelligatur, huc pertinere. *Acta erudit.* A. 1698. 485.

Henr. Ern. *Keſtner*, natus Detmoldiæ in Comitatu lippiaco A. 1671. in academia rintelienſi ICtus & profeſſor publicus, ſereniſſimique Haſſiæ Landgravii conſiliarius, non tantum publice privatimque docendo, verum etiam plurimis ſcriptis, quorum catalogus exſtat, induſtriam, ingeniique ſui foecunditatem comprobavit, eaque in ſententiis promendis libertate utitur, ut fateri neceſſe ſit, eum veritatem ſectari, non autem aliorum auctoritatis mancipium eſſe.

SCABINATVS IENENSIS Vockerodtiſcher unfug, Indecentia Vockerodtiana, ſive Apologia contra maledicum Godofredi Vockerodtii libellum. Jenæ 1710. Illuſtre illud Collegium dederat ad præcedentem requiſitionem reſponſum in cauſſa diſcipuli contra prædictum Gymnaſiii rectorem in puncto exceſſivæ caſtigationis: quod ille acerbo, & contumelioſo excepit ſcripto. Contra hoc igitur conſultiſſimus ordo ſe tuetur, oſtendens, ſe ſecundum acta & probata iudicaſſe, citra cuiusquam favorem aut odium, ſtatumque controverſiæ in hoc verſari: An deceat ludi moderatorem ſævitia uti erga diſcipulum delinquentem, eumque infamem reddere, atque exſecrari ac diris devovere? Alias certe notum eſt, *Vockerodtium* eruditione atque informandi dexteritate præſtantiſſimum, ſed & pietate ornatiſſimum fuiſſe ſcholæ Gothanæ rectorem: quem quidem valde commendant *Struvius* Introduct. in notit. rei litterar. c. 10. p. 484. & D. Ioach. *Langius* Antibarb. P. I. 646. P. II. 53. 508.

LVII.

Chriſtiani THOMASII Diſſertationes iuridicæ varii argumenti. Lipſiæ & Halæ 1695. Sunt diſputationes, habitæ ab auctore in academia lipſienſi, & tractant de ſequentibus materiis, 1) de iniuſto *Pontii Pilati* iudicio. Cum Io. *Stelleri* Pilato defenſo. 2) de vagabundo. 3) de obligationibus & actionibus. Cum appendice Vindiciarum pro dominio contra ſervitutem. Additur Chriſtfr. *Wachtleri* Diſſertatio de iure in re, comparata ad Io. Ferd. *Behambi* Argutias iuris civilis, eiusdemque *Wachtleri* Epiſtola de numero iurium in re. 4) de iure circa colores. 5) de prioritate ac poſterioritate temporis dubia atque incerta. 6) de ſponſione Romanorum caudina. Confer *Struvii* Biblioth. philoſ. p. 190. 7) de crimine bigamiæ. 8) de præſcriptione bigamiæ. 9) de actione fideiuſſoris adverſus debitorem, antequam ſolvit. 10) de filio ſub conditione, ſi ſe filium probaverit, herede inſtituto. 11) de iure circa ſomnum & ſomnia. 12) de feudis oblatis. 13) de abigeatu. 14) de ſponſione Romanorum numantina. 15) de ſervitute ſtillicidii. 16) de iure aſyli, Legatorum ædibus competente. 17. de validitate coniugii, invitis Parentibus contracti, & per benedictionem ſacerdotis depoſiti conſummati. Cum IV. Reſponſis ad hanc diſputationem pertinentibus, JCtorum videlicet *Roſtochienſium*, *Kilonienſium*, & *Lipſienſium*.

Chriſti-

Chriſtianus *Thomaſius*, lipſienſis, Iacobi polyhiſtoris filius, in lucem editus A. 1655. primus fuit, qui Halæ magdeburgicæ philoſophiam & ius doceret, ac fundamentum Academiæ Fridericianæ, iam florentiſſimæ, poneret; eamque gloriam, quam initio comparavit ſibi, incredibili ſtudio atque induſtria & conſervavit, & mirum in modum auxit atque amplificavit, ita ut auguſtiſſimus Rex, meritorum eius rationem habens, ſummis, quæ in virum academicum cadere poſſunt, dignitatibus, non ſine invidorum ac malevolorum ægritudine, eum ornaverit, atque in numerum conſiliariorum intimorum receperit, & Vniverſatis ſuæ directorem conſtituerit, qui præterea, ordine ſic poſcente, primarius eſt anteceſſor, & Facultatis iuridicæ ordinarius. Scripta eius, neque tamen omnia, ſed potiora tantum, recenſentur im *Neuen Bucher-ſaal*, T. IV. 178. omnia vero in *Catalogo* ſcriptorum Thomaſianorum, ſæpius typis excuſo. Adverſarios, uti fit inter eruditos, præſertim ſi a vulgaribus Doctorum ſententiis diſcedas, atque ulcera ſive errores & vitia aliorum tangas, nactus eſt plurimos, quos nominare ſuperfluum foret; tantumque abeſt, ut famam celeberrimi viri offuſcarint illi, ut clariorem reddiderint. Iuvat potius, ex multis encomiis aliqua adferre: nam Iuſtus Chriſtoph. *Bœhmer* in Program. Diſputationibus XII. Puſendorfianis A. 1709. d. 4. Maii præmiſſo A 3. vocat excellentis virum eruditionis, & acerrimi ingenii, Fridericianæ academiæ gloriam; *Bilderbeckius* Biblioth. Iuris publ. germ. p. 8. acutiſſimum, & propter excellentem iudicandi facultatem magni æſtimandum; *Zſchackvvitzius* Prolegom. in Ius publ. p. 45. virum, cuius eruditio ac merita non ſatis poſſunt laudari; *Buddeus* in Selectis I. N. & G. p. 53. virum ingenii acutiſſimi; & auctor *Nova Bibliotheca* T. VI. 317. reſtauratorem ſanioris philoſophiæ in Germania noſtra, & virum incomparabilem. Nec minus de eo adhuc iuvene optime ſperabat Conr. Sam. *Schurzfleiſchius* Epp. arcan. T. I. 619. eiusque ſtudiorum rationem habendam putabat. *Ingenio ſolerti, doctrinaque eleganti*, (ſic ille pergit) *& vita conſuetudine delectatus eſt* Græviuſ, *vir clariſſimus, qui de eo apud Batavos retinendo cogitabat. Sed patriæ amor eum ad ornandam Saxoniam reduxit, ut tanto magis eius cauſam ſuſcipiendam eſſe exiſtimem, quanto propius animum moresque perſpexi.*

EIVSDEM Nævorum iurisprudentiæ romanæ anteiuſtinianeæ libri II. Halæ 1695. Accedunt 1) Diſputatio academica de

nævis iurisprudentiæ romanæ ſub Regibus ad tempora Legis XII. tabularum. 2) Programma de cauſis inutilium doctrinarum in ſtudio iurisprudentiæ. 3) Vindiciæ Corollarii de exiguo Pandectarum uſu in foris Germaniæ, adverſus Programma wittebergenſe. Præfatio autem indicat ſummam nævorum iurisprudentiæ iuſtinianeæ, & hodiernæ romano-germanicæ.

EIVSDEM Quæſtiones promiſcuæ hiſtorico-philoſophico-iuridicæ. Halæ 1693. Sunt numero XII. & 1. quidem oſtendit, non dari iuſtam ſubſtantiæ definitionem. 2. WENCESLAVM Imp. non eſſe legaliter depoſitum. 3. iam tempore Socratis ſutores fuiſſe philoſophos, adeoque eos, qui *Bœhmium* impugnant, parum apte argumentum inde ſumere, quod ſutor fuerit. 4. tentat definire actionem vanam, & monſtrare, quo differat modo a turpi. 5. quæſtiones paradoxas publice proponere, nec illicitum eſſe, nec ſine nota iniuſtitiæ prohibendum. 6. Doctrinam Iuris romani de ſervis non magnum habere uſum in ſervis noſtris, a Turcis captis. 7. Reſpondetur obiectionibus *Placcii*, dimicantis pro Regula interpretationis hac: Favorabilia extendenda, & Odioſa reſtringenda eſſe. 8. an detur manumiſſio Turcarum captorum, per baptiſmum? 9. WENCESLAVM Imp. prope inter martyres referendum eſſe. 10. diſpoſitionem FRIDERICI III. Imp. de anno 1441. contra Doctores iuris & Ius romanum, non ita iniquam eſſe. Contra *Conringium*. 11. *Philoſophiam* vulgarem *peripateticam, & carteſianam* eſſe plusquam ſcepticas. 12. refutat communem definitionem accidentis prædicamentalis, & inquirit in definitiones Modi & Attributi *Carteſianorum*. In Programmate hiſce Diſputationibus præmiſſo perſtringit auctor vitia, quæ in diſputationes publicas, ipſorum potiſſimum Doctorum ambitione, avaritia, & adulatione irrepſerunt. Poſt hæc iam dicerem de illuſtris auctoris Inſtitutionibus iurisprudentiæ divinæ, niſi compactæ eſſent cum aliquot eius diſputationibus. Diſputationum autem volumina, quorum multa habeo ad IV. Facultates academicas pertinentia, iam nunc excutere non vacat.

LIIX.

Chriſtiani THOMASII Notæ ad ſingulos Inſtitutionum & Pandectarum titulos. Halæ magdeburgicæ 1713. Complectuntur varias

varias Iuris romani antiquitates, atque in primis uſum eorum hodiernum in foris Germaniæ oſtendunt. Præmiſſa eſt Præfatio de cautelis circa emendationem adminiſtrationis iuſtitiæ adhibendis, & de officio profeſſorum ad eum finem obtinendum: nam ut protelationes litium ex academiis, tanquam fonte, derivatæ ſunt, ita, ut malo obviam eatur, profeſſoribus incumbere docet, iuris iuſtinianei nævos ingenue ut oſtendant, & quam illud patriis conſtitutionibus minime anteferendum ſit, inculcent, detegant etiam fucos iuris canonici, larvamque ei ſanctitatis & utilitatis falſo creditæ detrahant. In fine annectitur Conradi SINCERI (id eſt, Io. Georgii *Kulpiſii*, de quo vide *Placcium* de pſeudon. p. 569.) de germanicarum legum veterum, ac romani iuris in rep. noſtra origine auctoritateque præſenti Diſſertatio epiſtolaris. Quæ ſeparatim prodiit Lipſiæ A. 1682. 12. poſtea Kulpiſianarum diſſertationum collectioni inſerta a doctiſſimo *Schiltero*. Præſens autem editio id præcipui habet, quod in paragraphos diſtincta, & ſummariis, quibus antea carebat, inſtructa, notisque *Thomaſianis*, quibus ea, quæ Schilterus ſententiæ Kulpiſianæ opponit, diluuntur, illuſtrata eſt. *Acta erudit.* A. 1682. 366. & A. 1714 157.

Io. Georgius *de Kulpis*, Vlrici *Obrechti* diſcipulus, poſtea ICtus, primumque profeſſor, modo gieſſenſis, modo argentoratenſis, deinde ſereniſſimi Ducis wurtenbergici a conſiliis ſanctioribus, atque ad pacificationem ryſvicenſem legatus, optime quidem de iuris ſtudiis, & patria meritus eſt, ſed brevem lucis huius uſuram habuit, exſtinctus anno 1698. ætatis 46. Scripſit Collegium Grotianum ſuper iure belli & pacis, de quo *Acta eruditorum* A. 1683. 187. atque a *Thomaſio* in Notis in Monzambanum p. 5. commendatur a rariore iudicio, rerum germanicarum notitia, & libera modeſtia. Cui adde *Bilderbeckium* Biblioth. iuris publ. germanici p. 29.

Chriſtiani THOMASII Cautelæ circa præcognita iurisprudentiæ. Halæ magdeburgicæ 1709. Comprehenduntur XIX. capitibus, quorum 1. traduntur cautelæ circa conceptum veræ eruditionis & ſapientiæ in genere. 2. circa media perveniendi ad ſapientiam. 3. circa conceptum iurisprudentiæ in ſpecie. 4. circa doctrinam de officio doctoris iurisprudentiæ. 5. de hiſtoria & philoſophia in genere. 6. circa ſtudium hiſtoriæ philoſophicæ. 7-19. circa ſtudium grammaticum, poëticum, rhetoricum, logicum, mathemati-

themathicum, methaphyſicum, phyſicum, ethicum, decori, politicum, oeconomicum, medicum & theologicum.

EIVSDEM Cautelæ circa præcognita iuris prudentiæ eccleſiaſticæ. 1712. In quibus diſſeritur de iurisprudentia eccleſiaſtica in genere, hiſtoriæ eccleſiaſticæ neglectu, uſu, & ſcopo peculiari ſtudioſi iuris circa illud ſtudium, de cautelis circa hiſtoriam eccleſiaſticam cum generalibus, tum ſpecialibus a tempore creationis uſque ad noſtram ætatem, de origine, progreſſu, auctoritate & utilitate iuris canonici. Vterque liber utiliſſimus eſt non tantum iuris, ſed etiam theologiæ ſtudioſis, ut ſapere, & præiudicia deponere diſcant.

LIX.

Henr. Erneſti KESTNERI Ius naturæ & gentium. Rintelii 1705. Editio hæc altera illa, quæ ante ſexennium comparuit, eſt auctior & emendatior. Derivatum autem eſt illud ex ipſis fontibus, ad ductum *Grotii*, *Puſendorſii* & *Coccii*, atque in uſum ſtudioſæ iuventutis in compendium redactum. Accedunt etiam Poſitiones illuſtris viri, Henr. *Coccii*. Tractatio conſtat XIII. capitibus, & 1. agit de principio iuris naturalis. 2. de eo, quod humano generi competit. 3. de cultura corporis. 4. de iure connubiali. 5. de contractibus. 6. de iuramentis, interpretatione, & damnis. 7. de ſumma poteſtate. 8. de contractibus ſummarum poteſtatum. 9. de iure belli. 10. de proceſſu belli. 11. de pace. 12. de poenis. 13. de interitu facultatum. Præmittuntur iudicia quædam, de hoc opuſculo lata, ut, excellentiſſimi L. Baronis *a Fuchs*, *Lipſienſium*, qui Acta eruditorum edunt, & auctoris *Relationum francofurtenſium*. Vide *Buddeum* Selectis I. N. & G. p. 64.

Auguſtini LEYSERI Meditationes ad Pandectas. Lipſiæ & Guelpherbyti 1717. Sunt numero LXVI. quibus præcipua iuris capita ex antiquitate explicantur, cum iuribus recentioribus conferuntur, atque variis celebrium Collegiorum reſponſis & rebus iudicatis illuſtrantur. Et in hoc argumento pergit auctor doctiſſimus, ita ut poſt aliquod temporis ſpatium novum volumen habituri ſimus.

Aug. *Leyſerus*, Vitembergæ A. 1683. natus, antehac in academia patria profeſſor iuris extraordinarius, nunc in alma Iulia Iureconſultus ordinarius, & in tribunali wolffenbuttelano aſſeſſor, politioris vir litteraturæ, nec minus facundiæ dotibus, quam ſtili elegantia

gantia præſtans, edidit Diſputationes de variationibus & retractationibus ICtorum, de logomachiis in iure, collationem priſci iuris ſaxonici cum iure romano & moribus hodiernis, de liberalitate neceſſaria, de iniuſta in homicidas indulgentia, de iuribus ſingularibus Equitum ſaxonicorum, de iuribus ſingularibus prædiorum Nobilium, de falſis quæ vulgus ignorat, de morte abſentis probanda, de veris & falſis delictis Miniſtrorum Principis, de contemtu iurisprudentiæ & ICtorum apud Romanos, de iure litigandi ſumtibus alienis, de immoderato peregrinandi ſtudio.

LX.

Henr. Erneſti KESTNERI Diſſertationes de defectibus Iuris communis in Rep. germanica. Rintelii 1708. Continetur iis prodromus concluſionum, ad reformandam Iurisprudentiam, & accedit Phil. *Burchardi* de hodiernæ iurisprudentiæ nævis & remediis Diſcurſus. p. 169. Cum Iudiciis & elogiis ſummorum virorum de hoc *Burchardi* opere p. 217. Speciatim vero in Diſſertationibus illis agitur 1. de reformanda iurisprudentia. 2. oſtenditur, Ius romanum, deficiente Iure ſtatutario aut provinciali, non eſſe attendendum in caſibus, ubi aut rationi, aut æquitati repugnat. 3. de auctoritate Speculi ſaxonici & ſuevici. 4. de auctoritate & receptione Iuris romani. 5. Controverſias ſummorum Imperii Principum non ex Iure romano, ſed ex legibus naturæ, divinis, & obſervantia Imperii eſſe decidendas. 6. Brocardicum hoc, *Bonus inſtitutiſta, bonus iuriſta*, non prorſus verum eſſe. 7. Omne ius eſſe reale. 8. de myſteriis quibusdam iuris romani. 9. de eius nævis quibusdam circa materiam teſtamentariam. 10. de myſteriis quibusdam circa materiam de delictis, & de proceſſu. *Acta erudit.* A. 1709. 13.

EIUSDEM Diſcurſus præliminaris de principiis Iurisprudentiæ modernæ in paucula capita redigendis. Rintelii 1710. Scopus auctoris eſt, leviculum duntaxat indicem & generaliſſimam ſciagraphiam tradere, quomodo ampliſſimus iurisprudentiæ campus, multaque iuris placita contrahi, atque in compendium redigi poſſint: & hunc in finem docet 1. de norma agendorum. 2. de diverſis hominum, in Rep. viventium, iuribus. 3. de iuribus in rem competentibus. 4. de teſtamentis & ſucceſſionibus. 5. de contractibus. 6. de iure eccleſiaſtico. 7. de varietate iurium in Rep. occurren-

currentium. Annectitur 1) anonymi *ICti* Gerichts-und Proceſsordnung, ſeu Conſtitutio iudiciorum & proceſſuum, in qua oſtenditur, quomodo actus iuſtitiæ formari, & ſinguli proceſſus tam in prima, quam in ſecunda inſtantia, intra ſpatium unius anni, finiri queant. 2) G.G. *Leibnitii* Epiſtola ſimilis argumenti de reformando ordine proceſſus. Recenſio huius Diſcurſus fit Tomo V. *Supplementorum* Actor. erudit. p. 270.

EIVSDEM Diſcurſus de iuriſprudentia papizante. Rintelii 1711. Qui IV. capitibus abſolvitur, quorum 1. agitur de generali iuriſprudentiæ papizantis conceptu. 2. de iuriſprudentia papizante circa iura perſonarum. 3. de iuriſprudentia papizante circa ius in re, & ad rem. 4. de iuriſprudentia papizante circa materiam de delictis. Vide Tomum V. *Supplement.* Actor. erudit. p. 271.

LXI.

Georgii ENGELBRECHTI Compendium iuriſprudentiæ. Helmſt. 1697. Ex genuinis Iuris naturæ, ethices ac politices principiis, Pandectarum, Codicis, Novellarum, Iuris canonici, Receſſuum Imperii, Conſtitutionum tum criminalium, tum provincialium textibus, ſecundum ordinem Digeſtorum concinnatum, hodierno uſui ac decidendis controverſiis, tum publicis, tum privatis inſerviens. Eundem videlicet ſcopum auctor in Compendio hoc concinnando ſibi præfixit, quem in ſimili commentandi genere *Eckoldus*, *Lauterbachius* & *Struvius* obſervarunt. Et Collectores *Actorum eruditor.* ad A. 1698. p. 103. iſtud ſingulare in eo advertendum indicant, quod ea, quæ Iure provinciali per Ducatus Brunſvico-luneburgenſes ſpecialiter ſancita ſunt, ſedula cura ſub tabulis congruis notata reperiantur.

Georg. *Engelbrecht*, hildeſienſis, Arnoldi, hereditarii in Voldagſen, Gronau & Riedeburg, & sereniſſ. Georgii Ducis Brunsvic. ac Luneburg. conſiliarii intimi atque cancellarii filius, Henr. *Tollenii*, *Schraderi*, *Eichelii*, *Conringii*, *Hahnii*, *Werneri* & *Glaſeri* diſcipulus, confecto itinere gallico & belgico, & impetratis honoribus doctoralibus conſtitutus in academia Iulia profeſſor, ſuo in ordine eo uſque aſcendit, ut tandem fieret Codicis profeſſor, anteceſſor primarius, ac totius Academiæ ſenior, præterque ea a ſereniſſimo Duce Georgio Wilhelmo dignitate conſiliarii mactaretur. In Programmate funebri, quod Academia in honorem eius poſuit, vocatur

catur iureconſultus magnus, ſenator cordatus, & multo uſu pollens, profeſſor dexterrimus, virque bonus, pacis amans, gravis nemini, omnibus carus acceptusque, cui inſignem Iulia gloriæ conſervatæ partem ſe debere grata ſemper profeſſura ſit. Non multa & operoſa emiſit volumina, ea tamen, quæ ſcripſit, aut correxit, præmorſos ſapiunt ungues, multaque cum diligentia compoſita ſunt. Tandem tumore in pedibus, & calculi doloribus vehementiſſime afflictus, debito ad mortem ſe modo præparavit, placidiſſimeque acquievit anno 1705. ætatis 67. cum dimidio fere.

EIVSDEM Exercitatio iuridica de Principum in diſpenſando poteſtate. Helmſtadii A. 1695. Auctor tamen eius eſt Herm. Dieter. *Meibomius*, natus Helmſtadii A. 1671. poſtea Hiſtoriarum profeſſor in academia Iulia, nunc sereniſſimi Ducis Brunsvic. ac Luneburg. conſiliarius aulicus & conſiſtorialis.

EIVSDEM alia de Conſulibus. Helmſtadii 1699. auctore, uti rubrum indicat, Leonhardo *Von-Daſſel*.

EVSDEM Collatio Iuris communis & brunſvico-luneburgici. Helmſtadii 1703. auctore Henr. Dieterico *Conerdingio*.

LXII.

Melchioris *ab* OSSE Teſtamentum: cum Chriſtiani *Thomaſii* annotationibus, præfatione, & appendice tentaminis Annalium, ad ſtatum aulicum & academiarum illius temporis delineandum. Germanice. Halæ Magdeburgicæ 1717. Vocatur *Teſtamentum*, quoniam auctor hoc iudicio teſtamentum quaſi ſuum condere voluit; idque ad potentiſſimum Saxoniæ Electorem, eiusque Conſiliarios & Provinciales directum: & nunc demum integrum eſt editum. In eo auctor tractat de pia, ſapiente, prudente & legitima gubernatione, & adminiſtratione iuſtitiæ, atque in primis, deſiderio Electoris ut ſatisfaceret, iudicium ſuum exponit de corrigendis proceſſuum abuſibus; & Chriſtophorus *a Carlwviz* iudicat, eſſe bonum & utilem librum.

Melchior *ab Oſſe*, *Kœnigio* dictus *ab Oſſa*, hereditarius in Frauenfels, iurium doctor, & anteceſſor lipſienſis, præcipuam quidem lectionem iuris habuit cæſarei, ſed pro more illius ſæculi exiguo ſtipendio contentum ipſum eſſe oportuit. Servivit præter ea conſiliis, Cancellariæ directione atque in legationibus, V. Prin-

cipibus Saxoniæ, videlicet Duci *Georgio*, Duci *Henrico*, & Electoribus IOANNI FRIDERICO, MAVRITIO & AVGVSTO, cumque huic Teſtamentum ſuum anno 1556. inſcripſerit, eoque iam tempore ſenex fuerit, inde haud vane colligitur, eum non multo poſt ad plures abiiſſe. Vide Præfationem *Thomaſii*.

LXIII.

Chriſtoph. Philippi RICHTERI Expoſitio Authenticæ Cod. *Ne filius pro patre*. Jenæ 1655. Editio altera, multis in locis aucta. In qua de ſtatu, iure ac privilegiis litteratorum agitur, & variæ quæſtiones atque materiæ illuſtrantur.

Chriſtoph. Phil. *Richter*, Eisfelda-francus, I. V. doctor, Comes palatinus cæſareus, conſiliarius ſaxonicus, Decretalium in alma ienenſi profeſſor, Facultatis iuridicæ ordinarius, Curiæque provincialis & Scabinatus primarius aſſeſſor, atque Academiæ ſenior, concinnavit Commentarium de ſignificatione adverbiorum in Iure civili & canonico uſitatorum, Commentarium ad legem ultimam Codicis *de Edicto Adriani tollendo*, Librum de transactionibus & erroribus calculi, Volumen velitationum academicarum, Expoſitionem omnium Authenticarum Codici inſertarum, Centuriam variarum iuris deciſionum, Tomos II. conſiliorum, Tractatum de ſucceſſione ab inteſtato, aliosque de contractibus, de pactis, de iure & privilegiis creditorum, de teſtamentis, ne quid de Diſputationibus ab ipſo ſcriptis habitisque dicam, naturæque debitum ſolvit anno 1673. cum vixiſſet annos 71. *Witte* Diar. biograph. Hhhh 3.

Io. STRAVCHII Diſſertationes theorico-practicæ ad univerſum Ius iuſtinianeum privatum. Francofurti ad Viadrum 1682. Sunt diſſertationes XXIX. prioribus longe auctiores, ſummoque ſtudio reviſæ, & in ienenſi academia iterum publice ventilatæ a Io. Iac. *Avſano*. Conſilium auctoris in ſcribendo hoc opere fuit, ut in qualibet materia haberent diſcentes in promtu certas indubitatasque definitiones ſeu regulas, adeoque Epitomen iuris iuſtinianei. Non ſecutus eſt ordinem Pandectarum, poſtea tamen ei animus erat veſtigia illius legere. Et hoc ſcriptum primum eſt e Strauchianis, atque olim dictatum diſcipulis in academia lipſienſi.

Io.

Io. *Strauch*, Coldicio-miſnenſis, præter iuriſprudentiam aſſidue coluit philoſophiam & humaniora, atque adeo factus eſt ICtus elegantiſſimus. Sæpe mutavit ſedem: nam Lipſiæ poſt impetratum magiſterii honorem fuit profeſſor eloquentiæ & hiſtoriarum; inde iura docuit Ienæ, & quidem bis, (poſtquam interea Syndici munus geſſerat Brunſvigæ) ac tandem Giſſæ, ubi rebus humanis ac mutabilibus exemtus eſt anno 1679. ætatis 67. Nec deerant egregiæ dignitates, quibus præter profeſſoris ſpartam ornaretur: nam Ienæ cooptatus eſt in numerum conſiliariorum intimorum ſaxonicorum, & aſſeſſorum in Iudicio aulico, & Giſſæ conſtitutus procancellarius. Quid quid ſcripſit, pereruditum erat magnoque in pretio poſitum, ſicut adhuc ponitur, apud eruditos. Eius autem ſunt ſequentia: Diſſertationes ad tit. *de diverſis regulis Iuris antiqui*, Diſputatio inauguralis de acceſſionum quibusdam maxime controverſis ſpeciebus, Diſſertatio de imperio maris, & aſia de hoſtenditiis, *Irnerius* non errans, Exercitationes in L. Deciſiones, (modo eas potuiſſet ad finem perducere) Oratio de Beryto, ſede ſtudii iuridici, Kalendæ Ianuariæ, ſive annotationes in titulum utriusque Codicis, theodoſiani & iuſtinianei, *de oblatione votorum*, Lexicon particularum Iuris, Amœnitates iuris canonici, & *Gratianus* conciliator. Vnde & magnam nominis celebritatem, & inſignia plane elogia conſecutus eſt: nam a *Conringio* c. 20. de Orig. Iuris germ. ſalutatur ICtus nemini hodie ſecundus; ab *Eybenio*, de tit. Nob. §. 12. philologus non minus, quam ICtus doctiſſimus; a *Schurzfleiſchio* Epp. ſelect. p. 171. ſummus vir & omni cura pro Rep. & amplificandis bonis litteris nitens. Vide *Novam bibliothecam* Tomo IV. 700. Neque tamen ſine adverſario fuit: Dominicus enim *Baſſus* haud ita pridem adverſus Exercitationes eius in L. deciſiones, quas imperfectum eſſe ſcriptum diximus, calamum ſtringere auſus eſt.

Dan. KEYSERI Hiſtoria iuris civilis, feudalis, canonici, & noviſſimi ſive publici, cum regulis XXXVI. theoretico-practicis. Coburgi 1663.

Dan. *Keyſer*, I.V. doctor, Coburgi fuit profeſſor publicus, & advocatus aulicus, florens medio ſæculo XVII. & ultra.

Methodica tractatio de iure Imperii germanici S. Cæſareæ Maieſtati, Electoribus, Principibusque viris ſingulari, & hoc ma-

xime ſæculo controverſo, exhibita in acad. Iulia, & denuo (utinam emendate) edita ab Henr. *Habnio.* Helmſtadii 1660. Sunt inaugurales ſectiones, ad diſputandum propoſitæ ab Antonio COLERO A. 1613. die 29. Iulii, præſide D. Eberhardo *Speckhanio.*

Ant. *Colerus*, lubecenſis, Antonii, qui *Alberti* I. Boruſſorum Ducis conſiliarius & vicecancellarius fuit, poſtea autem, cum Andreæ *Oſiandri* ſententiam de iuſtificatione, in Principis ſui gratiam probare nollet, relictis aulæ lubricis, Lubecæ privatus vixit, filius, Lubecæ Ott. *Gualtperii*, in academia Iulia *Caſelii*, Corn. *Martini*, Henr. *Meibomii*, atque in Salana Io. *Suevi*, *Hortlederi* & Andr. *Gerhardi* diſcipulus, primum Capituli brunsvicenſis canonicus, deinde I. V. doctor & Canonicorum cathedralis eccleſiæ halberſtadienſis, Auguſtanæ confeſſionis ſociorum, conſiliarius intimus, & ſupremi Dicaſterii aſſeſſor, inde *Auguſti* Saxoniæ Ducis conſiliarius, præſes Senatus & Iudicii raceburgenſis, & mox vicecancellarius, immo etiam, ne quid honorum prætermitteretur, ſupremus in aula miniſter, tandemque ſenator, ſed et eadem hora conſul lubecenſis, per omnem vitam, atque apud omnes Heros ſuos præclariſſime meritus, geſtisque in graviſſimis negotiis XXX. ad Imperatorem, Reges ac Principes legationibus, ab auguſtiſſimo Imp. FERDINANDO III. proprio motu, cum ſuis liberis ac poſteris, in numerum Nobilium S. R. Imperii ſuſceptus & adſcriptus, ingenii monumenta præſtantiſſima reliquit, videlicet Catalogum ſummorum Pontificum a reditu ex Babylone uſque ad Hieroſolymorum excidium, Genealogiam Ieſu Chriſti ex utriusque foederis libris, & ſuppreſſo quidem nomine, ſcriptum de conſervandis Canonicorum collegiis: ceterum theologos, ICtos, politicos, hiſtoricos diurna nocturnaque verſavit manu, & qui omni vita diſcendi ardore flagraverat, ne ultimis quidem ætatis annis deſiderium diſcendi explere potuit, atque ita inter curas publicas conſenuit, & inter ſtudia mortuus eſt anno 1658. ætatis 73. Ioanne *Strauchio* in Epiſtola Commentationi de *Colero* noſtro *Bangertina* præfixa iudicante, in ſummo hoc viro alterum Pomponium Atticum, in Bangerto alterum Nepotem exhiberi. Io. Henr. *von Seelen* P. I. Athen. lubecenſ. p. 142. & *Witte* Diar. biograph. LII.

Iacobi RAEVARDI ad Leges XII. tabularum liber ſingularis, denuo editus ab Henr. *Habnio.* Helmſtadii 1662. Antea

Venetiis

Venetiis 1584. Auctoris intentio, ut in fine ſcribitur, fuit, leges aliquot depravatas reſtituere, & reſtitutas, aliasque ab interpretibus non recte intellectas, brevi quadam & perſpicua interpretatione illuſtrare; non autem, quæ ab aliis accurate & erudite tradita ſunt, iterum hic inculcare, & ſingula XII. Tabb. verba, quæ ſine aliqua legis ſententia paſſim apud auctores obvia ſunt, explicare.

Iac. *Ravardus*, in duacena academia iura profeſſus, reliquit V. libros Variorum, librum I. de Auctoritate prudentum, II. Protribunalium, & de præiudiciis, Commentarium de regulis iuris, obiitque an. 1568. a *Lipſio* magni Belgicæ Papiniani titulo cohoneſtatus. Opera eius omnia impreſſa ſunt Lugduni A. 1623. 8. *Koenig* p. 675. *Hyde* Catal. Biblioth. Bodlei. P. II. 92.

Barnabæ BRISSONII Selectæ ex iure antiquitates, denuo editæ ab Henr. *Hahnio.* Helmſtadii 1663. Cum Vita, obitu, & elogiis auctoris. De ipſis illius Antiquitatibus iam diximus P. III. 313. Vita autem, quæ hic deſcribitur, contexta eſt ex *Thuani* Hiſtoria, Rud. *Boteri* opere hiſtorico-politico, *Sammarthani* Elogiis Gallorum doctrina illuſtrium, & *Tollii* Appendice ad Io. Pierii Valeriani librum de Litterarorum infelicitate.

Marquardi FREHERI Deciſiones areopagiticæ. Francofurti ad Viadrum 1672. In queis controverſiarum apud veteres pro inexplicabilibus habitarum reſolutiones nova ratione tentantur. Editio ſecunda, priore correctior & auctior. Cui accedit eiusdem auctoris Oratio de conſtitutionum principalium excellentia.

Conſalvi Briuntis MENANDRII Diſcurſus iuridico-politicus de ſervitute in rep. romana iterum introducenda. Francofurti 1626. Nimirum auctor ſuadet, ut validi mendicantes ſervituti mancipentur, atque ex otioſis & reip. oneroſis laborantes, reique publicæ utiles reddantur. Quis autem ſub fictis iſtis nominibus lateat, fateor me ignorare, neque ab aliis, ad quorum forum hæc pertinent, reſciſcere potui.

Io. EICHELII liber de iure, quo naturaliter liberi & parentes ſibi invicem ſunt obſtricti. Helmſtadii 1655. In quo illud ex ſacro codice, conſenſu cultiorum gentium, rationibus veterum ſapientum, & ſanctionibus variorum populorum depromitur atque oſtenditur. In Dedicatione docet, certitudinem & eviden-

tiam

tiam, ſicut omnium ſcientiarum, quas quidem humana mens capere poteſt, præcipuæ ſunt dotes, ita in legum diſciplina præcipue requiri, & iuris naturalis cognitionem, eamque paullo accuratiorem, iuris prudenti & utilem & neceſſariam eſſe. Quo nomine etiam hic liber laudatur a *Struvio* Biblioth. philoſoph. p. 127. & *Boeclero* in Comment. ad Grotii lib. II. de I. B. & P. c. 5. §. 10. n. 1.

Io *Eichel*, Heldburgo-francus, nobilis de Rautenkron, hereditarius in Netliz, Bornum, & Hoensleben, Ducum Brunsvico-luneburgenſium, & Ducis Saxoniæ inferioris ſive lauenburgici a conſiliis ſanctioribus, & huius, concedentibus id illis ex ratione politica, vicecancellarius, in academia Iulia Iurium anteceſſor primarius, Facultatis iuridicæ ſenior, Dicaſterii wolfenbuttelenſis aſſeſſor, ac ſenior, nec non Capituli walbeciani canonicus, qui in athenæo helmſtadienſi theologicas olim, ac philoſophicas & iuridicas lectiones ſedulo audivit, inque omnibus maſcule ſe ſe exercuit, dedit nobis Animadverſiones in *Procopii* Arcanam hiſtoriam, Commentarium in regulas iuris, & præter alias Diſputationem de interpretatione legum, & cardialgia oppreſſus obdormivit anno 1688. cum annos vixiſſet fere 67. Vir fuit, cuius virtutem & doctrinam noſtra, ut prior, ætas reveretur, poſteri admirabuntur, deque eo videtur uſurpari poſſe *Tullianum* illud de Sulpitio: *Semper illius gravitatem, conſtantiam, fidem, praſtantiam, in Rep. tuenda curam atque prudentiam omnium mortalium fama celebrabit. Nec vero ſilebitur admirabilis quadam, & incredibilis, & pane divina eius in legibus interpretandis, & aquitate explicanda ſcientia.* Vide Programma *Acad. Iulia* in eius funere poſitum, & *Magirum* p. 304.

LXIV.

Iacobi Friderici LVDOVICI Einleitung, Introductio ad civilem proceſſum. Halæ 1714. In qua dilucide monſtratur, quomodo accuſator in cauſſæ ſuæ initio & progreſſu, accuſatus in defenſione ſui, & iudex in decretis & aliis iuſtitiæ actibus ſe ſe gerere debeat: in quovis etiam capite ſaxonicus & communis, nec non ſingularis in multis provinciis procedendi modus inter ſe conferuntur; additurque appendix de modo formandi Acta & regiſtraturas, ut & eadem excerpendi ac referendi; cum inſtructione iuſtitiarii, ſive actuarii iudicii in pago. Laudatur ab excellentiſſimo Chriſt. *Thomaſio* in Relatione de bienni curſu iuris p. 48.

Iac.

Iac. Frid. *Ludovici*, germanice *Ludowieg*, pomeranus, I. V. Doctor & prof. in academia Fridericiana ordinarius, Regisque Boruſſorum conſiliarius aulicus, Hiſtoriam iuris ſcripſit, Compendium Pandectarum, ac Diſputationes de Præſumtione bonitatis, Conditionibus ſponſaliorum impoſſibilibus, & Genuino intellectu brocardici vulgaris, *Omne iuramentum ſervandum eſſe, quod ſalva ſalute æterna ſervari poteſt*, clariſſimumque, quod inter eruditos obtinuit, nomen cum maiore in dies laude tuetur. Vide Chriſt. *Thomaſium* in epiſtola, diſputationi inaugurali de Præſumtione bonitatis, ſubiuncta.

EIVSDEM Introductio ad Proceſſum criminalem. Halæ 1714. Editio IV. eaque emendatior. Docetur in ea, quid iudex in inquiſitione, & inquiſitus, eiusque defenſor in defenſione obſervare debeat. Præterea collatio fit inter Proceſſum ſaxonicum & communem, modusque oſtenditur, quo Acta & regiſtraturæ criminalibus in rebus ſint inſtituenda, nec non excerpenda, atque in iudiciis referenda. Commendatur & hoc ſcriptum a laudato *Thomaſio* l. c. p. 59.

EIVSDEM Introductio ad proceſſum concurſus. Halæ 1713. Qua oſtenditur, quo modo creditor in liquidatione debiti, debitor aut curator bonorum in examine partium debiti, & exceptionibus ſuis, nec minus iudex in decretis faciendis progredi debeat: Cum collatione proceſſus ſaxonici, communis, atque in multis provinciis ſingularis. Huius introductionis Dedicatio eſt commendatio auctoris ad perilluſtrem *Thomaſium*, cuius ſibi collata beneficia prædicat, nec ſatis digne prædicare poſſe fatetur.

EIVSDEM Introductio ad proceſſum cambii. Halæ 1713. ſecunda editio. Agitur in ea de illis caſibus, in quibus, vi iuris cambiatorii poteſt accuſatio inſtitui, &, qui proceſſus cambii a modo procedendi aliis in rebus uſitato differat, perſpicue oſtenditur, ipſaque verba variarum Conſtitutionum cambiatoriarum adducuntur.

EIVSDEM Introductio ad proceſſum conſiſtorialem. Halæ 1713. Qua etiam demonſtratur, proceſſum hunc a modo procedendi alias uſitato recedere, ac præterea de origine ſic dictæ eccleſiaſticæ iurisdictionis apud Euangelicos, eiusque conſtitutione diſſeritur.

Digitized by Google

EIVSDEM Introductio ad proceſſum militarem. Halæ. 1715. In qua tractatur de iurisdictione militari, & cui illa competat, de perſonis & rebus ad eam pertinentibus, de iudiciis ſuperioribus & inferioribus, de proceſſu in civilibus & criminalibus in prima & ſecunda inſtantia, deque poenis militaribus. Cui, inſtar appendicis, accedunt Articuli bellici noviſſimi, a Regia Maieſtate boruſſica præſcripti militibus gregariis, & officialibus inferioribus, nec non Formulæ variæ, auditori ſive ſyndico militari cognitu neceſſariæ.

LXV.

Io. SYLVERII Germani Teutſcher Reichsſtaat, Germanicus ſtatus Imperii, reviſus, auctus, & annotationibus illuſtratus a Chriſtoph Laur. *Bilderbeckio.* Lipſiæ & Francofurti 1709. Tomi II. Eſt accurata deſcriptio S. R. Imperii Nationis germanicæ, ſecundum eius originem, ætatem ac præſentem conditionem & oeconomiam, anteriores ac hodiernas nationes, earumque mores & naturale; porro ſecundum eius Caput ſupremum, atque illuſtriſſima Membra, horumque ortum, incrementum, præſentem celſitudinem, & conventus ſollemnes, Imperii leges fundamentales, & excelſa iudicia, item decrementum, defectus & nævos, religionem, univerſitates, & reliqua. Præmittitur *Bilderbeckii* Bibliotheca iuris publici germanici, ſive inſtructio & ſermo de ſcriptoribus & libris ad ius publicum pertinentibus, & Tomo II. *eiusdem* Præfatio, qua Sylverium defendit contra Burch. Gotth. *Struvii* Bibliothecam iuris, editionis noviſſimæ. Præterea Tomo II. ſubiunguntur Additiones ab eodem *Bilderbeckio*, quibus varia in iſto Tomo breviter allata puncta latius explicantur, multæque ad ius publicum ſpectantes controverſiæ accurate deſcribuntur. Nota etiam, in Tomo I. columnas poſt p. 475. uſque ad 480. incuria typographi eſſe tranſpoſitas.

Io. *Sylverius* Germanus eſt nomen fictum, ſub quo latet Chriſtianus Henricus *Krebs*, ſupremi appellationum in Electoratu brunsvico-luneburgico Iudicii ſecretarius.

Chriſtoph. Laurentius *Bilderbeck*, ICtus, eruditione & dexteritate ſua id conſecutus eſt, ut Ordinum provincialium luneburgenſium Syndicus, atque in Dicaſterio Ducatus ſaxo-lauenburgici

burgici raceburgenſi adſeſſor fieret, utroque munere præclare magnaque cum laude meritus.

LXVI.

Io. Henr. HERTII Tractatio ſynoptica, de iactitata vulgo Ordinis ciſtercienſis libertate & exemtione a ſuperioritate territoriali, & advocatia. Francof. & Lipſiæ 1718. Olim ad diſputandum propoſita in academia giſſenſi: quæ & in IV. volumine Opuſculorum Hertianorum reperitur. Tertia autem hæc noſtra editio & emendatior eſt, & auctior. Oppoſita eſt Rob. *Kolbii*, abbatis arnsburgenſis Certanti & triumphanti aquilæ, in qua ille, corraſis undique, quæ ſibi proficua intelligebat, veterum Scholaſticorum, & iuris, maxime canonici, interpretum de eccleſiaſtica libertate teſtimoniis, civilis autem iurisprudentiæ & iuris publici ſolidiori doctrina, ut & hiſtoriarum monumentis, quæ hic utramque paginam facere debebant, inſuper habitis, id ſolum egit, ut Ordinis ſui prærogativam & immunitates ad cælum uſque eveheret, iura vero territorialia Statuum Imperii in monaſteriis fundata, & ab ipſa eorum origine in exercitium deducta, legumque præterea ſacratiſſimarum robore ac fulcro ſuſtentata, quantum in ſe eſt, deprimeret, ac pro nihilo reputaret. Iuſto igitur zelo inflammatus illuſtris noſter ICtus, in fundamenta iactatæ libertatis curatius inquirere, & veritatem ſuppreſſam e puris ac limpidis publicarum legum fontibus, formulis item pragmaticis veterum chartarum, haurire ac proponere, ipſiusque huius Ordinis ſcriptoribus melioribus & veri ſtudioſioribus illuſtrare conſtituit: cum vero negotiorum mole obrutus, propoſitum ſuum exſequi non poſſet, ſpartam hanc uni ex auditoribus ſuis commiſit, eique modum & ordinem tractationis delineans, ſubſidia librorum diplomatumque ſatis ampla ſuppeditavit.

Io. Nicol. *Hertius*, in alma Ludoviciana, quæ Giſſæ eſt, profeſſor primarius, ac poſtea ſereniſſimi Landgravii cancellarius, de ſtudiis iurisprudentiæ optime meritus, edidit Specimen prudentiæ civilis, Diſſertationes de colliſione legum & matrimonio putativo, ac Praefationem in Erici *Mauritii* Diſſertationes & opuſcula, mortaliumque oculis ſe ſubduxit paucis abhinc annis.

Chriſtoph. Frid. PLATHNERI Quæſtionum centuriæ III. Goslariæ 1711. 1713. 1718. In quibus variæ iuridico-politicæ, nec non ioco-ſeriæ ad praxin accommodatæ materiæ mediæ pertractantur, atque ad uſum quotidianum deciſionibus & obſervationibus non nullis, non paſſim obviis, decenter illuſtrantur. De duabus prioribus Centuriis vide auctores *Actorum eruditorum* A. 1711. 520. & A. 1713. 554. qui ICtum noſtrum unum ex iis eſſe autumant, qui utile dulci miſcere, adeoque prodeſſe & delectare ſciunt. Contra primam tamen quæſtionem de imperio mariti in uxorem nactus eſt adverſarium D. Io. Phil. *Odelem*, ICtum & advocatum ordinarium brunſvicenſem: cui ille in Præfat. in III. Centuriam modeſte reſpondet, ſeque diſſentientes facile tolerare poſſe adfirmat.

EIVSDEM Oeconomia iuris conſiſtorialis. Goslariæ 1715. Ex ſanæ philoſophiæ & iurisprudentiæ univerſalis, non minus romanæ ac germanicæ, principiis, pro idea conſiſtorii formanda, derivata. Vide *Acta erudit.* A. 1715. 367. Adiuncta eſt Decas quæſtionum de officio paſtoris, occaſione litis cum Andr. *Frölingio*, paſtore antehac goslarienſi.

EIVSDEM Der verkappte und ertappte phariſæiſche buſsprediger, Laryatus ac deprehenſus phariſaicus pœnitentiæ præco. A. 1711. Contra eundem *Frölingium*, eiusque ſcriptum, cui rubrum impoſuit, Schuldige amtspflicht an das ruchloſe Goslar.

LXVII.

Io. Pauli LANCELOTTI Inſtitutiones iuris canonici, cum notis variorum. Halæ magdeburgicæ A. 1717. Partes IV. volumina III. Ziegleri Lancelottus prodiit Vitembergæ A. 1669. & Io. Henr. *Bergeri*, tunc ICti vitembergenſis, iam illuſtri dignitate conſpicui, Annotationes A. 1710. Præmittuntur 1) Caſp. *Ziegleri* Diſſertatio de origine & incrementis iuris canonici. 2) *Lancelotti* Commentarium iuris canonici, quo 1. refertur hiſtoria impedimentorum, cur hactenus Inſtitutiones ſuas edere non potuerit. 2. exhibetur Epitome Inſtitutionum & ratio methodi. 3 reſpondetur obiectionibus adverſariorum. 3) Dedicatio operis. 4) Procemium *Lancelotti* ad ſtudioſos, cum notis *Ziegleri*. 5) Index titulorum. Et Præfatio auctorem habet illuſtrem virum, Chriſtianum *Thomaſium*, qui

qui in ea occaſionem & ſcopum Notarum præſentium aperit, curque *Lancelotti* Inſtitutiones præ illis, quæ *Duareni*, *Cucchi* & *Corvini* ſunt, elegerit; præterea auctores nominat, quorum ſententiæ, vel integri etiam tractatus in ſuis notis adferuntur; exhibet etiam indicem obſervationum contra Pontificios, in notis ſuis contentarum; negat ſe eſſe oſorem iurisdictionis epiſcopalis & ordinis hierarchici, aut ſacri miniſterii; cauſſas amoris odiive humani ſe procul habuiſſe, quin venerari Pontificem, ut magnum Italiæ Principem, nec non Epiſcopos & Abbates romanæ religioni addictos, atque univerſo Clero ad omnia iuſtitiæ & humanitatis officia obſtrictum eſſe; credere etiam, ſi non omnes, pleroſque tamen bona fide errare; rogare igitur, idem ut de ſe, ſi alicubi erraverit, ſibi perſuaſum habeant; nec plus ſe dicere adverſus Papam & Clerum romanum, quam quod dixerit Caſp. *Zieglerus*, & ante eum Petrus *de Ferrariis*, ICtus catholicus, & anno 1413. florens; terminis quidem *dominatus*, *tyrannidis*, *hypocriſeos*, *phariſaiſmi*, *ambitionis*, *avaritiæ*, *luxuriæ*, *libidinis*, *gulæ*, *invidiæ* & *antichriſti* ſe uti, ſed molliore ſenſu, ac ſine intentione convicia iis faciendi, atque iniurias inferendi; denique *Zieglerum* primum fuiſſe inter ICtos proteſtantes, qui antiquitates hiſtoriæ eccleſiaſticæ cum ſtudio iuris diligentius coniunxerit, & cum explicatione iuris canonici examen eiusdem ad regulas principiorum politicorum. Sed cum dictum ſit, variorum hic Notas exhiberi ad *Lancelottum*, eorum quoque nomina a nobis ſunt exprimenda: ſunt vero Caſp. *Zieglerus*, Io. *Brunnemannus*, Sam. *Stryckius*, Sam. *Mareſius*, Iuſtus Henning *Bœhmerus*, & *Thomaſius* ipſe. Notabis etiam, *Lancelotti* Inſtitutiones, etſi a Pontifice non fuerint confirmatæ, eius tamen iuſſu a præſtantibus commiſſariis examinatas, maximamque partem adprobatas, poſtea etiam in ſcholis expoſitas, & gloſſis adornatas, tandemque Corpori canonico, non ſine præſcitu ſummi Præſulis romani, adiunctas eſſe. Denique, ſi varia de *Lancelotti* & *Ziegleri* hoc labore iudicia noſſe cupis, adi, ſis, perilluſtrem & excellentiſſimum L. B. *de Lyncker* (in Felleri Monumentis ineditis p. 450. *Giornale de' Letter. d' Italia* T. IIX. 428. I. A. *Fabricium* Biblioth. lat. 847. C. *Thomaſium* in Parvis ſcriptis german. p. 265. & in Cautelis circa præcogn. Iurisprud. eccleſ. p. 302. *Titium* Præfat. in Ius eccleſiaſt. p. 2. & Theodor. *Cruſium* Annot. ad Sarckmaſii Iudicia p. 16.

In *Ziegleri* Diſſertatione de orig. & increm. Iuris canonici, §. 67. p. 66. Prævalent in pleriſque Germaniæ provinciis ſpeciales circa proceſſum a Principibus promulgatæ *ordinationes, quæ tam perfecta hodie & abſoluta, in Saxonia inprimis* noſtra, inveniuntur, ut ex Decretalibus iſtum nunc addiſcere nulla amplius cogat neceſſitas.

At illæ etiam Ordinationes proceſſuales, ſi non totæ, ſaltem maximam partem *deſumta ac derivata ſunt ex Iure canonico, eove incruſtata*: Chriſt. *Thomaſius* Cautel. circa præcognita Iurisprud. eccleſiaſt. c. 23. §. 4. p. 299.

LXIIX.

Ioannis BRVNNEMANNI Tractatus de Iure eccleſiaſtico, cum Supplementis Sam. *Strykii*, Francofurti ad Viadrum 1686. Iterumque prodiit Vitembergæ A. 1699. Conſtat III. libris, quorum primo agitur de iure perſonarum eccleſiaſticarum, ſecundo de iure rerum eccleſiaſticarum, tertio de proceſſu conſiſtoriali. Sub finem adduntur eiusdem *Brunnemanni* ad Regulas iuris canonici Prælectiones publicæ, anno 1669. & 1670. habitæ, quarum utilitatem inſignem ipſa inſpectio, uti *Strykius* indicat, ad oculum demonſtrabit. Præfatio eſt *Strykii*, qui auctoris in ſcribendo hoc Tractatu intentionem exponit, ſeque a moribundo, ut eum publici iuris faceret, rogatum eſſe ait, & primo quidem ipſi textui ſuas inſerere Additiones voluiſſe, quod & in prioribus capitibus factum; deinde vero mutaſſe conſilium, & ſeparatim eas cuivis capiti ſubiunxiſſe. Iac. Gabriel *Wolfius* Inſtitutiones iurisprudentiæ eccleſiaſticæ edidit Lipſiæ A. 1713. in uſum huius Tractatus Brunnemanniani, & Iac. *Brunnemannus* Caſtigationem Trutinæ doctrinarum Io. *Brunnemanni*, quibus a Bened. Carpzovio diſſentit; cui *Schmidius* aliud ſcriptum Ienæ oppoſuit. Hoc opus *Brunnemanni* laudatur in *Actis eruditorum* A. 1682. p. 254. a C. *Thomaſio* in Parvis ſcriptis germanicis p. 264. in Program. de duobus collegiis A. 1701. p. 13. & in Cautelis circa præcognita iurisprudent. eccleſiaſt. p. 302. a *Struvio* in Biblioth. iur. c. 13. §. 24. &c. 16. §. 20. a perilluſtri L. B. *Von Lyncker* in Felleri Monum. var. ineditis p. 450. & Ger. *Von Maſtricht* in Catal. biblioth. p. 296. qui Brunnemannum hac in materia ſtatuit eſſe ex optimis.

Pag.

Pag. 185. Contemtor S. cœnæ, ſive qui per longum temporis ſpatium, quamvis admonitus, ab eius uſu abſtinet, *a ſacro cœtu, immo & ab honeſtis conventibus excludendus eſt.*	Verum *& in hac excluſione coactionem offendo*; omnis autem coactio, papalis & iniuſta eſt; nihilque aliud miniſtro eccleſiæ hic agendum, quam ut *diligenter moroſum adhortetur*, eventum autem Deo relinquat. *Keſtner* Iuriſprud. papiz. 53. *Titius* German. iuriſprud. eccleſiaſt. 451.
785. Theologi etiam præficiendi ſunt Conſiſtoriis, quoniam *ad illa etiam caſus conſcientiæ explicandi pertinent.*	Hæc ratio non eſt ſufficiens, quia *omnes res in iudiciis occurrentes ad forum conſcientiæ pertinent*, quas tamen Politici dirimere valent. Interim bene agunt Magiſtratus, ſi in Conſiſtoriis more antiquo Theologos Politicis adiungunt. Iac. Frid. *Ludovici* Introduct. in proceſſum conſiſtor. c. 3. p. 31.

Io. *Brunnemannus*, natus Coloniæ ad Spream, a theologiæ ſtudiis, ob vocis & pectoris imbecillitatem, quam in concionibus habendis expertus erat, ad cultum iuriſprudentiæ transgreſſus, in academia viadrina primum fuit Logices, deinde Iurium profeſſor, immo & Ordinarius conſtitutus, potentiſſimique Electoris conſiliarius, edidit Enchiridion logicum, tanti ab eruditis æſtimatum, ut non nemo iudicaverit, *vidiſſe Brunnemannum in logicis, quod multi hactenus ignoraverint*, Tractatum de pace politica, alium de ceſſione actionum, Commentarium in Codicem, Tractatum de proceſſu inquiſitionis, Repetitionem Paratitlorum *Weſenbecii*, Commentarium ad leges præcipuas Digeſtorum, Iudicium de exemtione clericorum euangelicorum, (quod tamen non ipſe, ſed alius, cum quo illud communicaverat, ipſo inſcio in lucem emiſit) Sacras meditationes in euangelia dominicalia, latinas partim, partim germanicas, quas præter alia exercitia quotidiana ſedulo expoſuit familiæ ſuæ, & Commentarium in Pandectas, in quo recognoſcendo cum perveniſſet ad titulum de Mortuo inferendo, vivis

viuis exemtus, atque in ſtatum mortuorum translatus eſt anno 1672. poſt exactos in his terris annos 64. menſes 8. totidemque dies. A puero pietatis exercitio fuit deditus, a mundi ſtrepitu & fumorum venditione alienus, nemini moleſtus, erga omnes facilis & humanus, iniuriarum patiens, & hoſtis retorſionum æque ac proceſſuum in foro ſine cauſſa, perque meram rabularum malitiam, iudicumque conniventiam, prolatorum, atque æternorum, ubique conſcientiæ habens rationem, ac verus iuſtitiæ ſacerdos, iccirco paſſim dictus, perpetuoque dicendus ICtus religioſus. *Becmannus* in Notitia Vniverſit. francofurt. p. 213. *Pipping* Memor. theol. p. 1031. *Lexicon univerſ. hiſtor.* T. I. 456. *Magirus* 150. *Bibliothecarius nulli parti addictus* 876. Chriſt. *Thomaſius* Program. de 2. Collegiis A. 1701. p. 14.

Samuel *Strykius*, vitam ingreſſus in arce Lenzenſi, cuius oppidum in Prignitia Marchia ſitum, animo quidem excolendi ſtudia theologica in academiam vitembergenſem ſe contulit, ſed amicorum ſuaſu poſtea eum mutavit, & iurisprudentiam didicit ſub *Zieglero*, Wilh. *Lyſero*, & *Brunnemanno*, atque e Belgio & Anglia redux profeſſionem Novellarum extraordinariam obtinuit in academia viadrina, donec ſumto doctoris gradu ad docendas ordinarie Inſtitutiones, Pandectas & Codicem ſucceſſive vocaretur. Neque quidquam erat dignitatis, quod non conſequeretur: conſtitutus namque eſt etiam ordinarius Ordinis iuridici præſes, conſiliarius electoralis, & auguſtiſſimi Imperatoris gratia Comes palatinus. Wittebergam dimiſſus quidem fuit in locum Brunnemanni, ſed ea lege, ut, ſi Regia Maieſtas pruſſica ipſum revocaret, obediens ſe ſiſteret; & hinc, ne penitus atque omnino dimiſſus videretur, ipſo in abitu conſiliarii aulici axiomate non minus conſtrictus, quam cohoneſtatus fuit. Neque conditio illa non fuit impleta: nam cum potentiſſimus Rex conſilium de erigenda Halæ academia ſuſcepiſſet, Strykiumque ſuum a ſer. Saxoniæ Electore Io. GEORGIO IV. repeteret, neque hic potuit obſtare, neque ille abnuere. Et Halæ quidem in maiore, quam unquam, vixit ſplendore, creatus a Regia Maieſtate conſiliarius intimus, & director academiæ, præterquam quod eſſet ordinarius Facultatis iuridicæ. Quantum applauſum habuerint eius lectiones ac diſputationes inter ſtudioſos, quantique æſtimata ſint eius ſcripta apud eruditos,

Digitized by Google

eruditos, non opus eſt verbis exprimere, cum neminem id lateat, qui virum, eiusque præſtantiam novit. Eminent autem, inter eius lucubrationes, Diſſertationum volumina, Commentationes de iure ſenſuum, ſucceſſionibus ab inteſtato, & cautelis circa contractus, ultimas voluntates & iuramenta adhibendis, de conſenſu ſponſalitio, & uſu Pandectarum, Compendiumque *Schuzianum*. Tandem mortuus eſt anno 1710. cum vixiſſet annos 70. *Becmannus* Notit. univerſit. viadrinæ p. 224. G. *Schubart* in Epiſt. dedicat. Diatribes iſagog. I. A Boſii de Prudentia & eloq. civili, *Pipping* Memor. theol. 1057. & *Acta erudit.* A. 1711. 139. in quibus vocatur ICtus non Germaniæ ſolum noſtræ, ſed totius Europæ præſtantiſſimis accenſendus.

LXIX.

Chriſtoph. Io. Conr. ENGELBRECHTI de Servitutibus iuris publici Commentatio. Helmſtadii 1715. In qua agitur de iuribus, præcipue in Imperio romano-germanico, Imperanti in alterius territorio competentibus, ex genuinis Iuris publici atque privati, quin & hiſtoriæ germanicæ fontibus petita.

Chriſtophorus Ioannes Conradus *Engelbrecht*, Georgii ICti filius, natus Helmſtadii A. 1690. in academia patria per aliquod temporis ſpatium extra ordinem ius docuit, nuper autem, ut qui paternam famam conſervare, ſi non augere valeret, ordinariis anteceſſoribus adſcriptus, in lucem publicam produxit Programmata de cauſis impediti hactenus felicis ſucceſſus tentatæ in Germania emendationis adminiſtrationis iuſtitiæ, deque fatis iurisprudentiæ, iuſtitiæque adminiſtrationis in Germania, ac Diſputationes de genuinis deciſionum iuris fontibus in terris brunsvico-luneburgicis, deque iniuſta aſylorum, immunitatisque eccleſiarum ad crimina doloſa extenſione, & poteſtate Principis vel abuſum aſylorum tollendi, vel aſyla plane abolendi.

LXX.

Iuſti Henningi BOEHMERI Ius eccleſiaſticum Proteſtantium. Halæ 1714. Vſum modernum Iuris canonici iuxta ſeriem Decretalium oſtendens. Opus inſigne, multaque laude dignum. Sunt II. Partes, totidemque volumina, quæ III. libros Decretalium illuſtrant, non tamen integrum librum tertium: coactus enim

eſt auctor ſubſiſtere ad Titulum eius XXXum: XXIX. vero, qui agit de parochiis & alienis parochianis, levi tantum brachio attingit, quia materiam illam fuſe & ex profeſſo tractavit in libro de Iure parochiali, quem ideo Parti II. ſuadet addi, ſive cum ea compingi. Sicut autem in prima de legibus & perſonis eccleſiaſticis, deque proceſſu in foro eccleſiaſtico uſitato, ita in ſecunda præcipue recenſentur iura capitulorum. Multa quidem emendarunt in Iure eccleſiaſtico celeberrimi viri *Brunnemannus*, *Ziegler*, Io. *Strauchius* & G. G. *Titius*, ſed non pauca doctiſſimi auctoris noſtri ſtudio atque induſtriæ relicta ſunt: ſicut præſens opus demonſtrat. De quo vide *Acta erudit.* A. 1715. III. *Germanicor. Actor. eruditor.* Tomum III. 404. *Bücherſaal*, ſive Muſeum novum T. IV. 256. & *Novam Bibliothec.* T. VII. p. 232. in qua opus appellatur bene elaboratum.

Iuſtus Henningus *Bœhmer*, natus Hanoveræ anno 1674. ICtus halenſis, Comes palatinus cæſareus, & auguſtiſſimi Regis Pruſſiæ a conſiliis aulicis, ea inter eruditos eſt celebritate, ut ſupervacaneum eſſet, multis eius merita verbis deſcribere. Iuvat potius commemorare ſcripta eius, quæ ſunt: Tractatus de iure parochiali, Manuductio ad methodum diſputandi, & conſcribendi diſpp. iuridicas, Introductio ad ius digeſtorum, Annotationes ad Petri *de Marca* Concordiam ſacerdotii & imperii, Introductio in Ius publicum univerſale, Delineatio doctrinarum de actionibus, gradibus matrimonialibus, & ſucceſſione ab inteſtato, *Schilterus* inluſtratus ſive Emendationes & additamenta ad Schilteri Ius canonicum, Tractatus de iniquitate & iniuſtitia actionum iniuriarum, & multæ Diſputationes: quarum bonus numerus exhibetur in Muſei novi Tomo IV. p. 258.

EIVSDEM Ius parochiale. Halæ magdeburgicæ 1716. Editio ſecunda, auctior & emendatior. Prior in lucem emiſſa fuit anno1701. ſed & in manus incidit infelicis correctoris. Ipſum autem Ius parachiole ad fundamenta genuina ab auctore revocatur, a ſpuriis principiis repurgatur, atque ita adornatur, ut Ius eccleſiaſticum Proteſtantium illuſtrare, & uſum modernum libri III. Decretalium, ſecundum præcipuas materias, oſtendere queat. Et conſtat IIX. Sectionibus, quarum prima agitur de fundamentis genuinis Iuris parochialis, ſecunda de eius natura & origine, tertia de

Digitized by Google

tia de parochis, parochianis, ut & parochiis, quarta de iure parochiali circa adminiſtrationem ſacrorum, quinta de bonis parochialibus, ſexta de adminiſtratoribus bonorum parochialium, ſeptimo de commodis & oneribus parochialibus, octava de eccleſia parochiali vacante. Ei autem præmittuntur 1) Dedicatio ad excellentiſſimum Paulum L. B. *de Fuchs*, cuius ſpem in diſertiſſima oratione de incremento novæ Academiæ Fridericianæ factam, lætiſſime, ait, & in dies magis impleri. 2) Sam. *Strykii* ad auctorem Epiſtola, qui non tantum adprobat eius propoſitum, verum etiam de vitiis prætenſi iuris epiſcopalis, & officio paſtoris graviter diſputat. 3) Præfatio auctoris, primæ editioni præmiſſa. In qua verba facit de principiis iuris civilis, cum privati, tum feudalis, de principiis iuris eccleſiaſtici, prout in terris Proteſtantium id ipſum obſervatur, de tribus veritatis in hac materia criteriis, quæ ſint S. ſcriptura, Hiſtoria eccleſiaſtica & ſana Ratio, de Benedicto *Carpzovio*, Io. *Brunnemanno*, & Sam. *Strykio*, quod hi duumviri plures veritates, quas ille, alioqui magnus laudatiſſimusque ICtus, non vidit, vindicarint, aliisque facem prætulerint, de conſilio & ſcopo ſuo in præſente tractatu, de ſcriptoribus & pontificiis, & proteſtantibus, qui hac de materia, aut circa eam ſcripto quid conſignarunt; fatetur autem, neminem fuiſſe, qui integro Iuri parochiali formando, atque edendo operam impenderit. Iure igitur meritoque ei adplaudit celeberrimus *Strykius*, ſcribens, delicatum ipſum thema aggreſſum, ſed utile pariter ac ſcitu neceſſarium, adeoque de eccleſia bene meruiſſe, qui in originem, fundamentum, ac legitimum uſum iuris parochialis docte inquiſiverit, abuſum modeſte reprehenderit, uſum autem genuinum, qui merito in eccleſia retinendus, demonſtraverit: ipſum quidem non effugiturum iniquorum cenſuras, ſed nec defuturos æquos rerum æſtimatores, qui veritate convicti, remoto præiudicio, defectus huius iuris agnituri, operamque impenſuri ſint, ut non amplius ob lucrum temporale ſcindatur vinea Chriſti, ſed, coniuncta miniſtrantium opera, ſalus auditorum omnium, in unitate Spiritus ſancti promoveatur.

LXXI.

(Sam. STRYKII) Tractatus iuridicus de dardanariis, von Korniuden, ad L. Annonam VI. ff. de extraordin. criminib. Li-

Digitized by Google

pſiæ 1712. Eſt diſputatio, olim ſub præſidio Io. *Brunnemanni* habita Francofurti ad Viadrum, quam *Becmannus* in Notitia univerſit. francofurt. p. 225. elegantem vocat, qua primum ſe Vniverſitati maxime commendaverit. Abſolvitur IIX. capitibus, quorum primo agitur de dardanariorum origine & deſcriptione, itemque annona; ſecundo de dardanariorum generibus; tertio de dardanarii ad vendendum coactione; quarto de his, qui dardanariatum non incurrant; quinto de pœna dardanariorum iure civili ſtatuta; ſexto de pœna propolarum ex iure noviſſimo; ſeptimo de dardanariatu, qui circa ſtateras & menſuras adulterinas committitur; octavo de dardanariorum, circa pondera ac menſuras delinquentium, pœna.

Caſp. ZIEGLERI de Diaconis & diaconiſſis veteris eccleſiæ liber commentarius. Wittebergæ 1678. In quo capitibus XIX. docetur de diſtinctione clericorum & laicorum, & diſtinctione clericorum inter ſe, eorumque ordinibus, de nomine *diaconus*, & vocabuli eius uſu, de diaconorum origine & primo eorum officio, de eorum electione, numero, ordinatione, ætate ad diaconatum apta, officio ac miniſterio, & ſtatu in conciliis & ſynodis, obſervantia & aliis officiis, quæ Epiſcopis & presbyteris debuerunt, de officio erga parochianos & alios, veſtitu, ſtatu domeſtico & vita privata, coniugio, vitiis & delictis, ac foro competente, de archidiacono, ſubdiaconis, & diaconiſſis. In Præfatione diſputat auctor contra Arnoldum *Corvinum*, diſtinguendum a patre Io. Arnoldo, atque oſtendit, hierarchiam eccleſiaſticam, quæ per multa iam ſæcula obtinet in eccleſia tam græca, quam latina, originem ſuam trahere, non a iure divino, ſed inſtituto humano.

EIVSDEM Superintendens. Vitembergæ 1712. Editio ſecunda. In quo auctor XXXI. capitibus tractat de miniſterii eccleſiaſtici neceſſitate, hierarchia & ordine miniſtrorum eccleſiæ, nomine *Superintendens*, de Superintendentis auctoritate, locis, ad quæ eius ſe extendit inſpectio, difficultate muneris Superintendentis, reverentia ipſi debita, de eius poteſtate eccleſiaſtica, munere præcipuo, poteſtate adminiſtrandi ſacramenta, admittendi ad concionem δοκιμαστικην, auditum & adprobatum a patrono præſentandi, ordinandi & inveſtiendi, de poteſtate iurisdictionis & clavium, non autem propria auctoritate excommunicandi, deprecationem

cationem publicam vel iniungendi, vel remittendi, nec in cauſſis matrimonialibus contra matrimonium quidquam faciendi, aut diſpenſandi circa leges eccleſiaſticas, de aliis partibus officii eius, videlicet viſitatione eccleſiarum, ſcholarum inſpectione, cura ædium parochialium, hoſpitalium & aliorum locorum piorum, viduarum & orphanorum, redituum, & ærarii eccleſiaſtici, iurium & privilegiorum paſtorum, & cogendæ ſynodi ex paſtoribus ſubiectis, (non quidem propria auctoritate, ſed ſi præſcriptum ipſi ſit a Superiore) deque officio eius, ſi paſtor aliquis ſit defunctus, aut morbo vel ſenectute confectus, de fructibus & reditibus inter paſtorem novum & defuncti heredes iuſte diſpertiendis denique de emolumentis, quibus fruatur ſuperintendentis vidua anno gratiæ dimidio. Atque hæc omnia ſic docet auctor ad normam Conſtitutionum eccleſiaſticarum in Electoratu Saxoniæ. In Præfatione autem vocabulum *Eccleſia* evolvit, ac præterea oſtendit, bono conſilio & maximo cum eccleſiæ commodo in ipſo miniſterio eccleſiaſtico diverſos eſſe ordines conſtitutos, ut alii videlicet regerent, alii regerentur, & ſicut hi interdum cornua ſumunt, & præpoſitis ſuis, male quidem, reſiſtunt; ita ex illis quoſdam vel calide nimis, & extra ſphæram quandoque ſuam, vel oſcitanter ac languide officio ſuo fungi; abſtinere igitur ſe non potuiſſe, quin ea, quæ ad munus Superintendentis laudabiliter gerendum pertinent, uno quaſi contextu delinearet, & quæ ſparſim leguntur, ad certa capita redigeret; ſimul tamen ad antiquioris eccleſiæ placita revocaret. Ex Dedicatione autem patet, eum hæc ſcripſiſſe ſenem, atque eo tempore, quo ſenſim deficiebant & corporis & animi vires, & bonus vir calculo veſicæ, ut olim in pueritia contuſione cranii, & ante quadriennium luxatione ligamentorum in pede dextro, miſere affligebatur.

Io. Henr. BERGERI de matrimoniis comprivignorum Diſquiſitio. Lipſiæ 1708. IV. recitat diverſas ſententias Theologorum & ICtorum: alii enim tale matrimonium iure divino aiunt eſſe prohibitum, ut Daniel *Cramer*, Wolfg. *Franzius*, & Ant. *Matthai*, alii negant: alii eo tantum caſu interdictum ſtatuunt, ſi infans natus ſit ex novo parentum coniugio; qui comprivignos utroſque ſanguinis cognatione coniungat, ut Sam. *Bohlius*, Io. *Fabricius* miniſter verbi divini dantiſcanus, & Aug. *Varenius*: alii

denique exiſtimant, tale matrimonium non quidem conceptis verbis & ſpeciatim ſacris in paginis vetitum eſſe, pertinere tamen, ſi quidem parentum partus adſit, ad nuptias, quas Deus generaliori lege ſummatim interdixit, quando ampliſſimis ſancivit verbis, ne quis ad proximam carnem accedere ullo modo audeat. Tres haſce poſteriores ſententias, miſſa prima, earumque argumenta, & quæ ad ſingula excipiuntur, fideliter adfert atque enumerat vir conſultiſſimus, ita tamen, ut litem non decidat, ſed eius arbitrium lectori modeſte ac prudenter relinquat.

Io. Henr. *de Berger*, Gera-variſcus, ICtus, primumque potentiſſimi Regis Polon. in ſummo Appellationum Senatu conſiliarius, atque ordinarius in academia vitembergenſi, nunc in Aula S.R. Imperii conſiliarius, non iurium tantum, ſed humaniorum etiam & ſapientiae ſtudiorum magnum decus, plurimis felicis ingenii monumentis conſpicuum ſe reddidit in orbe litterato. Eius enim, ut præcipua nominemus, ſunt Philocalia fori, ſeu Miſcellanea iuris, Commentatio ad ius tranſilvanicum, alia de iure fiſci, Reſolutiones LL. obſtantium, quæ in Compendio iuris *Lauterbachiano* allegantur, quarum editio noviſſima eſt de anno 1716. Oeconomia iuris, Reſponſa iuris, Diſſertationes iurisprudentiæ criminalis, Commentatio de uſu actionum, Electa diſceptationum forenſium ad ordinem proceſſus ſaxonici, cum ſupplementis, volumina III. Diſquiſitio de ſurdis ac mutis, an feudorum ſint capaces? Annotationes ad *Lancellottum*, Diſquiſitio de utilitate uſucapionis in probando dominio, Annotationes ad *Brunnemanni* Repetitionem Paratitlorum *Weſenbecii*, Electa proceſſus executivi, poſſeſſorii, provocatorii, & matrimonialis, cum ſupplementis: & Conſilia ſub prelo iam gemunt, proxime in lucem proditura. Vide de aliquibus iſtorum ſcriptorum *Acta eruditorum* ad A. 1692. 219. A. 1696. 518. & A. 1705. 433. Laudes viri, cum iuvenis adhuc eſſet, immo etiam, cum primum & ſecundum dignitatis gradum teneret, cantavit *Schurzfleiſchius* Epp. arcan. T. I. 365. 403. quid iam facturus eſſet, ſi eum videret tot meritis ornatum, tantoque ſplendore circumdatum?

ACADEMIAE IVLIAE Conſtitutio de eo, quod agendum, ſi forte incendium in urbe ortum ſit. Helmſtadii 1711. Altera editio: prior autem lucem vidit A. 1668.

LXXII.

Digitized by Google

LXXII.

Caſp. ZIEGLERI de Epiſcopis, eorumque iuribus, privilegiis, & vivendi ratione liber commentarius. Norimbergæ 1686. Conſtat IV. libris, quorum primo tractatur de vocabuli *Epiſcopus* origine, epiſcopalis officii inſtitutione, differentia inter epiſcopos & presbyteros, diſtinctione dioeceſium & provinciarum, patriarchis in genere, & primatu romani Pontificis; ſecundo de electione, confirmatione & conſecratione epiſcoporum; tertio de iuribus epiſcopalibus; quarto de vita & moribus epiſcoporum, quales ipſos eſſe decet, & non decet: ac poſtremo epiſcopatus in terrarum orbe ſub Papa romano exiſtentes quaſi in tabula exhibet. Præmittitur 1) longa Praefatio, in qua loquitur de miro chriſtianæ religionis incremento, de paucitate Chriſtianorum, ſi eos compares cum Muhammedanis, & Paganis idololatris, de romani & conſtantinopolitani epiſcopi arrogantia, & inde ſecuto ſchiſmate, deque occaſione ſcribendi hunc commentarium. 2) Elogia, quæ auctori noſtro canunt D. Io. Frider. *Mayer*, & Conr. Sam. *Schurzfleiſch*, ille quidem carmine, hic epiſtola, eaque nec mentiente, nec adulante. Celeberrimi collectores *Actorum eruditorum* commentarium hunc vocant opus diu votis expetitum, & a multis etiam doctrina & uſu peritis flagitatum, A. 1686. 568. & opus egregium, A. 1687. 199. atque illuſtris *Thomaſius* in Scriptis parvis germanicis p. 265. hunc tractatum ſatis ait cum aliis prodidiſſe, haud facile reperiri quempiam, qui excellentior ſit in hoc genere iuris prudentiæ.

Lib. III. c. 30. p. 815. Sed *qui notionem* habet, *non propterea etiam habet iurisdictionem.*

Notio tamen, *palliata eſt iurisdictio*, quia Magiſtratus civilis ſententiam epiſcopi exſequi debet. C. *Thomaſius* in Annotat. ad *Puffendorfii* Monarchiam ſpiritualem p. 72.

LXXIII.

Henrici LINCKII Commentarius in Decretales. Norimbergæ 1697. Quo univerſum fere ius canonicum, & quidquid eius maxime in uſu, foroque tam Pontificiorum, quam Proteſtantium obtinet, ſecundum titulorum ſeriem explicatur, & noviſſimo Iuri

ri canonico romano-germanico ſive publico applicatur. Præmittitur Vita auctoris, a M. D. *Omeiſio* deſcripta.

Henr. *Linckius*, natus Sorbigæ in Miſnia, *Weigelii*, & *Zapfii* philoſophorum, nec non *Struvii*, *Schræteri*, *Strauchii*, *Bechmanni*, *Richter*, ICtorum ienenſium, ac præcipue Io. Chriſtoph. *Fal.kneri* diſcipulus, iurium doctor, ac primum advocatus ienenſis, deinde ICtus altorfinus, & ſereniſſimi Comitis palatini ſolisbacenſis, inclytæ Reip. noribergenſis conſiliarius, obiit A. 1696. ætatis 41. vir longiore lucis uſura, ſi Deo placuiſſet, digniſſimus, deque iuventute ſtudioſa & iurisprudentiæ ſacris optime meritus; ſed qui adhuc vivit in memoria eruditorum, & ſcriptis ſuis: inter quæ ſunt Tractatus de iuribus templorum, de rubro, nigro & albo, deque iure epiſcopali, & variæ Diſſertationes ſeu diſputationes. De quibus vide *Omeiſium* in eius Vita.

EIVSDEM Tractatus de iure epiſcopali. Francofurti & Lipſiæ 1697. Ab auctore ante obitum reviſus, multis in locis auctus, & altera iam vice (prima anno 1694. prodiit) editus. Quo iuris epiſcopalis diverſæ functiones ex genuinis divini pariter ac canonici iuris principiis, cum perpetua ad Proteſtantium eccleſias applicatione conſiderantur, noviſſimisque Imperii germanici ſanctionibus declarantur, & potiores iuris canonici atque eccleſiaſtici materiæ, in gratiam praxi conſiſtoriali operam navantium, proponuntur. Habuit quidem auctor præeuntem in hac ſemita doctiſſimum *Zieglerum*; ſed quia nonnullæ ſuarum diſſertationum illius tractatum anteceſſerunt, ille etiam non omnia & ſingula epiſcoporum iura in ſpecie evolvit, ideo non dubitavit coepta perſequi, nec deſinere, donec ad umbilicum perduxiſſet. Vide interim de eo C. *Thomaſium* in Cautelis circa præcogn. iurisprud. eccleſ. 302. & L. B. *de Lyncker* in Felleri monumentis var. ined. 450.

In Prooemio p. 1. Propoſuimus *iuris canonici vim & valorem in foro Proteſtantium.*	*Satius eſſet, ut omnino tolleretur* apud Proteſtantes ius canonicum. G. G. *Titius* Probe des deutſchen geiſtl. Rechtes p. 52 & *Ludovici* Introduct. ad proceſſum conſiſtor. c. 7. p. 114.
2. *Ius pontificium* diſtinctum a *Iure canonico.*	Etiam *Gratianus fuit* mancipium Aulæ pontificiæ. *Titius* 45.

Ante

Cap. XIV. p. 412. Tituli & inſignia epiſcopi varia ſupponunt iura & privilegia. Sunt autem fere hæc: *liberatio a patria poteſtatis vinculo.* &c. Ante omnia *proedria* præ ſæcularibus Principibus proteſtantibus. *Boehmer* Iuris eccleſiaſt. p. 772.

LXXIV.

MANVALE parochorum, & aliorum curam animarum habentium, pro Provincia ſalisburgenſi. Ingolſtadii 1682. Ex bibliotheca Georgii *Calixti.* Complectitur omnium ſacramentorum rationem, naturam, & adminiſtrationem, cum inſtructione temporibus illis conveniente, ac pluraque alia chriſtianis hominibus neceſſaria, ex ſacris canonibus deprompta, & ad Concilii tridentini decreta diligenter accommodata. Auctor eius eſt P. Felicianus *Ninguarda*: huic enim hoc onus impoſitum fuit a reverendiſſimo atque illuſtriſſimo archiepiſcopo, Ioanne Iacobo. Et huius quidem operis altera pars, Enchiridium inſcripta, agit de cenſuris & irregularitate, ac ſeorſum edita eſt, ne liber in nimiam molem excreſceret, & moleſtus eſſet parochis; anteambulo autem eius erat Agendarium, ex pluribus Agendis ab eodem doctore collectum. In præſente Manuali cemmendatur Mart. *Eyſengreinii* Confeſſionale. p. 175. patrini monentur, ut, ſi parentes, vel conſanguinei, aut tutores hoc ipſum facere neglexerint, operam ac diligentiam adhibeant, quo baptizatus in catecheſi erudiatur, atque omni virtutum genere, vitæque chriſtianæ officiis informetur, p. 80. Forma hæc abſolutionis, *Dominus noſter Ieſus Chriſtus te abſolvat; & ego autoritate ipſius te abſolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, Filii & Spiritus ſancti, Amen:* dicitur fieri ad ſignificandum, peccatorum abſolutionem a Deo ſolo propria poteſtate præcipue fieri, & a confeſſario, tanquam Chriſti vicario ac miniſtro, proximam a Chriſto auctoritatem habente, ſecundario loco. p. 106. Si res cogat, nec ſacerdos confeſſarius in promtu eſſe queat, fideli laico permittitur moribundi confeſſionem audire, & deprecatoria hac uti forma: *Miſereatur tui omnipotens Deus.* p. 110. Moribundus iubetur inprimis ad merita ſervatoris ſui Ieſu Chriſti confugere, in hoc benigniſſimo ac miſericorde Deo omnem ſpem ac fiduciam ſuam collocare, in ipſius clementia magno & erecto animo eſſe. p. 330. Credere, quod non propriis meritis, ſed paſſionis

ſionis domini Ieſu Chriſti virtute ac merito ad gloriam perveniat; item quod Ieſus Chriſtus pro ſalute noſtra mortuus ſit, & quod ex propriis meritis, vel alio modo nullus ſalvari poſſit, niſi in merito paſſionis eius. p. 333. Et dicere: Domine Deus, ego pono mortem domini Ieſu Chriſti inter me & iudicium tuum; & quamvis æternam mortem meruerim propter peccata mea, interpono tamen meritum paſſionis eiusdem loco meriti, quod ego miſer habere deberem, & non habeo. p. 334.

Felicianus *Ninguarda*, doctor theologus ſalisburgenſis, fertur & ſcripſiſſe contra fidem & falſum martyrium *Annæ* burgenſis, Venetiis A. 1563. & floruit medio ſæculo XVI.

LXXV.

COLLECTARIVM Benedictino-monaſticum. Neuhuſii 1709. Concinnatum eſt iuxta Breviarium romano-monaſticum, PAVLI V. Pontif. max. auctoritate recognitum, auſpiciis reverendiſſimi ac celſiſſimi Principis *Florentii*, liberæ & imperialis eccleſiæ corbeienſis Abbatis, a duobus idoneis Religioſis, non ſolum in Vnionis burſfeldenſis, verum etiam in totius ſacri Benedictinorum Ordinis uſum & commoditatem. In eo ſoli Deo tribuitur honor & gloria. P. I. p. 1. Chriſtus agnoſcitur redemtor. p. 36. & P. II. 42. 184. Auxilium a Domino petitur. p. 87. 92. Remiſſio peccatorum a Deo rogatur. p. 3. 77. 79. 85. 91. P. II. 42. 43. Illuminatio & illuſtratio principaliter a Deo. p. 86. 87. 143. Impletio boni operis a Domino. p. 90. Non confidendum in noſtra actione. p. 75. ſed in ſola ſpe gratiæ cæleſtis innitendum. p. 72. Alenda fiducia impetrandæ remiſſionis. p. 90. Lætitia in Dei benedictione ponenda. p. 91. 143. Mereri, pro conſequi. p. 62. Ieiunium devote celebrandum. p. 81. 87. 91. 92. Protectio Sancti eſt ſub protectione Chriſti. p. 63. 73. ſitque interceſſione ſeu deprecatione. p. 202.

LXXVI.

CHRISTIANI Conſtitutio eccleſiaſtica pro eccleſiis brunsvico-luneburgicis Cellenſis & Grubenhagenſis partis. Cellis 1619. Germanice. XX. abſolvitur capitibus, in quibus agitur de norma ſive corpore doctrinæ, vocatione & ordinatione, atque officio paſtorum, ſynodo annua, conſiſtorio & viſitatione, concionibus &

praxi

Digitized by Google

praxi catechetica, ſacramentis, viſitatione ægrotorum, ſepultura, cenſura eccleſiaſtica, ſcholis, præceptoribus, & æditui, auditoribus, ſuſtentatione paſtorum & æditorum, bonis eccleſiaſticis, hoſpitalibus, ædibus ſacris, & ærario pauperum, rebus matrimonialibus, cærimoniis & ordine: quibus accedunt Agenda, & Conſtitutio cœnobialis.

Chriſtianus, cognomine Senior, *Wilhelmi* & *Dorotheæ* Principis danicæ filius, electus Epiſcopus mindenſis, Dux brunſvic. ac luneburgenſis, in regimine fratri ſuo natu maiori ſucceſſit, Grubenhagenſem principatum ſecundum Imperatoris ſententiam obtinuit, eiusque partes cum *Friderico* Duce Holſatiæ ſolus ex Circulo Saxoniæ inferioris contra Regem Daniæ ſecutus eſt, & inito cum Suecis poſt prælium lipſienſe pacto, cœlebs naturæ debitum ſolvit A. 1633. ætatis 67. eique ſucceſſit frater *Georgius*, a quo ſurculi Cellenſis & Hanoveranus inclytæ Familiæ brunſvico-luneburgenſis originem trahunt. *Lexicon univ. hiſtor.* T. I. 648.

EIVSDEM Policey-Ordnung, ſive Conſtitutio politiæ. Cellis 1618. Ad quam occaſio fuit data in variis conventibus Ordinum provincialium Cellenſis & Grubenhagenſis partis, in eaque ſermo fit de cultu divino, ædium ſacrarum, & præceptorum ſcholaſticorum conſervatione, blaſphemiis, periurio, & aliis vitiis, eorumque pœnis, de pauperibus ac mendicis extraneis, de accuſationibus a præfecturis non temere ad Aulam transferendis, de modo in proceſſibus tenendo, viis publicis, incendiis, fraudibus quæ menſura & pondere committuntur, annonæ flagellatione, mercatibus hebdomadalibus, & variis generibus, quibus ſubditorum facultates imminuuntur, denique qui ſilvæ ſint colendæ & conſervandæ.

LXXVII.

Civitatis brunſvicenſis Conſtitutio eccleſiaſtica, per Io. BVGENHAGIVM. 1531. Ab eodem formata idiomate Saxoniæ inferioris anno 1528. poſtque ea, iuſſu inclyti Senatus in germanicum converſa, atque ab eodem 1563. reverendo Miniſterio & civibus commendata. Nimirum hic habes 1) ipſam Civitatis conſtitutionem eccleſiaſticam. 2) Auguſtanam confeſſionem 3) Apologiam auguſtanæ confeſſionis, translatam in germanicum per Iuſtum *Ionam*. 4) Articulos ſmalcaldicos. 5) *Saxonicorum theo-*

logorum Explicationem doctrinæ, propoſitam in conventu luneburgenſi A. 1561. quæ tres potiſſimum articulos reſpicit, 1. de Corpore doctrinæ, cui conſtanter inhærere cogitant. 2. de condemnatione erronearum doctrinarum, punctorum & ſectarum. Quo referunt Oſiandriſtas, Maioriſtas, Sacramentarios, Adiaphoriſtas, & Synergiſtas, eorumque doctrinas, ut horribiles, periculoſas, & exitiales agnoſcunt, ita easdem improbant & condemnant. 3. de iurisdictione papali. Quam erga ſe & eccleſias ſuas neutiquam concedentes, vocationi eius ad Concilium morem gerere detrectant; comparituros autem affirmant, ſi concilium inſtitueretur chriſtianum & liberum in Natione germanica; quin profiteri nulli dubitant, eum eſſe antichriſtum. Hæc etiam recenſet magnæ vir induſtriæ, Phi. Iul. *Rehtmeier* Hiſt. eccleſ. brunſvic. P. III. 67. 253. & venerabilis abbas *Schmidius* de Ordinat. eccleſiaſt. brunſvicenſ. guelpherbyt. a reformatione ad præſens tempus, B 2. Adde *Seckendorfii* Hiſtoriam luther. verſam a Frickio, ad A. 1543. p. 2241.

LXXIIX.

PHILIPPI Ordinatio eccleſiaſtica. 1537. In qua præſcribitur de Superintendentibus, eorumque officio, & alimentatione in viſitationibus eccleſiarum, de vocatione & remotione paſtorum, de eorum ſuſtentatione, de agris & bonis eccleſiaſticis, de diſciplina eccleſiaſtica, annuis ſynodis, ſcholis, altariſtis, ærariis publicis, hoſpitalibus & domibus leproſorum.

Philippus, Landgravius Haſſiæ, natus A. 1504. regimen ab Imperatore adeptus, cum ageret annum ætatis quartum & decimum, cognominatusque Magnanimus, ruſticis rebellibus reſtitit, coenobia in ſcholas & hoſpitalia transformavit, colloquium Marpurgi inter theologos inſtituit, in numero eorum fuit, qui *Proteſtantes* appellati ſunt, Auguſtanæ confeſſioni ſubſcripſit, academiam marpurgenſem condidit, Electoris ſaxonici auxilio Ducem brunſvicenſem *Henricum* e terris ſuis expulit; ſed cum eodem ſocia arma contra Cæſarem ferens in eum redactus eſt ſtatum, ut deprecari, & quinquennium in carcere transigere cogeretur. Libertati autem reſtitutus quiete vixit, & vivente uxore, quæ decem ipſi liberos pepererat, certas ob cauſſas, conſentientibus paſtoribus, nobilem virginem Margaretham *de Sala*, quæ ſorori ſuæ ſerviverat, matri-

matrimonio ad lævam ſibi copulavit, ſex liberos ex ea tulit, vitæque & geſtorum finem fecit anno 1567. cum mundi inconſtantiam expertus eſſet per annos 62. & menſes 4. Vide iterum *Lexicon univerſ. hiſtor.* T. IV. 187.

EIVSDEM alia & amplior ordinatio eccleſiaſtica. Marpurgi 1566. Conſtat III. partibus, quarum prima agit de miniſtris eccleſiæ, ſecunda de eorum officio, & doctrina, tertia de ſacramentis. Pagina quidem 2. promittitur & quarta pars, eaque de omni eo, quod ad conſervationem miniſterii eccleſiaſtici, ſanam doctrinam & rectam ſacramentorum diſpoſitionem facit, tractare debebat; verum hic deeſt.

Ordinatio eccleſiaſtica OLDENBVRGENSIS. Ienæ 1573. Quid obſervandum in doctrina, ſacramentis, chriſtianis cærimoniis, rebus ad Miniſterium eccleſiaſticum pertinentibus, atque in ſcholis. In multis ſobrie ac moderate iudicat, e. g. de propoſitione hac, *Bona opera ſunt neceſſaria ad ſalutem:* dicens, eos quidem, qui illa uſi ſunt contra epicureos, non propterea erroris accuſandos eſſe, bene tamen fieri, ſi ab ea abſtineas, quia ſeminarium videatur eſſe ſcandalorum ſive offenſionum & litium.

Ordinatio eccleſiaſtica PALATINA. Heidelbergæ 1685. Obſervanda tam in principali, quam electorali Palatinatu. In ea tractatur de doctrina & concionibus, baptiſmo, (& huic loco inſeritur catechiſmus ipſe, tam maior, quam minor) officio diverſorum ſtatuum, S. cœna, precibus eccleſiaſticis, copulatione coniugum, viſitatione ægrotorum, & ſepultura.

Ordinatio Conſiſtorii IENENSIS. 1574. Iuſſu & auſpiciis trium S. R. Imperii Electorum, FRIDERICI palatini AVGVSTI ſaxonici, IO. GEORGII brandenburgici, qui tutores erant Pupillorum principalium ſaxonicorum, conſcripta. Qui in Præfatione occaſionem & ſcopum huius ſcripti exponunt, dicentes, propter ſuſpiciones, lites & condemnationes, quibus ſe mutuo ac præter meritum laceſſant onerentque theologi proteſtantes, ſe ſe viſitationem eccleſiarum inſtituiſſe, atque nunc velle, ut ea, quæ ibi notata ſunt, a Conſiſtorio obſerventur; ideoque novam hanc Ordinationem, cum priſtina non ſatis apta videatur, condendam curaſſe, cui aſſeſſores & ſubditi, quantum ipſos tangit, morem in omnibus gerere debeant.

Digitized by Google

LXXIX.

Agenda MINDENSIA. Lipſiæ, characteribus vetuſtis, quibus monachi uti ſolebant. 1522. Ex bibliotheca G. *Calixti*. Præſcribitur exorciſmus ſalis & aquæ, introductio ſponſæ & puerperæ, ordo baptizandi infantes & pueros, (qui fol. 14. *trina merſione* in modum crucis fieri iubetur) modus abſolvendi, ratio ſacræ unctionis, (in qua fol. 23. dicitur: Tunc ora Sanctos hos, ut orent, quatenus merearis digne ſuſcipere, *in abſolutionem omnium peccatorum tuorum*. Fol. 30. *Accipe ſanitatem: ſurge & ambula in pace. --- Fiatque ei olei ſacri perunctio morbi præſentis expulſio.* Fol. 34. *Credis, quod propter te mortuus eſt Chriſtus, & quod ſalvari non potes, niſi per meritum paſſionis domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſe pro nobis obtulit in cruce Deo patri? ----* Reſiſte tentationibus fortiter, *recurrendo in corde tuo ad crucem & vulnera Chriſti, in nullo alio fiduciam habens*) ordo ſepeliendi, benedictio cereorum, palmarum, ramorum, florum & frondium, ignis novi, fontis, herbarum, ſalis & aquæ, novorum fructuum, avenæ, vini, panis, turis & myrrhæ, domorum, areæ, granarii, camini, putei, novique & vini & panis.

Viti DIETERICI Agenda pro paſtoribus in pagis. Noribergæ 1545. Cui hic labor commendatus & impoſitus fuit ab illuſtri Senatu noribergenſi. In præfatione explicat dictum *Pauli* 1. Tim. 3, 1. *Si quis epiſcopatum deſiderat, præclarum opus deſiderat*, oſtendens, paſtorem animorum, etiamſi a mundanis hominibus vili pendatur, in præclaro tamen munere verſari, Deoque, proximo & ſibimet ipſi ſervire, atque in eorum gratiam, qui vel libris vel prudentia carent, ſe ſe hunc ait concinnaſſe librum, ut certam de doctrina & officio ſuo inſtructionem ex eo haurire, atque in uſum ſuum transferre poſſent. Hic ergo proponuntur cauſa, cur abrogata ſit miſſa pontificia, ordinatio miſſæ, ubi ſcholæ ſunt, vel non ſunt, ratio cultus divini cum in diebus dominicis ac feſtis, tum in aliis, quid agendum, ſi infans ab alio quam miniſtro eccleſiæ baptizatus eſt, modus porrigendi ſacramentum ægrotis, eosque erigendi, cura moribundorum, de excommunicatione, ſepultura, & confeſſione, quomodo agendum cum maleficis atque ad mortem damnatis, copulatio coniugum, de feriis extra dies dominicas, & potiora doctrinæ chriſtianæ capita, in quibus miniſtros eccleſiæ probe inſtructos eſſe oportet.

Agenda

Digitized by Google

Agenda HALENSIA in Suevia. Halæ ſuevicæ 1543. Verba hæc orationis baptiſmo præmitti ſolitæ, *Vnd er ſelb darzu gethan hat*, *Et qua ipſe addidit*, ſcilicet peccata, p. 9. parentheſi ſunt incluſa, eum in finem, ne baptizator iis utatur, niſi apud adultos. Pag. 14. inſeritur catechiſmus: p. 20. eſt concio ſive admonitio, abſolutioni publicæ præmittenda; ad quam nihil aliud requiritur, quam ut acceſſuri ad S. cœnam pœnitentiam agant, deſideriumque ſuum paſtoribus prius indicent, &, ſicubi opus eſt, informationem ab ipſis petant, atque acceptent.

HENRICI Ducis Saxoniæ Ordinatio eccleſiaſtica. Wittenbergæ 1539. Eſt brevis, at in ea tamen agitur de baptiſmo, etiam de eo, qui a laico in caſu neceſſitatis adminiſtratus eſt, de confeſſione peccatorum & abſolutione, viſitatione infirmorum, ratione cultus divini in civitatibus & pagis, litania, copulatione coniugum, & ſepultura. Quibus adiunguntur Collectæ. Ordinationem hanc, iuſſu ſereniſſimi Ducis ſtatim poſt reformationem conſcripſerunt Iuſtus *Ionas*, Georg. *Spalatinus*, Caſp. *Cruciger*, Frid. *Myconius*, Iuſtus *Menius*, & Io. *Weler*, iidemque auctores ſunt Præfationis, in qua ſermo eſt de præſtantia muneris paſtoralis: pontificii autem ſacerdotes, qui quidem ignavi & impii ſunt, reprehenduntur.

Henricus, cognomine Pius, Alberti Animoſi filius, Dux Saxoniæ, confecto itinere in terram ſanctam Vice-gubernator Friſiæ, ſed a rebellibus Friſiis captus, magnaque & valida catena, niſi pater ipſius illico advolaſſet, ac rebelles forti manu fudiſſet, ſuſpendendus, (pro quo beneficio ut gratum ſe exhiberet, Compoſtellam abiit, ſanctoque Iacobo dona obtulit: erat enim adhuc ſuperſtitione obvolutus) A. 1525. renuntiavit romano-catholicæ religioni, & fratri Georgio A. 1539. 17. Aprilis ab inteſtato mortuo ſuccedens, eodem, uti ſupra indicavimus, anno reformationem religionis in terris ſuis inſtituit, atque his peractis e ſcena mundi diſceſſit anno 1541. ætatis 68. *Seckendorf* Hiſtor. lutheran. l. 2. p. 740. *Lexicon univ. hiſtor*. T. III. 64. I. W. *Imhof* Notit. S. rom. germ. Imperii Procerum lib. IV. c. 2. §. 8. p. 136.

OTTONIS HENRICI, Electoris palatini, Ordinatio eccleſiaſtica. Neuburgi ad Danubium 1556. In qua præſcribitur modus baptizandi, (p. 6. omiſſus in eo eſt exorciſmus. p. 7. marginale

ginale hoc additur: Nota, ſi homo rationis compos baptizatur, hæc verba, *Et qua ipſe addidit*, addenda ſunt) catechizandi, confeſſionis, S. cœnæ, communium precum & litaniæ, feſtorum, copulationis, viſitationis ægrotorum, & ſepulturæ. Subiungitur Chriſtiana informatio miniſtrorum eccleſiæ, Inſtructio de rebus matrimonialibus, & Ordinatio ſcholarum. Hæc ordinatio doctrinam, ſacramenta, & cærimonias ſpectans, priori plenior, iuſſu ſereniſſimi Electoris a theologis & conſiliariis quibusdam, ex variis aliorum Principum, præcipue Ducis wurtenbergici *Chriſtophori* Conſtitutionibus eccleſiaſticis collecta & condita fuit. Eorum, quæ in Catechiſmi heidelbergenſis Quæſtione LXXX. exſtant, ſemina hic ſparguntur p. 92. 93.

Otto Henricus, cognomine Magnanimus, filius Ruperti probi, poſt reditum ex Terra ſancta, A. 1542. religioni ſe addixit euangelicæ, & fœderi ſmalcaldico ſubſcripſit, ſed tanto cum damno, ut mox iacturam faceret provinciæ ſuæ, nec niſi auxilio MAVRITII Electoris ſaxonici A. 1552. reſtitueretur. *Melanchthonis* conſilio academiam heidelbergenſem in meliorem redegit ſtatum, bibliothecæ, poſtea celeberrimæ, fundamenta iecit, & ſine prole (cuius in ſocerum ſuum, Albertum IV. bavaricum, qui ſuo etiam calculo innocentis Huſi ſupplicium promoviſſet, contulit) defunctus eſt A. 1559. *Seckendorf* p. 1841. 2105. & *Lexicon univerſ. hiſtor.* T. IV. 90.

Articuli der Vergleichung, ARTICVLI CONVENTIONIS ſive pacti inter tres Status regni Bohemiæ, pro inferiori Conſiſtorio pragenſi, conſtitutione eccleſiaſtica, & exercitio religionis: item inſtructio, ad cuius normam deputati defenſores in erigenda & conſervanda academia, apud conſiſtorium & alibi ſe ſe gerere debent. A. 1610. Tres illi Status, *Sub utraque* dicti, erant Viri illuſtres, Nobiles & Cives, qui ab auguſtiſſimo Imperatore RVDOLPHO II. libertatem religionis, & conſtituendi peculiare conſiſtorium, ad ipſorum ſupplices preces, & Potentium quorundam commendationes, impetraverant.

Ordinatio eccleſiaſtica ROTHENBVRGENSIS. Francofurti ad Mœnum 1611. Multa huc derivata ſunt ex Conſtitutione eccleſiaſtica palatina Electoris OTTONIS HENRICI, de qua ſupra diximus. Pag. 42. præſcribitur, ne plures uno patrini ad bapti-

baptiſmum unius hominis vocentur, item ne plura quam duo nomina baptizando imponantur: p. 46. in margine dicitur, verba hæc exorciſmi, *Exi impure ſpiritus, & locum da Spiritui ſancto*, etiam omitti poſſe; quippe qui mox ſequatur poſt orationem. Item, præteriri poſſe ſignum crucis, cum magis in conſuetudine, quam in SS. literis fundatum ſit: p. 48. verba, *Et qua ipſe addidit*, orationi ſine parentheſi inſerta ſunt.

LXXX.

ANTONII VLRICI, Ducis brunſvic. ac luneburg. Renovata ordinatio eccleſiaſtica. Brunſvigæ 1709. Parte I. pag. 10. iubetur, ut Corpori doctrinæ Iulio ſive libris normalibus ſubſcribatur non *quatenus*, ſed *quia* conſentiunt Scripturæ ſacræ. Quo ipſo ſacræ ſcripturæ auctoritatem neutiquam imminutum eunt, illive libros normales æquare ſtudent: eſt enim ac manet in æternum infinita divinos inter atque humanos libros differentia, ita ut ne quidem antiquiſſimorum Conciliorum decreta, aut SS. Patrum ſcripta pari cum illa paſſu incedere queant. De illis ait theologicus ICtus Caſp. *Zieglerus* in Annotat. ad Prolegomena librorum H. *Grotii* de I.B. ac P. §.51. *Neque recipiendi aliter ſunt canones cuiusquam concilii, niſi* quatenus *ſacra ſcriptura non fuerint adverſi*. De hiſce Patrum latinorum acutiſſimus iuxta & religioſiſſimus *Auguſtinus*, in epiſtola XIX. ad doctiſſimum Hieronymum: *Ego fateor charitati tua, ſolis eis ſcripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorum ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſime credam, ac, ſi aliquid in eis offendero literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud, quam vel mendoſum eſſe codicem, vel interpretem non aſſecutum eſſe, quod dictum eſt, vel me minime intellexiſſe non ambigam: alios autem ita lego, ut, quantalibet ſanctitate doctrinaque prapolleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi per illos auctores canonicos, vel probabili* (id eſt,* proba ac firma) *ratione, quod a vero non abhorreat, perſuadere potuerunt. Nec te, mi frater, ſentire aliud exiſtimo: prorſus, inquam, non te arbitror ſic legi tuos libros velle*, tanquam prophetarum vel apoſtolorum; *de quorum ſcriptis, quod omni errore careant, dubitare, ne-*

* F. V. *Calixtus* in Append. Reſponſion. ad Theſes antiſyncretiſt. Y. & *Grabe* in Annotat. ad Regii Form. caute loq. p. 107.

ſarium eſt. … *Porro ſi quæras vel recolas, quid hinc ſenſerit noſter* Ambroſius, *quid noſter itidem* Cyprianus; *invenies fortaſſe, nec nobis defuiſſe, quos in eo quod aſſerimus ſequeremur: quanquam, ſicut paulo ante dixi,* tantummodo ſcripturis canonicis *hanc ingenuam debeam ſervitutem, qua eas* ſolas ita ſequar, *ut conſcriptores earum nihil in eis omnino erraſſe, nihil fallaciter poſuiſſe; non dubitem.* Et ipſum *Corpus doctrinæ Iulium* in Præfatione §. *Vnd ſetzen.* ita profitetur: *Ponimusque fundamenti loco, & tanquam ſolidum lapidem angularem ſacram propheticam & apoſtolicam ſcripturam veteris & novi teſtamenti, qua* ſola *eſt unica vera forma & norma, typus, regula & amuſſis ſanæ doctrinæ, e qua, veluti ex puro & limpido Iſraëlis fonte, ſincera & ſana doctrina haurienda, &* ad quam omnes doctores & doctrinæ iudicandi ſunt: *atque ideirco vocatur ſcriptura canonica.* Neque etiam voluerunt contradicere, aut improbare, reiicere & condemnare ea, quæ pii maiores noſtri, (1) *Calixti,* (2) *Horneius*, & tota (3) *Academia Iulia*, aliique (4) *doctores orthodoxi* hac de re ſincere & cordate docuerunt. Pag. 34. ſermo eſt de confirmatione, a Superintendentibus generalibus & ſpecialibus olim fieri ſolita. Huic conformia ſunt, quæ leguntur apud *Eraſmum* præfat. in Paraphaſin ** 3. *Benthemium* de Statu eccleſ. & ſcholar. anglic. 159. & I. H. *Bœhmerum* ad Plinium Secund. & Tertull. diſſert. X. p. 484. Cum eo, quod p. 77. de non copulanda denuo vidua ante abſolutum annum viduitatis integrum, ſi conferetur obſervatio *Gundlingii* Gundlingianorum Tomo II. 229. deprehendes, annum viduitatis, ſecundum Iuris civilis ſupputationem, non XII. ſed X. tantum menſium eſſe. Decretum, cuius p. 78. mentio fit, inferius in faſciculo ſive appendice Decretorum non reperitur. Parte II. p. 39. in medio, pro *Vnd dabey*, legendum: *Vnd David.* Pag. 148. Collecta,

(1) Georg. *Calixtus* in Refutat. Welleri Dd. F. V. *Calixtus* Demonſtrat. liquidiſſ. p. 326. Reſponſ. ad Theſes antiſyncretiſt. 20. & in Addendis Y. (2) In Pietate academiæ Iuliæ p. 30. (3) In Pietate ſua p. 28. (4) *Formula concord.* in Epit. articulor. p. 570. Apologia Form. concord. c. 8. p. 163. Auctores der *Hauptvertheidigung* des evangel. augapfels c. 8. p. 27. *Mylius* Prolegom. in Aug. confeſſ. p. 7. *Hutterus* Irenici p. 126. & Prolegom. in librum Concordiæ, c. 3. p. 15. Io. Val. *Andreæ* Menippi p. 31. *Glaſſius* in Struvii Actis literar. Faſcic. V. p. 39. *Grabe* Append. apolog. ad Regii Form. c. l. 112. Io. *Muſæus* de Syncretiſmo & Script. S. p. 342. & *Spenerus* Præfat. in Kœpkenii Theologiam myſtic. d 3. Aufricht. übereinſtim. … Conſiliis & iudic. theol. latinis P. I. 221. P. III. 704.

lecta, *Allmächtiger ewiger Gott*, præponenda eſt antecedenti de paſſione Chriſti.

Antonius Vlricus, Auguſti filius, Rudolphi Auguſti frater germanus, Dux brunſvicenſis ac luneburgenſis, natus A. 1633. d. 4. Octobris, Princeps auguſtæ formæ, ſapiens, prudens, litteratus ac litteratos æſtimans, magnanimus, pacis & concordiæ amans, turbarum vero & contentionum oſor, magnificus, gravitatem humanitate & clementia temperans, ſubditorum amor ac deliciæ, ſanctiſſimisque moribus præditus: quid multis? in tantum laudandus, quantum Muſarum & virtutum chori æſtimari poſſunt. Verum hoc ego aliis relinquo, qui me ſunt diſertiores, & tantum hoc dico, nos optime meriti Principis diſceſſum inſolabiliter defleturos fuiſſe, niſi optimum reliquiſſet ſucceſſorem, ſuarum & avitarum virtutum heredem feliciſſimum. Obiit autem ſupremum diem A. 1714. 27. Martii, cum annos vixiſſet 81. XIII. liberorum Principum factus pater. In illuſtriſſimo Ordine palmato frugiferæ ſocietatis, cognomen habuit *Victoriosi*, eoque ſe dignum exhibuit præſtantiſſimis, atque ad ultimam ætatem victuris libris, qui ſunt, Chriſtiani principis pſalterium, & fabulæ Aramenæ atque Octaviæ, dolendumque, ultimam huic manum ipſum non potuiſſe imponere. Interim iuſtis eos laudibus efferunt religioſi *Actorum eruditorum* ſcriptores ad A. 1706. p. 334. Ecquid illi, aliique inſignes, atque ab adulatione remoti auctores de hoc Principum Apolline? quæ nam de eo iudicia ferunt? *Predicti* in eadem pagina, vocant ingenioſiſſimum & optimum Principem: *Heckelius* Annotat. ad Cluverii Geograph. p. 224. Ducem & heroa, ipſius Apollinis atque Muſarum Charitumque manſuetiorum genio eminenter præditum atque exornatum: Chriſtian. Gottl. *Schvvarzius* in Genethliaco ad Antonium Vlricum, perilluſtri viro, Chriſtoph. Furero ab Haimendorf, hereditario Wolckersdorfii, A. 1713. natum, & a Sereniſſimo noſtro, qui tunc Noribergæ erat, ex ſacro fonte levatum: *Scilicet* Antoni Vlrici *venerabile nomen Mente tua flammas nutriet uſque novas. O quantus Princeps! Guelphorum gloria gentis, Imperii Neſtor, Teutoniaque decus:* Herman. *Conringius* de Antiquiſſ. ſtatu Helmſtadii p. 10. Auguſti Ducis ut filium, ita & virtutum æmulum, inſignium rerum cogendarum ſtudio præditum, & φιλοκαλον (elegantiæ atque honeſti ſtudioſum:)

Deckherrus de Scriptis adeſpotis p. 248. Ducem ter inclutum: Iuſtus Henning. *Bœhmer* Epiſt. dedicator. Schiltero illuſtrato præmiſſa, Principem ad immortalem gloriam natum: Chriſtianus *Thomaſius* Annotat. ad Monzambanum p. 195. Principem clementiſſimum: & Iac. Guil. *Imhof* in Notitia Procerum S. R. Imperii lib. IV. cap. 4. §. 24. Principem non huius tantum ſeculi, ſed omnis ævi optimum, vita innocentiſſimum, ingenio florentiſſimum, propoſito ſanctiſſimum, arte regnandi maximum, comitate atque oris ſuavitate præſtantiſſimum, tantis denique adornatum virtutibus, quantas perfecta & natura & induſtria, & mortalis conditio recipit. Ne quid dicam de variis Orationibus Iuſti Chriſtoph. *Bœhmeri*, & Io. Wilh. *Peterſenii*, excellentiſſimique * *Fureri* carminibus, quibus divinum Principem laudare ſtuduerunt; neque tamen eius laudes exhauſiſſe ſibi videntur, etiamſi ille bonus ſit orator, hi poëtæ feliciſſimi.

LXXXI.

Michaëlis (SIDONII, ſive potius HELDINGI) Explicatio canonis Miſſæ, cum declaratione cærimoniarum, & ad populum exhortatione, inter ipſum ſacrum habenda. Auguſtæ Vindelicorum, (anno ut in Epitome Bibliothecæ geſnerianæ p. 609. indicatur) 1548. Ex bibliotheca G. *Calixti*. Et hæc verſa ſunt in latinum a Laurentio *Surio*. In Exhortatione ad populum L iiij occurrit phraſis, Deo Patri Filii paſſionem pro nobis toleratam, & fuſum pro nobis ſanguinem *ingerere*: quæ idem ſignificat, ac in memoriam illa Patri revocare, ſeu, ut in germanico legimus, Seines unſchuldigen Sohnes *erinnern*.

In Explicat. canonis Miſſæ, E iij. Cum Ioanne) Qui *ſupra Apoſtoli & Euangeliſtæ dignitatem*, etiam virginitatis privilegio præfulgens, *iam denuo* merito caſtitatis protomartyri connumeratur.

Verior mihi videtur *Walafridi* ſententia c. 22. qui Ioannem, qui hoc loco nominatur, non euangeliſtam, ſed *baptiſtam* eſſe dicit; qui martyr etiam Domini fuit, & aliquo modo apoſtolus. *Bellarminus* lib. II. de Miſſa c. 26. Michaël

* Qui in leſſo numiſma condidit, effigiem defuncti Ducis exhibens, in altera parte eundem amœno in colle ſedentem, & glorificatum, cum inſcriptione: *Muſarum, terræ, & cæli Princeps*. Exterius autem ponendum curavit: *Flebilis occidit, nulli flebilior, quam mihi.* Horatius.

Michaël *Helding*, Eslinga-ſuevus, vinitoris filius, per multos gradus ad honores aſcendit: fuit enim ſucceſſive ludi magiſter & eccleſiaſtes moguntinus, doctor theologiæ, ſuffraganeus moguntinus, epiſcopus ſidonius titularis, eccleſiæ auguſtanæ cathedralis a ſacratiſſimo Imperatore CAROLO V. conſtitutus concionator, epiſcopus merſeburgenſis, ac tandem Iudicii cameralis S. Rom. Imperii aſſeſſor, idemque unus fuit ex collocutoribus in Colloquio wormatienſi A. 1550. habito, atque ita præfuit epiſcopatui merſeburgenſi, ut Proteſtantes nullo modo premeret atque affligeret, ſed ut illi moderationem, æquitatem & clementiam eius ſingularibus laudibus extollere neceſſe haberent. Atque hic etiam ille eſt, qui Formulam doctrinæ, cærimoniarum, atque emendationis eccleſiaſticæ, *Interim* dictam, cum Iulio *Pflugio* epiſcopo naumburgenſi, & Io. *Agricola*, Electoris brandenburgici concionatore aulico, quum A. 1548. Principes Imperii, confecto bello germanico, religionis cauſſam Cæſari victori commiſiſſent, iuſſu & auſpiciis CAROLI V. procudit. Scripſit quoque Catechiſmum, Poſtillam dominicalium euangeliorum, & Commentarium germanicum in Proverbia Salomonis, poſtque tot & tam varios caſus & labores mortuus eſt anno 1561. ætatis 55. oſſaque eius ſepulta iacent Viennæ Auſtriæ, in æde S. Stephani. *Lexicon univerſ. hiſtor.* T. III. 41. Melch. *Adamus* in Vitis theol. p. 380. 410. *Chytraus* Saxon. p. 591. *Hahn* Append. ad Brotuffii Chronicon merſeburg. & *Seckendorf.* Lutheran. Elogia eius exſpectas? Sufficit unum hoc integerrimi, magnoque præditi iudicio, G. *Caſſandri* in Conſultat. art. XXIIII. (Operum p. 992.) qui eum vocat inſignis virum eruditionis.

EIVSDEM XV. Predige von der heil. Meſſe, XV. Conciones de S. miſſa. Cui acceſſit una de S. euchariſtia, in 1. Cor. X. 16. 17. Ingolſtadii 1548. Conciones hæ habitæ ſunt Auguſtæ Vindelicorum eodem anno, quum auctor adhuc eſſet epiſcopus ſidonius, & ſuffraganeus moguntinus, atque ab Imperatore iuſſus docere in eccleſia cathedrali auguſtana, a Laurentio autem *Surio*, ſicut G. *Calixtus* ſuo adſcripſit exemplari, latine verſæ, editæque Coloniæ A. 1552. Atque hæ conciones non tantum laudantur a G. *Caſſandro* in loco antea allegato, & Mich. *Buchingero* de Sacrificio miſſæ p. 207. ſed etiam e noſtratibus a Dav. *Chytraeo*, qui lib. XVII.

 Saxoniæ

Saxoniæ p. 497. magna eum cum doctrinæ, eloquentiæ & moderationis laude de miſſa conciones habuiſſe ſcribit: ſicut hoc ex illo bene obſervavit diligentiſſimus ſcriptorum ſcrutator *Crenius* Exercit. V. de Libris ſcriptor. optimis p. 48. Nec poenituit P. *Dionyſium* werlenſem, quædam exinde excerpere, ſuoque Miſſæ doctori (quem vocat den Meſsberichter) p. 33. inſerere, e. g. *Incruentum ſacrificium in Eccleſia peragimus, non ea mente, quod ſacrificio illo quotidiano remiſsionem peccatorum & redemtionem noſtram de novo acquirere debeamus, ſed ut eo memoriam cruenti, atque in cruce peracti ſacrificii, quo nobis remiſsio peccatorum & ſalus procurata eſt, recolamus.* Si vero ſpeciatim noſſe velis contenta harum concionum, cum non ſint vulgares, ſed habitæ in celeberrimis S. Rom. Imperii comitiis, coram auguſtiſſimo Imperatore & Rege Romanorum, illuſtriſſimisque Electoribus, Principibus & Statibus, dicam, agi in illis 1. de neceſſitate ſalutis per Chriſtum partæ. 2. de celebratione miſſæ, Apoſtolis uſitatæ. 3. In eccleſia chriſtiana dari peculiare ſacerdotium, & externum ſacrificium. 4. Chriſtum in cœna corpus & ſanguinem ſuum obtuliſſe ſive ſacrificaſſe Patri. 5. Chriſtum in miſſa non offerri cruente, nec per eam imminui meritum paſſionis eius. 6. de ſignificatione cærimoniarum miſſæ. 7. de introitu. 8. de diverſitate officii mediatorii in Chriſto & actionis ſacerdotis, atque interceſſionis cuiusvis chriſtiani pro altero. 9. de epiſtola, & quæ ſequuntur in miſſa uſque ad *Sanctus*. 10. de canone, & deprecationibus. 11. de conſecratione & ſacrificio corporis & ſanguinis Chriſti. 12. de oratione pro defunctis. 13. de oratione ſacerdotis pro ſe & cooperantibus, atque adſtantibus. 14. de cauſſis contemtus miſſæ, eiusque uſu. 15. de officio chriſtiani in celebratione miſſæ. Refutatæ tamen ſunt a Bernhardo *Ziegler*o, & Matthia *Flacio*.

Franciſci SONNII Demonſtrationum religionis chriſtianæ ex verbo Dei libri II. Lovanii 1555. In priori diſſerit auctor de verbo Dei & traditionibus, de iure præſcriptionis adverſus contentioſos utendo, de impotentia argumenti negativi ab auctoritate Scripturarum: in poſteriori de diverſis menſuris fidei, de IV. ſymbolis fidei chriſtianæ, de ſignificatione verbi *Credo*, de differentia inter *Credo Deo*, *Credo Deum*, & *Credo in Deum*, deque unitate & potentia Dei. In Præfatione pie docet auctor, quo propius doctrinam

ctrinam ſalutis ex ſuo fonte imbiberis, qui eſt verbum Dei nativum, purum, integrum, eo magis afficere eam, magisque rapere in amorem Numinis; ſed nec diffitetur, ab annis plus minus ducentis pleroſque rerum ſacrarum tractatores propoſuiſſe dominico gregi partim libris, partim vivis concionibus, aquam procul nimis a fonte ſuo hauſtam, nimiumque reſperſam alieno ſucco, aut naturalis philoſophiæ, aut humanæ inventionis, aut inanium ac ſine pondere & nervis narrationum.

Fran. *Sonnius*, brabantus, primum parochus ad S. Iacobi in urbe Lovanienſium, deinde doctor theologiæ & canonicus ultraiectinus, ſicut a Ruardo *Tappero* ſuggeſtum CAROLO V. Cæſari conſilium perfecit, & epiſcopos plures per Belgicam provinciam conſtituendi auctor exſtitit, ita ipſe primus Antverpienſium epiſcopali dignitate coruſcavit, eo quidem dignior, quo maiori doctrina, & præſtantiore ſacrarum rerum ſcientia, & inuſitata erat præditus eloquentia: celebris enim nominis orator fuit, quique ſuavi quadam & ornata, eademque gravi orationis copia, & ad movendum in primis apta, non modo vulgus & rudem plebeculam teneret, atque expugnaret, ſed doctiſſimorum quoque aures mirifice impleret, raperetque. Tandem vero naturæ conceſſit anno 1576. Aub. *Miræus* Elog. belg. p. 5. qui & Demonſtrationes eius religionis chriſtianæ vocat aureas, quibus nihil eo genere doctius aut perfectius ætas ſua viderit.

Fabiani FIOGHI Dialogo della fede frà il catecumeno & il Padre catechizante, Dialogus de fide inter catechumenum & Patrem catechiſantem. Romæ 1601. Editio altera. Iſto in Dialogo, ſi rubro credimus, reſolvuntur multa dubia Ebræorum rationibus efficaciſſimis per ſanctos Prophetas & doctos Rabbinos. Verum *Wagenſeilius* tamen in Telis Ign. Satanæ & quidem Refut. Carminis R. Lipmanni p. 413. obſervat, Fioghium eſſe ex numero eorum, qui tam ſint audaces, ut humani ingenii curta brevique decempeda, divina ac ſublimia myſteria metiri ſuſtineant, atque id Iudæis perſuadere ſatagant, rerum creatarum ordini conveniens omnino fuiſſe, ut aliquando virgo partum ederet, & prolis ſine marito fieret parens: atque has nugas reperiri apud noſtrum c. 42. p. 231.

Fabianus

Fabianus *de Fiogbis*, italice *Fiogbi*, a Monte S. Savino, fuit converſus iudæus, laicus aretinenſis diœceſeos, & lector ſive profeſſor linguæ ebrææ in Collegio neophytorum romano, claruitque initio ſæculi XVII. laudatus a D. Mich. *Ghislerio* in libri huius principio.

LXXXII.

WESSELI Tractatus de oratione, & modo orandi, cum dominicæ orationis explanatione. E bibliotheca G. *Calixti.* Videtur impreſſus eſſe Baſileæ: locus enim impreſſionis non eſt adſcriptus. Opera vero eius prodierunt Groningæ A. 1614. 4. & Marpurgi A. 1617. ſtudio Theodori *Strackii.*

Ioannes, cognomine *Hermanni* a patre, *Weſſelus* ſive *Baſilius* ab avo, & *Gansfortius* ſive *Gœſfortius* a gente ſeu familia ſua, quæ Gansforto vico Weſtphaliæ oriunda erat, natus Groningæ, & diſtinguendus a *Ioanne de* Veſalia, in pueritia parentibus orbatus, & extrema paupertate preſſus, admirabilem Dei providentiam ſenſit, dum mulier quædam eius miſerta, una cum filiolo ſuo educandum aſſumſit, atque in ſcholam poſtea ſwollenſem utrumque miſit, ubi noſter vitia corporis (erat enim ſtrabo, & uno pede claudicans) ingenii præſtantia & diſcendi alacritate oſtendit ſe ſe compenſare & quaſi corrigere poſſe: tantum namque brevi tempore in litteris profecit, ut pueros & adoleſcentes ipſe informare ſuſtineret. Deinde, cum hic adverſarios nactus eſſet, ita ut cogeretur Apologiam edere, Coloniam Vbiorum ſe recepit, atque in Collegio, quod *Burſa Laurentii* vocatur, ſtudia ſua perſecutus eſt, ita ut cognitis theologiæ ſcholaſticæ nugis, & ineptiis ariſtotelicis, totum ſe traderet philoſophiæ platonicæ, & aſſiduæ bonorum librorum, atque in primis eorum, qui auctorem habebant *Rupertum* abbatem tuitienſem, immo & ſacrorum bibliorum, Patrumque eccleſiæ lectioni, ac diſcendis linguis græcæ & ebraicæ. Quibus ſubſidiis inſtructus agere cum laude potuiſſet profeſſorem theologiæ. Neque ad hoc deerat occaſio: nam PHILIPPVS, Elector palatinus, Heidelbergam eum vocavit ad docendam theologiam. Sed theologi illius loci reſiſtebant eo, quod Weſſelus careret gradu Doctoris, atque ad præſtanda ſe ſe offerenti, magiſtraliter ſcilicet, reſpondebant, honores doctorales non eſſe pro laico. Sic ergo ille a theologis dominantibus excluſus, non niſi lectiones philo-

ſophicas

ſophicas habere potuit. Relicta autem Heidelberga abiit Lovanium, ac Lutetiam Pariſiorum, atque auditis utroque in loco præſtantioribus doctoribus, cum Generali Fratrum Minorum, *Franciſco a Ruvere*, qui poſtea Papa factus, SIXTI IV. nomen aſſumſit, ad Concilium miſſus eſt baſileenſe, in eoque eruditionis ac prudentiæ ſuæ merces ita explicuit, ut Patribus conſcriptis admirationi eſſet. SIXTVS IV. epiſcopatum, aliudve egregium ei deſtinaverat beneficium, ideoque præſenti aliquando dixit: *Fili, iam a nobis pete, quod vis; nihil tibi negabimus, quod & noſtram aſtimationem, & tuam conditionem decebit. Tum ille hortatus eſt Papam, ita admiſtraret magnam ſuam functionem, quo, cum venerit magnus ovium Paſtor, dicere poſſet: Euge, ſerve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Reponente autem Pontifice: *Hæc nobis cura erunt, tu pro te aliquid pete:* nihil aliud rogavit, quam ut ſibi ex bibliotheca vaticana darentur Biblia ebraica & græca. Quæ & facile impetravit. Sic ille binos iſtos codices lautiſſimis & ampliſſimis beneficiis ac dignitatibus, raro, immo rariſſimo exemplo, longe antepoſuit. Erat & oſor ſuperſtitionum atque corruptelarum, & quaſi præambulo ac propheta reformationis eccleſiæ atque academiarum, vindex autem & propagator purioris doctrinæ, & ſine qua illa ſordet, ſanctæ ſtudioſus vitæ. Summa igitur eruditione, zelo ſpiritus, nobiliſſimisque virtutibus quum coruſcaret, mirum non eſt, *Lucem mundi* appellatum eſſe. Sed lux hæc, ſi præſentem reſpicias vitam, non fuit, nec eſſe potuit perpetua, quippe quæ exſtincta eſt in patria anno 1489. ætatis præter propter 70. Scripta eius, adhuc exſtantia, ſunt fere illa, quæ hunc iam ſequentur Tractatum, atque a nobis recenſebuntur: cetera enim diſparuere, aut a Monachis mendicantibus combuſta ſunt. In libro eccleſiaſtico monaſterii ſpiritualium virginum civitatis Groningenſis, ubi exuviæ eius depoſitæ ſunt, hæc leguntur: *Anno Domini* 1489. *obiit venerabilis magiſter* Weſſelus Hermanni, *egregius doctor ſacræ theologiæ, & in latina, & græca & hebræa lingua multum eruditus, & in tota philoſophia quaſi univerſalis.* Idem a *Luthero* Præfat. in eius Epiſtolas vocatur vir admirabilis ingenii, rari & magni ſpiritus, quem & ipſum appareat eſſe vere theodidactum, quales prophetaverit fore Chriſtianos Eſaias, & ab Vbb. *Emmio* lib. 30. Rer. friſ. primus Germanorum, qui ex litteris excellens

nomen uſque ad admirationem & invidiam ceterarum gentium adeptus ſit. *Olearius* Biblioth. ſcriptor. eccleſiaſt. T. II. 241. *Bentheim* de Statu eccleſ. & ſcholar. holland. P. II. 175. *Lexic. univ. hiſtor.* T. IV. 675. *Placc.* de pſeudon. 616. Io. *Moller* de homon. 881. *Narrat. innoc.* A. 1707. 213. Mart. *Beer* Fortpflanzung der euangeliſchen wahrheit 68. *Magirus* 793.

Io. WESSELI, & aliorum ad ipſum Epiſtolæ. Cum Præfatione Mart. *Lutheri*, qui de eo ac ſe ipſo teſtatur, utriusque ſpiritum adeo conſpirare in unum, ut, ſi antea ſibi fuiſſet lectus, hoſtibus ſuis videri potuiſſet, ſe ſe omnia ex illo hauſiſſe. In illis autem Epiſtolis multa diſputat contra vulgarem de indulgentiis & purgatorio ſententiam, docens, Indulgentias eſſe pias fraudes, quibus populus in officio contineatur: Clavem perfectæ caritatis eſſe miniſterium, non imperium: Solum chriſtum dare indulgentias a pœna & culpa: Miniſtrum Chriſti ſolvere & ligare ſoluta & ligata in cælis: Purgationem animarum optimam, eſſe pietatem ad omnia valentem; Revelationes, ſpirituumque apparitiones, niſi grano ſalis temperentur, periculoſas & illuſorias eſſe: Salubre eſſe pro mortuis orare, ſi tamen in gratia deceſſerint: Miſſam nihil aliud eſſe, niſi commemorationem paſſionis Chriſti, & commemorantis compaſſionem, &, ſive celebretur, ſive non, animas in purgatorio, quanto compatiendo profecerint, tanto citius eniti ad regnum illud cœleſte, ac beatum: denique de Magiſtro Ioanne *de Veſalia* ait, ſæpe ſe veritum, ne periculum incurreret temeraria ſua locutione, quæ, licet ſcholaſticæ ſubtilitatis, & fortaſſis etiam catholicæ quid veritatis haberet, ad vulgus tamen indoctum & plebem incapacem, non ſine ſcandalo proferri potuerit. Neque prætereundum nobis eſt, quod *Lutheri* Præfationi ſubiungitur, vaticinium *Weſſeli*, quo M. Ioanni *Oſtendorpio*, canonico templi S. Lebuini dauentrienſis, ipſum ad illum victurum diem, quo doctrina recentiorum & contentioſorum iſtorum theologorum, *Thomæ* & *Bonaventuræ*, & aliorum eiusdem farinæ, ab omnibus vere Chriſtianis explodenda ſit.

EIVSDEM Farrago. In qua tractatur 1) de Dei providentia. 2) de cauſſis, myſteriis & effectibus dominicæ incarnationis. 3) de dignitate & poteſtate eccleſiaſtica. 4) de ſacramento pœni-

pœnitentiæ, ac poteſtate ligandi & ſolvendi. 5) de vera communione ſanctorum, theſauro eccleſiæ, fraternitatibus, meritis alienis, fundationibus miſſarum, aureolis, & poteſtate Papæ in remiſſione culpæ & pœnæ. 6) de purgatorio. In omnibus fere hiſce capitibus purior & exactior eius eſt doctrina, quam quæ publice in ſcholis & eccleſiis ſonabat.

IDEM de Sacramento euchariſtiæ & audienda miſſa. In hoc tractatu docet, dum Miſſa celebratur, neque legendum tibi neque orandum quid aliud, ſed commemorationem faciendam mortis Domini: etiam calicem Domini iuberi nos accipere commemoratione, magnumque ex commemoratione fructum oriri: corpus & ſanguinem Chriſti, ſi corporaliter tantum ſumantur, occidere; ſpiritualiter autem accepta, vivificare; fide etiam accepta ſpiritualem vitam operari: omnem ſapientiam noſtram, iuſtificationem, redemtionem, in paſſione Domini, neque hæc, niſi digne percipiendo, nos conſequi, non autem digne percipi, niſi commemorando, conſervando, conferendo, diiudicando, ruminando, atque amando: nullis noſtris iuſtitiis nos dignos effici tanto ſacramento, & tamen iuberi manducare: vere probare ſe ipſum, & corpus dominicum diiudicare, qui imbecillitatem & inſipientiam ſuam agnoſcens, remedii impetrandi cauſſa accedit, & hunc fructus reddi participem. Hiſce ſubiunguntur 1) Collectanea quædam ex SS. litteris de magnitudine paſſionis domini Ieſu Chriſti. 2) Tractatio de incarnatione Verbi. Præmittitur autem Epiſtola ad Sororem ſanctimonialem, in qua ſcribit: ne putet, ſua ſe munditie poſſe mundam inveniri in conſpectu Dei: neminem ſuis meritis, neminem ſua iuſtitia ſalvari: ſi cum pia intentione recogitet amatorem & ſponſum ſuum, pro ipſa ſervanda traditum, non iam præſentem complexuram, ſed inhabitantem in triclinio cordis, immo manducare & bibere carnem & ſanguinem eius: non hic proelio & certamine, non exacto ieiunio aut horrido cilicio, non corporali labore opus eſſe ad fructus paſſionis ac mortis Domini ſibi adplicandos, ſed quieto deſiderio, dulcibus lacrimis, fidis oſculis, placida aſſeſſione ad pedes Ieſu, & ſedulo pietatis exercitio, in quo etiam dignus pœnitentiæ fructus conſiſtat.

HERMANNI Einfeltigs bedencken von der Reformation, Simplex iudicium de reformatione eccleſiarum Electoratus colonienſis. Marpurgi 1545. In principio quidem libri legitur annus 1544. ſed in fine alter ille, quo liber prelo exiit, expreſſus eſt. Prima editio in lucem prodiit Buſſchovii, ſecunda Bonnæ A. 1543. tertia ibidem A. 1544. latina eius translatio etiam Bonnæ A. 1545. Sed germanica tamen clarior eſt, & amplior. In præfatione narrat reverendiſſimus Archiepiſcopus, ſe ſe cum conſcientiæ ratione, atque ut Eccleſiis ſuccurreret ſuis, tum ex obedientia erga ſacratiſſimum Imperatorem, qui cum Nuntio apoſtolico in nuperis Comitiis ratisbonenſibus omnes Epiſcopos chriſtianam & eccleſiis ſalutarem reformationem iuſſerit ſuſcipere, item conſentientibus & approbantibus, immo flagitantibus terrarum ſuarum Statibus, adhibitis etiam in conſilium & ſubſidium viris quibusdam piis, prudentibus & doctis, (qui erant Mart. *Bucerus*, Phil. *Melanchthon*, & Io. *Piſtorius*,) utiliſſimum ac neceſſarium reformationis opus aggreſſum eſſe, ac præſentem librum (factum autem hoc per *Bucerum*) conſcribendum curaſſe. Sed ille diſplicuit Canonicis templi cathedralis colonienſis, qui ei per Ioannem *Gropperum*, ut aiunt, oppoſuere Antididagma, (eine Gegenberichtung) in cuius præfatione, poſt magnam vim conviciorum in Lutheranos, claris verbis affirmant, ſub imperio Turcarum malle ſe ſe vivere, quam ſub Magiſtratu, qui Reformationem illam ſequatur, atque defendat; multo magis autem Papæ romano, qui non ceſſavit fulmina ſua vibrare contra pium Electorem, cuius auſpiciis partus ille erat editus. Neque etiam approbationem invenit ſive *Electoris ſaxonici*, ſive *Lutheri*: ille enim putabat, doctrinam non plane puram hic fluere, multasque cærimonias, quæ tamen minime tolerandæ, ſpecioſe incruſtari; hic autem, eius auctores nimis molliter, præcipue in articulo de S. cœna, ubi non ſatis clare expoſuiſſent realem Chriſti præſentiam, & oralem manducationem, incedere. Quod vero ad contenta huius Reformationis attinet, ſciendum, in ea diſſeri de doctrina, uſu ſacramentorum, & cærimoniarum, cura animarum, & cultu divino, uſque ad Concilium liberum & chriſtianum, vel emendationem Ordinum S. Imperii romano-germanici. Vide *Seckendorfii* Lutheraniſmum germanice redditum p. 2208.

Herman-

Hermannus, Comes *de Wyda*, Archiepiſcopus colonienſis, S. R. I. per Italiam Archicancellarius, & Elector, Weſtphaliæ & Angriæ Dux, Epiſcopus paderbornenſis, vir, uti *Thuanus* lib. XI. 224. teſtatur, miti ingenio, ad hæc pius & verbi divini ſedulus lector, & devotus pro divina illuminatione invocator, a Pontifice tamen propter cœptum reformationis opus excommunicatus, ſuorum periculo potius, quam rei familiaris ac dignitatis diſpendio territus, ultro colonienſi archiepiſcopatu, eique adhærentibus honoribus ceſſit anno 1547. & privatam vixit vitam uſque ad annum 1552. quo ætate gravis Biverini, pago diœceſeos colonienſis, obiit. Melch. *Adam.* in Vitis theol. 217. *Seckendorf* Lutheran. 2201. *Sleidanus* p. 471. 503. 556. 785. *Sarpius* Hiſt. concil. trid. 202. 441. *Luther.* Colloq. menſal. 613. *Melanchthon* Epp. P. I. 271. & in Conſiliis theol. latin. 535. *Chytræus* Hiſt. aug. conf. 333. *Du Pin* T. XIII. de la biblioth. eccleſiaſt. 194. G. *Arnold* Hiſt. eccleſ. & hæret. P. II. 324. *Pfanner* Hiſt. pac. weſtphal. 11. P. *Dionyſius* werlenſis Meſsbericht. P. II. 34. *Acta erudit.* A. 1684. 65.

Ludovici Ellies DV PIN Diſſertationes hiſtoricæ de antiqua eccleſiæ diſciplina. Coloniæ Agrippinæ (ſi non Pariſiis, aut Amſtelædami) 1691. Antea prodierant Pariſiis anno 1686. & recenſentur in Tomo I. *Supplem. Actor. erudit.* p. 25. Agitur in iis de forma & diſtributione eccleſiarum, forma iudiciorum eccleſiaſticorum, excommunicationis antiqua ratione, & primatu romani Pontificis. Et in I. quidem Diſſertatione docet, Metropolitarum aut Patriarcharum dignitatem nec a Chriſto, nec ab Apoſtolis inſtitutam, ſed ex ſola Imperii diſtributione & urbium ipſarum prærogativa repetendam eſſe. In II. contra Chriſtianum *Lupum*, a Metropolitani & Synodi provinciæ iudicio provocationem ad rom. Pontificem, nec canonibus veteris eccleſiæ congruere, nec exemplis in hanc rem adduci ſolitis ſtabiliri poſſe. In III. Primis eccleſiæ ſæculis non ſolos Epiſcopos, ſed cum eis Presbyteros, accedente non nunquam fidelium laicorum conſenſu, excommunicationis iudicium in noxios exercuiſſe; poſtea vero obtinuiſſe morem, ut Epiſcopus & Clerus ſoli, ſine conſilio plebis, excommunicationis ſententiam ferrent; Epiſcopum autem vix unquam ſine Clero ab eccleſiæ communione aliquem excluſiſſe: laicum vel clericum peccantem ad proprii epiſcopi tribunal deferri oportuiſſe:

Digitized by Google

tuiſſe: laicum vel clericum recurſum habuiſſe ad Synodum provinciæ, ratamque eſſe habitam talis Synodi ſententiam: non conſultum eſſe, Reges, etiamſi queant excommunicari, eccleſiæ communione privare, nec regna integra, provincias, urbes, ob Regis aut Magiſtratus peccatum, ſacris officiis interdici licere; in mortuos autem analogam tantum & impropriam excommunicationem cadere. In IV. B. Petri primatum non poſſe ex dictis *Matth.* 16, 18. 19. & *Io.* 21, 15. colligi, eccleſiæ autem romanæ primatum ſupra ceteras orbis eccleſias traditione niti. In V. Pontifices romanos non eſſe in iudicando infallibiles. In VI. Poteſtatis eccleſiaſticæ immediatum ſubiectum eſſe univerſam eccleſiam: ipſos Pontifices ultro concilia convocaſſe, tanquam ad dirimendas controverſias neceſſaria: concilia piſanum, conſtantienſe & baſileenſe, a tribus legitimis Pontificibus approbata, definiviſſe, Papam Conciliis generalibus inferiorem eſſe, & contraria *Schelſtratii* argumenta vim ac valorem habere nullum. In VII. Pontificem aut Eccleſiam nullam habere in Reges, eorumque bona auctoritatem directam, vel indirectam: nec poſſe Reges ab ipſis ullo deponi modo, aut eorum ſubditos a fide & obedientia eximi.

LXXXIII.

Conradi TREV Von Friedesleven de Bonis eccleſiaſticis. Freybergæ 1540. Germanice. Exponitur hoc libro, 1) cuius eorum ſit poſſeſſio & dominium. 2) quis illa ſpoliet, aut recte adminiſtret. 3) Quo modo ad vere chriſtianam, omnibusque Statibus utilem poſſeſſionem & uſumfructum reduci queant.

Conr. *Treu* Von Friedesleven (ſive hoc nomen ſit verum, ſive fictum) floruit A. 1540. quo librum iſtum ſcripſit Delmenhorſtii, ſicut ex epiſtola patet dedicatoria, in qua defendit Proteſtantes, aitque, animos eorum a ſeditione eſſe alienos, pronos autem ad pacem & concordiam, multumque iniuſti variis paſſos modis. Vt adeo hinc conſtet, & ipſum ab eorum fuiſſe partibus.

Georgii WICELII Dialogorum de rebus religionis libri tres. Lipſiæ 1539. Etiam germanice. Colloquuntur *Teuto*, civis euangelicus, *Core*, paſtor euangelicus, *Auſonius*, defenſor eccleſiæ romanæ, *Orthodoxus*, neutri parti addictus, pacis autem & concilia-

conciliationis cupidus, & *Palemon*, quaſi iudex, eorumque, quæ orthodoxe dicta ſunt, confirmator. Atque in Præfatione, monſtratis pacis eccleſiaſticæ commodis, contentionum autem & rixarum damnis, auctor cenſet, utramque partem aliquid cedere debere; & huc ipſa etiam colloquia directa ſunt. Ad faciendam autem concordiam, tria putat deliberanda eſſe, 1. de miſſæ ſacrificio. 2. de diſtributione ſacræ cœnæ, ſub una ne, an ſub duabus ſpeciebus. 3. de multitudine miſſarum, quæ quotidie in eccleſiis & privatis locis celebrantur.

Ioannis FISHERI, epiſcopi roffenſis, Refutatio articulorum XLI. Lutheri, in linguam teutonicam translata a Caſp. *Meckenlorio* Lipſiæ 1536. Articuli illi agunt de effectu ſacramentorum, peccato originis, metu moribundi, pœnitentia, confeſſione peccatorum, abſolutione, communione ſub una, indulgentiis, excommunicatione, poteſtate Papæ, auctoritate Conciliorum, condemnatione Io. *Huſſi*, bonis operibus, hæreticorum ſupplicio, bello contra Turcas, libero arbitrio, purgatorio, & ordine Mendicantium.

Io. *Fiſcher*, qui anglice *Fisher* ſcribitur, anglus, ex diœceſi eboracenſi, primum doctor & cancellarius univerſitatis cantabrigienſis, deinde epiſcopus roffenſis & informator Principis regii, qui rex factus nomen adeptus eſt HENRICI IIX. magna eius floruit gratia: ſed & eadem excidit, quum expulſionem reginæ CATHARINAE, & abrogationem auctoritatis pontificiæ adprobare nollet. Atque odium & ira Regis vires acquiſiverunt, cum PAVLVS III. papa pileum captivo cardinalitium miſiſſet: hinc enim commotior Rex factus eſt, magisque exſtimulatus ad propoſitum ſuum exſequendum, ita ut A. 1535. ſecuri eum percutiendum curarit. Quod ſupplicium patiente tulit animo, nec imprecatus eſt perſecutori ſuo. Trium fuit linguarum peritus, vigilans in epiſcopatu, ita ut quotannis omnes ſibi commiſſas eccleſias viſitaret, in iisque ſermones ad populum ederet, admirabili vitæ ſanctitate ornatus, ſummeque beneficus & liberalis erga pauperes & egenos, non quod tam opimum haberet epiſcopatum, ſed quia frugaliter vivebat, geniumque defraudabat ſuum, ut haberet, quo miſerorum egeſtati atque inopiæ ſuccurreret. Sed & ingenii monumenta, quæ reliquit, commemoranda nobis ſunt: ſcripſit enim

Digitized by Google

enim Aſſertionis *Lutheri* de variis doctrinis papiſticis Confutationem, Defenſionem Aſſertionis HENRICI IIX. Regis Angliæ de VII. ſacramentis contra *Lutheri* Captivitatem babylonicam, Librum de veritate corporis & ſanguinis chriſti in euchariſtia contra *Oecolampadium*, & alium de unica Magdalena contra Iod. *Clichtoveum*, & Iac. *Fabrum* ſtapulenſem; omniaque eius opera edita ſunt Wirceburgi A. 1595. *Kœnig* 306. *Bellarminus* de ſcriptoribus eccleſiaſt. 252. *Sauſſay* 17. *Meckenlor* in Præfatione, *Lexicon univerſ. hiſtor.* T. II. 126. *Hyde* Catal. Biblioth. bodlei. T. I. 253. *Du Pin* T. XIV. Biblioth. eccleſ. 145. Val. *Alberti* Exam. profeſſ. fidei tridentinæ 475. *Kortholt* de Variis ſcripturæ ſacræ editionibus 371.

LXXXIV.

S. CAES. MAIESTATIS Declaratio, quid religionis ratione in S. Imperio, donec in generali concilio concordia ineatur, obſervandum ſit, publicata A. 1548. d. 15. Maii. Francofurti ad Viadrum, apud Nicol. *Wolrabium*; ſed ſine anni expreſſione. Germanice. Atque hæc Declaratio vocatur *Interim*, quam multæ ſecutæ ſunt diſſenſiones ac turbæ; eiusque auctores fuerunt Iulius *Pflugius* epiſcopus naumburgicus, Michaël *Sidonius* ſuffraganeus moguntinus ac poſtea epiſcopus merſeburgenſis, & Io. *Agricola* islebius.

Frid. FORNERI Hiſtoria colloquii wormatienſis. Ingolſtadii 1624. Colloquium iſthoc habitum eſt A. 1557. inter Romano-catholicos, & Confeſſioni auguſtanæ addictos, in quorum numero ab utraque parte principes erant Pet. *Caniſius* & Phil. *Melanchthon*. Auctor hiſtoriam iſtam vocat hactenus ſepultam, a ſe autem ex MSto ait integra fide transſcriptam, notisque exegeticis tam præcedaneis, quam marginalibus eſſe illuſtratam. Præfatio agit de origine & ſcopo huius Colloquii.

Fridericus *Fornerus*, epiſcopus hebronenſis, ſuffraganeus bambergenſis, S. theol. doctor, claruit anno 24. ſæculi XVII. & plura edidit, nominatim Panopliam armaturæ Dei adverſus omnem excantationem, magorumque & ſagarum inſidias, Sermones de cuſtodia angelorum, Roſam pentaphyllatam, ſeu devotionem auguſtiſſimorum vulnerum domini Ieſu, IV. libros de malo temulentiæ, Palmam miraculorum eccleſiæ catholicæ, & in primis B. Ma-

B. Mariæ virginis, ac Sermones de eiusdem beato tranſitu, aſſumtione, & cultu.

Ioan. BVSAEI Apologeticus diſputationis theologicæ de perſona Chriſti, in moguntina academia adverſus *Vbiquitarios* editæ, oppoſitus Steph. *Gerlachio.* Moguntiæ 1588.

Io. *Buſaus*, noviomagus, Societatis Ieſu theologus, dedit Inſtructionem de modo recte meditandi divina, Paralipomena *Petri* bleſenſis, Io. *Trithemii* aliorumque nuper in typographeo moguntino editorum, Enchiridion piarum meditationum in omnes dominicas, Sanctorum feſta, Chriſti paſſionem &c. Viridarium chriſtianarum virtutum ex S. ſcripturæ Patrumque ſententiis conſtructum, Paradoxa *Schvvenckfeldii*, & Panarium adverſus animi morbos, mundoque valedixit anno 1611. cum vixiſſet annos 64. *Alegambe* Hiſt. ſcriptor. Soc. Ieſu p. 374. & *Witte* Diar. biograph. H 4.

Nicolai VIGNERII Diſſertatio de Venetorum excommunicatione, adverſus Cæſ. *Baronium*, E. R. Cardinalem. Francofurti 1617. In qua vera excommunicationis ratio, tum ex S. ſcriptura, tum ex antiquis Eccleſiæ chriſtianæ monumentis breviter & dilucide demonſtratur. Cui propter affinitatem argumenti adiuncta eſt Chriſtianorum Reip. venetæ civium & amicorum ad antichriſtianam Card. *Baronii* Parænesin Reſponſio. In utroque ſcripto fortiſſime negatur, Pontifici romano competere iurisdictionem in Summas poteſtates.

Nicol. *Vignerius*, gallice *Vignier*, natus Barro ad Sequanam in Campania, familia non quidem obſcura, attritis tamen opibus, ob bella civilia ſolum vertere coactus, in Germaniæ Principum aulis aliquandiu medicinam fecit, donec ab HENRICO IV. honorifico ſtipendio invitatus Lutetiam venit. Inter philoſophiæ & medicinæ ſtudia magnam quoque hiſtoriæ omnis & temporum ſibi acquiſivit cognitionem, unde enata Commentarius de faſtis, Opus chronologicum, Chronicon burgundicarum rerum, & Hiſtoria eccleſiaſtica; cui tamen ultimam ipſe manum non potuit adhibere: ei enim immortuus eſt anno 1596. ætatis 66. *Thuanus* lib. 117. p. 771. *Zeillerus* P. II. de hiſtor. p. 238. *Becler* Bibliograph. crit. 377.

Aurea monita SOCIETATIS IESV, edita a Theophilo

Digitized by Google

Eulalio. Placentiæ, ſine anni expreſſione. Quæ in tractationis initio vocantur *Monita privata* Societatis Ieſu, & eum in finem ſcripta ſunt, ut Societas iſta conſervetur, & augeatur. In Præfatione continetur quaſi panegyricus, in laudem Ieſuitarum. Sed, quæ adduntur, Italorum & Polonorum quorundam de Ieſuitis Teſtimonia, & Proſa in eorum laudem, minime promovent eorum laudem & gloriam, ſed artes & vitia ipſorum detegunt. Placet autem mihi, immo perplacet *Placcii* æquitas & modeſtia, qua in libro de Scriptoribus anonymis, cum Ieſuitica & Antiieſuitica recenſuiſſet, p. 370. probe diſtinguit inter Ordinem & ſingula eius Membra, dicens, ſi aliqui, aut multi, plurimive, in illo ordine exorbitant, id tamen toti Societati non temere tribuendum, ſed pietatem, virtutem, induſtriam, aliasque inſignes dotes, & de Rep. chriſtiana ac litteraria contracta merita, quibus Societas illa fulget, grato animo agnoſcenda, debitisque laudibus celebranda eſſe, cum nullus ſit ordo, qui non ſuos habeat fucos, ſuaque carcinomata; propterea autem totos Ordines non eſſe culpandos, damnandos, ac reiiciendos.

Ieſuitica per unitas Belgii Provincias negotiatio. Ex Franekerano exemplari recuſa A. 1616. Videbis hic, ait auctor Præfatiunculæ, quibus artibus, quantoque ſtudio, ex R. P. Bernardi *Oliverii*, provincialis S. I. per Belgium, præſcripto, ſuam, quam vocant negotiationem in unitis Provinciis Ieſuitæ exerceant, id eſt, pontificiam religionem cum dominatione ieſuitica, in Eccleſiæ & Reip. reformatæ perniciem, propagare conentur.

Petrus *Suavis* Polanus, contra Sfortiam *Pallavicinum*, & Scipionem *Henrici* defenſus ab AMELOTIO de la Houſſaie. Curiæ Nariſcorum 1686. Amelotius, ſive larvatus *De la Mothe Ioſſeval*, verſioni ſuæ gallicanæ Hiſtoriæ Concilii tridentini Sarpianæ Præfationem præmiſit, in qua ad pleraque *Pallavicini* & *Henrici* argumenta, contra Sarpium allata, reſpondet. Atque hanc Præfationem in latinum convertit Io. Chriſtoph. *Layriz*, eamque hic exhibet.

Amelot de la Houſſaie, gallus, Regis chriſtianiſſimi in ampliſſima ad ſereniſſ. Remp. venetam legatione ſecretarius, floruit medio ſæculo XVII. & ultra, ſcripſitque etiam idiomate ſuo, h. e. gallicano, Tiberium, ſive Diſcurſus politicos ſuper Tacitum. *Acta erudit.* A. 1684. 60. & *Placcius* de pſeudon. p. 455.

Io. Chriſtoph.

Io. Chriſtoph. *Layriz*, Ioannis Georgii, antiſtitis quondam vinarienſis, ut videtur, frater, poſtea paſtor & ſuperintendens wonſideliensis, iam anno 1686. ingenii ſui monumentum erigere, ſtudiique litterarum fructum edere valuit.

PAVLI IOSEPHI Scala vera Ieruſalem. Viennæ 1626. ac prius, ut *Wolfius* Biblioth. hebr. p. 964. indicat, 1612. 8. Qua ex veteri & novo teſtamento, præcipue autem ex revelatione Ioannis & Danielis monſtratur, V. T. eſſe ſublatum, & quo modo vera fides chriſtiana ſit cognoſcenda. Speciatim tractatur de Meſſia, eccleſia Dei, *Mahommede*, antichriſto *Dan.* 8. Apocalypſi Iohannis, revelatione IV. libri Esdræ, divinitate Chriſti, divinitate Spiritus ſancti, & Trinitate. In Præfatione, ſive dedicatione ad FERDINANDVM II. Imp. extollit Eccleſiam romanam, *Lutherum* & *Calvinum* ut hæreticos traducit, narratque, ſe Norimbergæ audiviſſe Io. *Saubertum* (quem *Saupartbum* appellat) Ioannis Apocalypſin pro concione explicantem, & aliquot dies, in præſentia Senatorum ſcholarcharum, collocutum eſſe cum Paſtoribus aliquibus, atque etiam tum, ſicut nunc, cum ſcriberet ederetque hunc tractatum, fuiſſe cœcum, in eoque ſe exponere cauſſam, cur romanam ſibi delegerit eccleſiam.

Paulus Ioſeph, rabbi antehac poſnanienſis, converſus & baptizatus iudæus, vixit initio atque in adoleſcentia ſæculi XVII. & ſcripſit, indicante id *Wolfio* Biblioth. hebr. p. 964. ex V. T. & Talmude, Chriſtum eſſe verum Meſſiam, A. 1612. 8. Niſi forte hic liber idem eſt, qui prior.

LXXXV.

Scripta varia de neceſſitate reformationis Eccleſiæ romanæ, & Trident. concilii iniquitate, ab Herm. CONRINGIO collecta. Helmſtadii 1650. Atque illa ſunt 1) Georgii WICELII Via regia, ſive de controverſis religionis capitibus conciliandis ſententia, iuſſu FERDINANDI I. Cæſaris A. 1564. ab auctore iam ſene conſcripta. Percurrit auctor omnes Articulos Auguſtanæ confeſſionis, atque de iis candide ac libere iudicat, ſuorumque, ubi opus eſt, ulcus etiam tangit. Non enim tunc, cum hæc ſcriberet, lutheranus erat, ſed romano-catholicus, neque affectibus indulſit, aut ſimulatorem egit, ſed ex animi ſententia locutus eſt. Atque ideo p. 11. his utitur verbis: *Dogma utriusque*

partis novum ac falſum neque probamus, neque propugnandum ſuſcipimus, quicquid garriant male ſuſpicaces Magiſtri. Stamus immoti in profeſſione Eccleſiæ Dei, quam catholicam & apoſtolicam credimus, nec diſcedimus a ſcriptis didacticis, quæ noſtro nomine divulgarunt typographi, niſi ſolidiora doceamur, primum e Scripturis ſanctis, deinde ex Patribus eccleſiæ vetuſtiſſimis, poſtremo argumentis probabilibus, non ſophiſticis, nec hæreticis. Et de eius (in dogmatibus Eccleſiæ romanæ) orthodoxia teſtatur *Sainjore* Biblioth. crit. T. II. 257. 263. De Regia vero hac via vide Luc. *Oſiandrum* Hiſt. eccl. cent. XVI. 203. Io. Frid. *Mayerum* in Sylloge ſcriptor. de Roma reconcil. 63. *Boineburg.* Epp. p. 123. & in Struvii Actis liter. T. I. faſc. III. 14. *Sainjore* Biblioth. crit. T. II. 242. & *Conringium* in Dedicat. epiiſtola præſentis ſcripti, qui in eadem pluribus differit de corruptione morum & doctrinæ in Eccleſia romana, adeoque neceſſaria eius reformatione, ab Imperatore, Regibus & Principibus expetita, ſed a Concilio tridentino non, uti fas erat, inſtituta; hinc CAROLVM V. Cæſarem, etiam poſt definitionum tridentinarum de peccato, iuſtificatione, ſacramentis in genere, baptiſmo & confirmatione publicationem, in ſuo Interim, improbatis illis, alia, nec leviter diverſa ſanciviſſe; eius autem fratrem FERDINANDVM, huiusque filium, Bohemiæ tum regem, *Maximilianum*, iam finita & concluſa omni illa tridentina Synodo, de reconciliandis religionis diſſidiis alia plane conſilia agitaſſe, G. *Caſſandri* & G. *Wicelii*, doctrinæ & moderationis laude celebrium ea tempeſtate hominum, ſententiis exquiſitis: nihil minuiſſe Eccleſiæ romanæ mala per tridentinum Concilium, ſed in univerſum potius aucta, nec eius reformationem ſperandam, niſi pia Regum cura intercedat; noſtrum autem eſſe, bono exemplo emendationem iſtam provocare, ſopitis inteſtinis noſtris diſſidiis, omnemque dare operam, noſtra ut moderatio innoteſcat omnibus, nec promiſcue omnia illius membra, quorum ſimplicitati de indulgentia Domini venia concedi poteſt, condemnare. In Præfatione idem *Conringius* agit de *Wicelii* & binis hiſce eius ſcriptis, eaque genuina eſſe, contra *Erbermanni* obiectiones evincit, hoc etiam addens, non illa in id ſcripta eſſe, ut vulgarentur, ſed pro ſcriniis cæſareis, ideoque nunquam edita, niſi inter Centurias lectionum memorabilium Ioan. *Wolfii*; eſſe autem libellorum horum eam dignitatem, eamque erudi-

eruditionem & pietatem, ut omnino debeant a quam plurimis legi, quibus Eccleſiæ & Rei publicæ ſalus cordi ſit. 2) Appendix de abuſibus ac incommodis quibusdam Eccleſiæ romanæ, in cauſa propria deprehenſis. Et poſt eam oſtendit, ſuperbum faſtidium concordiæ quærendæ in cauſſa fuiſſe, cur opera inanis ſumpta ſit in Colloquio wormatienſi, & cur Concilium quoque tridentinum citra bonam frugem diſſolutum ſit. 3) EIVSDEM Elenchus abuſuum, corruptelarum, deformitatum, vitiorum & deliquiorum præcipuorum in Eccleſia romana. Scriptus ad MAXIMILIANVM II. Imperatorem romanum, anno, quo auctor iam ſeptuagenarius vita deceſſit, 1573. 4) EIVSDEM Via pacis inter diſcordias eccleſiæ. Iudices inter utramque partem eſſe debere Patres eccleſiæ, tam græcos, quam latinos. 5) G. CASSANDRI Epiſtola ad Wicelium. Scripta A. 1565. in eaque continetur laus *Wicelii*, ut viri eruditi, & pacificandæ eccleſiæ idonei, & promiſſio Conſultationis ab ipſo ſcriptæ. 6) Pars ultima libri Deſid. ERASMI de amabili Eccleſiæ concordia. Scripta A. 1533. ad Pſalmum 83. *Conringii* iudicio libellus hic eſt digniſſimus lectu, elegans nimirum, doctus, diſertus, uno verbo, totus eraſmianus. 7) Conſilium de emendanda Ecclesia romana, iuſſu PAVLI III. Papæ conſcriptus. A quibus? A quatuor Cardinalibus, duobus Archiepiſcopis, uno Epiſcopo, uno Abbate, & uno Magiſtro S. palatii, videlicet Caſp. *Contareno*, Io. Petro *Carafa*, Iac. *Sadoleto*, Reginaldo *Polo*; Frid. *Fregoſo*, Hieron. *Aleandro*; Matthæo *Giberto*, Greg. *Corteſio*, & Thoma *Badio*. Qui ſane aperte & candide abuſus tollendos indicarunt. Vide *Gerhardum* Confeſſ. cathol. p. 44. *Ittigium* in Dedicat. Hiſtor. Synod. nation. inter Reformatos in Gallia, 5. & *Acta erudit.* A. 1691. 137. 8) CAROLI V. Imperat. Epiſtola ad Collegium Cardinalium, ut, negante ſeu differente Pontifice generalis Concilii indictionem, ipſi indicant. Scripta A. 1526. eo tempore, quo Imperator propter duo aculeata & acerba Brevia iratus erat Papæ, CLEMENTI VII. nominisque pontificii auctoritatem per omnem Hiſpaniam aboluerat. Et *Goldaſtus* eam primo Conſtitutionum imperialium volumini inſeruit. 9) EIVSDEM Proteſtatio adverſus Concilium Tridento frivolo prætextu Bononiam translatum, per Iac. *Mendozam* Romæ inſtituta. Altera Proteſtatio, Bononiæ inſtituta, eadem pæne atque

hæc eſt. 10) Fragmentum epiſtolæ eccleſiaſticorum Germaniæ Principum ad PAVLVM III. Papam in conventu auguſtano ſcriptæ A. 1543. Qua petunt, Concilium in priſtinum locum & ſtatum ut reſtituat, eademque opera efficiat, ut expulſis errorum tenebris, omnique diſſidio procul ab eccleſiaſtica doctrina, atque animis hominum profligato, reddatur lux priſtina Eccleſiis Germaniæ. 11) Petitiones Oratorum FERDINANDI Cæſaris, Legatis pontificiis in Concilio tridentino anno 1562. 7. Iunii exhibitæ. Sed non erant ad palatum Papæ, ſicut nec paria Regis Galliarum Poſtulata; ideoque obtineri non potuit, ut in deliberationem Patribus proponerentur. 12) Auguſtini BAVMGARTNERI Oratio, nomine *Alberti* Bavariæ Ducis habita in Concilio tridentino, 27. Iunii A. 1562. Qua petit, ut turpes Cleri mores repurgentur, coniugium clericis permittatur, & prohibitio tollatur utriusque ſpeciei. 13) Scriptum FERDINANDI Cæſaris Oratorum, Tridentini Concilii Legatis A. 1562. d. 27. Iunii exhibitum. Quo petunt calicis benedicti uſum non tantum pro Bohemis, ſed etiam pro incolis aliorum regnorum & provinciarum Imperatoris: plurimos enim eſſe, qui illum ſibi poſtulent; rogant etiam, Archiepiſcopo pragenſi ut liceat ſacerdotes ordinare Calixtinorum: eos enim illi, & Papæ romano ſubmittere ſe velle. 14) Andr. DVDITHII oratiuncula, habita Tridenti A. 1562. Itidem de calicis reſtitutione. 15) Admonitio Oratorum gallicorum ad Legatos pontificios, exhibita 3. Iulii 1562. Et ipſi urgent calicis diſtributionem, commemorantes pariter, Galliæ Reges inde iam a M amplius annis eo die, quo coronantur & conſecrantur, euchariſtiam ſub utraque accipere, ſimiliter etiam monachos non conficientes ſtatis quibusdam anni diebus. 16) FERDINANDI Cæſaris Epiſtola ad PIVM IV. pont. max. de rectius inſtituendo Concilio tridentino. Qua vitia, quibus laborabat Synodus, haud pauca attinguntur: eiusque meminit non tantum Pet. *Suavis*, ſed etiam *Thuanus* lib. 35. 17) Alia *eiusdem* ad PIVM IV. de calicis communione, & connubio ſacerdotum. Illam quidem Papa conceſſit, hoc denegavit. 18) ALBERTI, Bavariæ Ducis, Epiſtola ad Pium IV. Qua rogat, ut ſaltem illis indulgeatur ſacri calicis uſus, qui ita perſuaſi aliam ſaniorem admonitionem non admittunt. 19) Conſiderationes ſuper matrimonio

monio ſacerdotum, Romæ exhibitæ. 20) PII IV. Breve ad *Henricum* iuniorem, Ducem brunſvicenſem. Scriptum 1. Septemb. A. 1564. & narrans, ipſum, ad inſtantiam Imperatoris, conſilio delectorum aliquot Cardinalium & aliorum piorum virorum, maioris mali declinandi cauſſa, Prælatorum quorundam Germaniæ arbitrio commiſiſſe, ut, ſi ita viſum eſſet, facultatem ſacerdotibus darent communionis ſub utraque faciendæ, ita tamen, ut ſumentes ſint contriti & confeſſi, catholicam religionem ac fidem teneant, atque Eccleſiam romanam, ſub una celebrantem, profiteantur nec erraſſe, nec errare, denique admoneantur, Chriſtum integrum tam ſub una, quam ſub utraque ſpecie ſumi. Huc refer Litteras ſecretiores FERDINANDI I. Rom. Imp. pro obtinenda euchariſtia ſub utraque, in gratiam MAXIMILIANI II. Boh. Regis, A. 1560. miſſas, atque a venerabili Abbate Io. Andr. *Schmidio* editas Helmſtadii A. 1719. 4. 21) EIVSDEM Breve ad Ludolfum *Halverium*, Henrici iunioris Ducis cancellarium. Anno & die eodem. Et huic ſignificat Papa, ſe ſe Heri ipſius deſiderio ſatisfacere, ſuique de ſacri calicis conceſſione conſilii certiorem facere voluiſſe, ut ſciret, quemadmodum ea res ſe ſe habeat, & quod Romæ actum fuit, non ſine graviſſima cauſſa, & maturo admodum, pioque conſilio actum fuiſſe intelligeret. 22) G. CASSANDRI ad Guil. *Kettelarium* Epiſtola, ſcripta anno 1565. In qua refertur, Pontificem ſummum non tantum FERDINANDI Imper. hereditariis ditionibus ius utendi dominici calicis in communione laicorum permiſiſſe, ſed etiam ad Electores eccleſiaſticos litteras miſiſſe, quibus facultas data, eligendi & deputandi catholicos ſacerdotes, qui ſacram cœnam tam ſub utraque, quam ſub una, diſpenſarent; FERDINANDVM doctos & prudentes viros convocaſſe, qui deliberarent, quo modo ex Pontificis præſcripto quam decentiſſime ſacrum epulum adminiſtraretur, eiuſque deliberationis formam ad Archiepiſcopos Electores transmiſiſſe, ut eam expenderent, &, ſi quid addendum videretur, libere candideque adderent: atque ita factum, ut & ipſe rogatus ſententiam ſuam ad illam deliberationem adiunxerit; ſed neſcire ſe, cur hoc negotium huc uſque quaſi ſuppreſſum & occultum lateat. 23) FERDINANDI I. Edictum, per Epiſcopum gurcenſem Viennæ in templo S. Stephani 29. Iul. A. 1564. promul-

promulgatum. Huius argumenti: Pontificem ſummum ex ſingulari & paterno affectu, ad petitionem & inſtantiam Cæſareæ Maieſtatis, conceſſiſſe, ut in poſterum cœna domini ſub utraque celebraretur atque exhiberetur ſpecie. 24) MAXIMILIANI II. Imp. Epiſtola ad PIVM IV. de connubio ſacerdotum. Rogat Pontificem, ut reſarciendæ pacis & concordiæ cauſſa, ac ne amplius Eccleſiæ ſacerdotibus deſtituantur, illud indulgeat. 25) CAROLI, Archiducis Auſtriæ, ad PIVM IV. Epiſtola. Eiusdem eſt argumenti, atque remedium iſthoc ociſſime adhibendum eſſe monet. 26) MAXIMILIANI II. Epiſtola ad Lazarum a Schwendi. Scripta A. 1574. 22. Febr. Qua improbat atque execratur factum lanienæ pariſienſis, reſque pietatis gladio diiudicandas aut tractandas eſſe negat. Et *Conringius* p. 276. fatetur, nihil ſe cauſſæ habere, cur dubitet, num illa Cæſaris manu ſit exarata, multo minus, num ſit ab illo profecta: notum enim eſſe, Monarcham illum mediam emendationis viam tota vita ſectatum, nullumque peccatum gravius duxiſſe, quam (o ſanctam ſummi Imperantium cogitationem!) conſcientiis velle dominari. 27) Valentini (a TETELEBEN) Epiſcopi hildesheimenſis. Inſtrumentum publicum de ſententia papali, per CAROLVM V. Cæſarem contemta. Quoniam hæc quidem res non pertinebat ad forum Pontificis, cum *Ioannis*, tanquam perduellis & proſcripti, bona pleraque, auctoritate Cæſaris, Brunſvic. Duces *Henricus* atque *Ericus* occupaſſent. 28) FRANCISCI Regis Gall. de Proteſtantium placitis ſententia, per oratorem Guil. *Bellaium* Langæum expoſita. Quæ quidem deſcripta eſt a Io. *Sleidano* lib. IX. Commentar. Cui adiunguntur eiusdem FRANCISCI ad Phil. *Melanchthonem* Epiſtola, & huius Reſponſio, (quæ etiam exſtant in Melanchth. operum Parte IV. 823.) nec non *Langæi* ad *Melanchthonem*, huiusque ad Iacobum *Sturmium* Epiſtola. In illa rogat Epiſcopus pariſienſis, occaſionem rei gerendæ inter mortales omnium pulcherrimæ (h. e. pacificationis) ne differat; in hac ſcribit *Melanchthon*, ſummam ſe contentionem adhibuiſſe, ut ſereniſſ. Herus ſuus concederet in Galliam ad colloquium abeundi poteſtatem, verum impetrare non potuiſſe eo, quod metuant præiudicia, ſeque putent aliquanto minus vehementem, minusque pertinacem. Fatetur, ſe non putare, contendendum eſſe, niſi de magnis

& ne-

& neceſſariis rebus, nec ſe velle tueri omnes ακριβολογιας & ψυχρο-λογιας· nunc autem eſſe democratiam aut tyrannidem indoctorum in utraque parte, qui rixentur de nonnullis leviculis rebus, & interdum ſuis affectibus ſerviant; nec diſſimulare, evectos etiam noſtros interdum υπερ τα εσκαμμενα: magno in periculo propter hanc moderationem ſe verſari, ut ſoleant in civilibus diſcordiis moderati cives utrinque male accipi, planeque ſibi fatum Theramenis impendere vereri. 29) CATHARINÆ Mediceæ Epiſtola ad Papam PIVM IV. de Proteſtantium placitis. Depromta eſt ex *Thuani* lib. XXIIX. in eaque illa æque, ut Proteſtantes, multos abuſus in Eccleſia tollendos eſſe iudicat. 30) Poſtulata (CAROLI IX.) Regis Galliæ, in Concilio tridentino pridie Non. Ianuarii A. 1563. oblata. Comprehenſa ſunt capitibus XXXIV. inter quæ in primis urgetur uſus calicis & integræ cœnæ reſtitutio: iisque cæſareorum Oratorum mandata quoque conſentiebant. Quem vero ad modum ſint a Papa & aliis accepta & diſcuſſa, Petrus *Suavis* refert Hiſtor. libro VII. p. 1006. 31) CAROLI, Card. lotharingii, Oratio, habita in Concilio trident. 23. Nov. 1562. Qua petit, ut nova diſſidia per novas & infructuoſas quæſtiones vitentur, atque ut de reformatione & morum, & eccleſiaſticæ diſciplinæ omnino decernatur. 32) Arn. FERRERII, CAROLI IX. R. Galliæ legati, Oratio, habita eodem tempore Tridenti. Qui confirmat Cardinalis lotharingii dicta, & poſtulata Regis contineri ait aut SS. Bibliis, aut vetuſtis eccleſiæ catholicæ Conciliis, aut antiquis Pontificum & Patrum Conſtitutionibus, decretis & canonibus, eorumque reſtitutionem in integrum Regem omnino petere. 33) Proteſtatio CAROLI IX. regis Gall. oratorum (*Ferrerii* & *Fabri*) contra PIVM IV. Papam, in Concilio trident. A. 1562. menſe Septembri. In cauſa præcedentiæ, quam ille Hiſpanicis oratoribus præ Gallicanis conceſſerat. Quamvis autem hæc res ceterorum Oratorum interventu fuerit compoſita, ac dubium ſit, utrum hæc Oratio a *Ferrerio* conſcripta, in Synodo ſit recitata; docet tamen illa, quid de tridentinis negotiis viri longe prudentiſſimi & ſummæ auctoritatis tum iudicaverint, nempe *non Tridenti, ſed Romæ illa geri*, ac *decreta in publicum miſſa magis* PII IV. *quam Concilii tridentini eſſe, in Concilio nullo libertatis antiquorum Conciliorum veſtigio, nullo legibus loco relicto.* 34) Eiusdem FERRERII Oratio,

habita in Concilio trident. 10. Kal. Octobr. 1563. In qua contendit, ne quid contra maiorum Regis leges, contra eius auctoritatem, gallicanæque eccleſiæ libertatem decernant; ſi contra fecerint, ſe ſe eorum decretis *intercedere*. Hoc ultimum verbum cum quidam ex epiſcopis, qui aderant, non intelligerent, a proxime ſedentibus quærebant, quisnam ille eſſet, pro quo Rex intercederet chriſtianiſſimus. Ad quod Ferrerius, eos exauctorandos eſſe, reſpondit, ſicuti olim factum ab HONORIO III. qui epiſcopum calvinienſem propterea tantum, quod Grammaticam non didiciſſet, dignitate privaverit. 35) PHILIPPI IV. Hiſpan. regis oratorum Replica, VRBANO IIX. A. 1635. Romæ data, contra ea, quæ Miniſtri eiusdem Capitibus reformationis, ex parte Regis catholici oblatis, reſponderunt. Eſt quidem hic libellus in fine mutilus, minusque elegans, nobiliſſimi tamen argumenti, quippe qui teſtatur, potentiſſimum Hiſpaniæ Regem ſerio tunc egiſſe, ut in ordinem cogeretur romanæ Curiæ tyrannis immenſa. Refertur etiam de epiſcopo bracarenſi, Fr. Bartholomæo *de Martyribus*, eum in ipſo concilio trident. dixiſſe, peſtiferum hoc verbum eſſe, *Papam eſſe dominum, & non diſpenſatorem beneficiorum*. 36) Pars Inſtructionis, quam HADRIANVS VI. Papa commiſit Fran. *Cheregato*, ſuo ad norimbergenſia Comitia nuncio, A. 1522. menſe Novembri. In qua optimus Papa confitetur, Deum hanc perſecutionem eccleſiæ ſuæ inferri permiſiſſe, propter hominum peccata, Sacerdotum maxime ac Prælatorum, a quorum peccatis peccata populi deriventur, atque ideo Curiam papalem, unde hoc malum proceſſerit, primum reformandam eſſe. 37) S. Rom. Imperii PRINCIPVM ac PROCERVM C. Gravamina, quæ adverſus Sedem romanam ac totum eccleſiaſticum Ordinem, Nuncio apoſtolico in Comitiis noribergenſibus propoſuerunt.

Herm. *Conringius*, natus Nordæ, Friſiorum urbe, hereditarius in maiori Twulbſtett & Sirbeck, Medicinæ D. eiusque & Politices profeſſor in academia Iulia, Regum Sueciæ & Daniæ, Principumque diverſorum conſiliarius, atque a LVDOVICO Magno, propter doctrinæ claritatem, uſque ad initia belli contra Belgas ſuſcepti, annuo ſtipendio mactatus, vir ſtatura vix mediocri, ſed vaſtiſſimo ingenio, memoria fidiſſima, & iudicio limpidiſſimo, immo Iuris naturalis, gentium, publici, ac philoſophiæ omnis petiſſimus,

tiſſimus, præterea philologus inſignis, orator, poëta, hiſtoricus, theologus, editis multis ſcriptis præſtantiſſimis, iisque theologicis, medicis, phyſicis & philoſophicis, item hiſtoricis, politicis, & iuris publici, nec non philologicis & varii argumenti, quorum omnium catalogus eius Epiſtolis præfixus eſt, pie placidiſſimeque acquievit A.1681. ætatis 75. Vide beati viri Vitam, quæ Catalogum ſcriptorum præcedit, Epp. clarorum virorum, editas a Io. *Brant*, & quidem Ep. 55. *Bailletum* in Anti T. II. 124. *Fellerum* Monum. inedit. p. 404. *Magirum* 233. atque doctorum virorum de ipſo iudicia & teſtimonia, quæ prædicto Catalogo ſubiunguntur. *Boineburgius* in Epp. p. 294. eum vocat totum ſuum; *Gravius* Epp. p. 202. plurimis in omni doctrinarum genere ſcriptis nemini paullo humaniori ignotum; *Schurzfleiſchius* Epp. ſelect. p. 60. virum admirandi ingenii, iudicii ſingularis, & immenſæ lectionis. Quid? uſque adeo illum ſolum ait in hiſtoria germanica excellere, & noſtris perinde, atque ceteris, lumen accendere, dignum, cui poſteritas ſtatuat illuſtratæ Germaniæ monumentum. Quin & hoc addit: Mihi ſatis erit ſequi veſtigia viri, & agnoſcere merita, ac referre poſteris magnum nomen; & diſp. de Henrico Leone (quæ eſt XXXII.) p. 9. virum ſua laude maiorem; denique Io. *Brunnemannus* Præfat. in Comment. de epiſcopis p. 21. virum æterna laude dignum, & unicum ſeculi ſui ornamentum. Notatur tamen a *Sarckmaſio* (qui ipſe eſt Schurzfleiſchius) in Actis Sarckmaſ. p. 4. *Morhofio* Polyh. T. II. 175. *Lintrupio* Præfat. in Borrichii Diſſertationes, & Dan. Guil. *Mollero* diſp. de Panvinio p. 23. Sed ſciendum, Diſſertationis illius, quam *Mollerus* tangit, reſpondentem, non ipſum Conringium, auctorem fuiſſe. Et cur a ſcriptis theologicis condendis atque edendis non abſtinuerit, ipſe prodit in *Conringianis* p. 137. Latitavit etiam ſub larva modo *Irenæi Eubuli*, modo *Cyriaci Thraſymachi*. Adverſarii, quos vel ipſe oppugnavit, vel qui eum oppugnarunt, ſunt ſequentes: Io. *Mulmannus*, Valerianus *Magnus*, Chriſtophorus *Haunold*, Vitus *Erbermannus*, Fratres *Walenburchii*, Dionyſius *Werlenſis*, Aeg. *Strauchius*, Io. Otto *Tabor*, Ol. *Borrichius*, *Colonienſis* quidam, ſive Anticonringii auctor, & Matthias *Waſmuth*.

Herm. CONRINGII de purgatorio Animadverſiones in Io. *Mulmannum*, & Programmata ſacra, circa dies feſtos publice

propoſita. Cum ipſius *Mulmanni* Aſſertionibus de purgatorio Helmſtadii 1651.

Ioannes (an Hieronymus?) *Mulmannus*, Lipſia-miſenenſis, ex lutherano factus ieſuita, in Collegio ordinis ſui monaſterienſi philoſophiæ & theologiæ lector, huiusque licentiatus, & Principis hadamarienſis a confeſſionibus, ſcripſit de Miſſis privatis, Calice euchariſtico, & Purgatorio contra G. *Calixtum*, de libris Maccabæorum contra Chriſtoph. *Scheiblerum*, & ex hiſpanico latine vertit Didaci *Saavedra* Ideam Principis chriſtiano-politici, denatus A. 1651. ætatis 51. *Witte* Diar. biograph. B b b. & Henr. Iul. *Blume* apud Crenium de Furib. librar. p. 277. qui ei obprobrat, omnia de Miſſis ſolitariis totidem verbis ex Pet. *Cottoni* Inſtitutione catholica, & ſingula propemodum verba ex *Bellarmino* tranſcripſiſſe.

COMMENTARII hiſtorici de electione VRBANI IIX, & INNOCENTII X. Pontificum, cum Proœmio Herm. *Conringii*. Helmſtadii 1651. Subiunguntur 1) GREGORII XV. Bulla de electione Pontificis, in qua ille ſedulam curandis eiusmodi electionum morbis operam impendit. 2) Io. Fran. *Lottini* Diſſertatio de Sacris Cardinalium comitiis, ſive de Conclavi. Edita primum italice cum aliis Diſſertationibus politicis, in volumine, cui Teſoro politico eſt nomen; a Caſp. *Ens* autem latine reddita. Et hæc, iudice *Conringio* in Præfatione, legi cum primis meretur, quoniam breviter, etſi non nihil confuſius, & cum quadam obſcuritate, omnes omnino artes ſacri Conclavis nos docet, idque poſt multa facta experimenta. 3) Diſſertatio *Anonymi* de creatione Pontificum. Scripta eſt circiter annum 1585. & partim illa confirmat, quæ a *Lottino* ſunt dicta, partim & alia habet non contemnenda: quamquam & non nulla poſt mutaverint, ut quod de Gallorum circa electionem Papæ ſtudiis narrat. 4) Excerpta ex Onuphrii *Panvinii* Notis ad Platinæ GREGORIVM X. & CLEMENTEM V. 5) PII IV. & GREGORII XV. Bullæ de Conclavi, eiusque cærimoniis. In Proœmio *Conringius* pluribus diſputat contra nimiam poteſtatem in ſpiritualibus & civilibus, quam Curia romana eiusque gnathones tribuunt Papæ, oſtenditque, quo modo vetus illa & genuina Pontificis electio inde iam a multis temporibus degeneraverit; in Præfatione autem de ſingulis fere ſcriptis verba facit, ſuumque indicat propoſitum, quod ſit, clariſſimis

Digitized by Google

mis documentis oſtendere, Conclave Cardinalium antiquis moribus & morbis hodieque agitari, quantumlibet illis curandis poſt alios GREGORIVS XV. medicam adhibere manum ſuſtinuerit. At nec fidem omnium tamen, quæ in hiſce ſcriptis dicuntur, præſtare audet.

Herm. CONRINGII Defenſio eccleſiæ Proteſtantium adverſum duo Pontificiorum argumenta, petita a ſucceſſione epiſcoporum ac presbyterorum ab Apoſtolis uſque derivata. 1654. Primum argumentum hoc eſt: Vbicunque datur ſucceſſio perpetua epiſcoporum ab Apoſtolis uſque, ibi eſt vera & catholica Eccleſia. Atqui Romæ datur talis ſucceſſio. Ergo. Secundum: Vbicunque non reperiuntur epiſcopi & presbyteri, ordinati ab iis, quibus, perpetua ab Apoſtolis legitime facta ſucceſſione, ius eſt ordinandi, ibi non eſt vera eccleſia. Atqui apud Proteſtantes non reperiuntur eiusmodi epiſcopi & presbyteri. Ergo.

Pag. 58. 59. Eccleſia Alexandrina epiſcopos ſuos per Presbyteros ordinari & conſecrari fecit, teſte Hieronymo ep. ad Euagrium: Alexandriæ a Marco euangeliſta, uſque ad Heraclam & Dionyſium epiſcopos, *Presbyteri* ſemper unum ex ſe electum in excelſiore gradu collocatum *Epiſcopum nominabant.*

Addenda etiam ſunt, quæ ibidem ſequuntur: Quid enim facit *excepta ordinatione* epiſcopus, quod non faciat presbyter? Chriſt. *Helovich* de Ordinat. presbyter. 176.

EISVDEM Fundamentorum fidei pontificiæ Diſcuſſio 1654. Summa huius diſputationis in eo verſatur: nec Papam nec romanæ eccleſiæ Epiſcopos, qui in conciliis, quæ œcumenica vocantur, ſedent, divinis indubitatæ fidei tabellis poſſe oſtendere, ſe eos eſſe, quos volunt ſe credi, & quales a vulgo miſere decepto creduntur, ſanctiſſimi videlicet Numinis in hiſce terris circa fidem & mores infallibiles vicarios.

EIVSDEM Reſponſio ad Valerianum Magnum pro ſua Concuſſione Fundamentorum fidei: Cum *Valeriani Magni* libello, quem vocat Concuſſionem examinatam & retortam in Acatholicos. Helmſtadii 1654.

Valerianus *Magnus*, ex nobili Mediolanenſium familia, nomen *Valeriani* aſſumſit, cum in ordinem intraret Capucinorum, fuitque apud eos philoſophiæ & theologiæ lector, poſtea a Papa VRBANO IIX. factus miſſionarius per totam Germaniam, Poloniam, Bohemiam & Vngariam. Et quamvis parum abeſſet a Cardinalis dignitate, præſentem tamen vitæ ſtatum, & labores miſſionis ei præferendos duxit. *Peripateticis* eo inviſus erat, quod plures Ariſtotelis errores indicaſſet. Neque tantum cum *Conringio* pugnavit, ſed etiam cum *Haberkornio*, Georg. *Calixto*, & aliis. Tandem poſt varios caſus, poſt tot diſcrimina rerum, (nam ut novitatum ſectator accuſatus, atque in terribilem coniectus eſt carcerem, donec ſuo cum honore, & ſingulari gratia ſacratiſſimi Rom. Imp. FERDINANDI III. inde liberaretur) recepit ſe Salisburgum, ibique diem ſuum obiit, cum annos ætatis explevíſſet 75. *Kœnig* 495. 827. & *Baillet* in Anti T. I. 259.

Herm. CONRINGII Animadverſiones in Chriſtoph. *Hanoldi* libellum Concuſſioni fundamentorum fidei pontificiæ oppoſitorum. 1654. Adiectus eſt ſub finem libellus ipſe, hoc titulo: Pro infallibilitate eccleſiæ romanæ Notæ reſponſoriæ.

P. Chriſtoph. *Haunold*, e Societate Ieſu, theol. D. & profeſſor in Vniverſitate ingolſtadienſi, floruit anno 1654. & laudatur a *Conringio* in Epiſt. ſive Præfatione ad ipſum ſcripta, quod diſputatoris officio rectius functus ſit, atque *Valerianus*.

Herm. CONRINGII Examen libelli, a Vito *Erbermanno* Concuſſioni fundamentorum fidei pontificiæ oppoſiti. Helmſtadii 1654. Sub finem additus eſt libellus ipſe, quem auctor inſcribit: Interrogationes apologeticæ ad Herm. *Conringium*. In Epiſtola ſive Præfatione ad Erbermannum conqueritur *Conringius* de eius conviciis, mendaciis & ſycophantiis, neque a medico alienum oſtendit eſſe, etiam ſacra tractare, atque in campum excurrere controverſiarum theologicarum.

Vitus *Erbermann*, francus, Societatis Ieſu, primum humaniorum, deinde philoſophiæ, tandem theologiæ profeſſor, & Seminarii fuldenſis per ſeptennium ſuperior ſive rector, publicavit Vindicias pro *Bellarmino* contra *Ameſium*, Parallela veræ & falſæ eccleſiæ, Antarcticum contra Mart. *Becrium*, vitamque terrenam clauſit A. 1675. ætatis 45. *Kœnig* 278. *Baillet* d'Anti T. II. 46.

Herm.

Herm. CONRINGII Reſponſio altera pro ſua Concuſſione fundamentorum fidei pontificiæ, ad *Valeriani Magni* Epiſtolam nuperrimam: quæ calci opuſculi ſubiungitur. Helmſtadii 1655.

EIVSDEM Epiſtola de electione ALEXANDRI VII. Papæ. Helmſtadii 1655. Opponitur illa Appendici Examinis *Erbermanni:* & ipſa huius Appendix acceſſit.

Petitiones CARDINALIVM XXXIII. principalium pro obtinendo pontificatu ad Chriſtum dominum, cum Domini reſponſione ad ſingulos. Iuxta exemplar romanum. 1655.

Archiepiſcopi mechlinienſis (Iacobi BOONEN) Rationes, ob quas a promulgatione Bullæ, qua proſcribitur Cornel. *Ianſenii* Auguſtinus, abſtinuit. 1649. Rationes illæ ex mandato regio fuerunt ab auctore congeſtæ, Catholicæque Maieſtati exhibitæ; & hic quidem e gallico in latinum translatæ comparent. Per Bullam autem intelligitur VRBANI IIX. Bulla, non prior A. 1641. ipſis Kal. Aug. ſed poſterior A. 1642. pridie Nonas Martii edita. Vide Caſp. *Sagittarii* Introduct. in Hiſtor. eccleſiaſt. T. I. 996. & l' Hiſtoire du Ianſeniſme, Tome I. 203. 269. Tome II. 88. 178. 247.

LXXXVI.

Michaëlis VEHE Aſſertio ſacrorum quorundam axiomatum, quæ a quibusdam ſæculi noſtri pſeudoprophetis (ſic Proteſtantes vocat) in periculoſam rapiuntur controverſiam. Lipſiæ 1535. Ex bibliotheca G. *Calixti.* Occaſionem librum hunc ſcribendi dedit auctori eius frater, rogans, ut ſibi aliquid componeret e penu ſcripturæ divinæ, quo poſſet uti, ſi quando opus foret, adverſus pietatis temeratores. Differit igitur de eccleſia, concilio, magiſtratus eccleſiaſtici poteſtate, & humanarum legum utilitate, atque obligatione: de lege cœlibatus clericalis, communione ſub una, confeſſione auriculari, neceſſitate ſatisfactionis, iugi eccleſiæ ſacrificio, vera & ſubſtantiali præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in altaris ſacramento, Sanctorum invocatione, veneratione & cultu, eorumque beatitudinis acceleratione, baptiſmo parvulorum, exorciſmo earum rerum, quæ paſſim in uſum hominis veniunt, votis monaſticis, fide & operibus, ac iuſtitia chriſtiana.

Michaël *Vehe*, dominicanus, theol. doctor, atque halenſi in Saxonia eccleſiæ præpoſitus, vixit anno 1535. & ſcripſit librum pro Miſſa contra Lutheranos, & condemnatorum ſacrilegii Vindicationem de novo Bugenhagico patibulo. *Friſius* Epit. Bibliothec. Geſner. p. 610. Et laudanda eſt auctoris modeſtia, qua utitur in præſente libro, rem ipſam tractans, ſine enormibus conviciis.

Arnaldi ALBERTINI Tractatus de agnoſcendis aſſertionibus catholicis & hæreticis. Venetiis 1571. Ita iam emendatus, ut, ſi priori comparatur editioni, e tenebris in lucem prodiiſſe videatur. Quæſtiones tractantur XXXVI. ad locum de hæreſi & hæreticis ſpectantes, ut, quis dicatur propriiſſime hæreticus, quid ſit pertinacia, de veritate catholica, de intentione ſcriptorum dicentium, ſe non intendere aliquid dicere contra fidem, an ſit hæreticum, proponere aliquid contra ſententiam eccleſiæ Patrum, vel dicere, virginem Mariam in peccato conceptam eſſe originali, nec ſubiiſſe mortem temporalem: infantes ſine baptiſmo in uteris decedentes precibus, fide & benedictione parentum expiari: Hiſtoriam alicuius ſancti ab eccleſia receptam maioris eſſe auctoritatis, quam dicta Euangeliſtarum: ſtrigos ſtrigasve, nec non lamios lamiasve rapi a dæmone corporaliter, & deduci in certa loca: de confeſſione mulieris, quæ ait, ſe infantem ſuffocaſſe, de iuramento per membra (ſi ita loqui fas eſt) Dei, de libris hæreticis, de chriſtiano ex iudæis deſcendente, & veſperam ſextæ feriæ, non tamen ſabbatum celebrante. Atque hæ Quæſtiones ſunt reliquiæ Speculi inquiſitorum, e naufragio ſervatæ: cum enim illud adferretur impreſſoribus tradendum, triremes autem naufragium paterentur, totusque pæne tractatus fluctibus marinis abreptus eſſet, pauca chartarum folia ſalva manſerunt; unde poſtea, ne labor auctoris penitus periret, Quæſtiones illæ, quæ hic exhibentur, collectæ, & in publicum productæ ſunt, Nec reticendum, Tractatum ab *Albertino* indigeſtum relictum, a *Bartholomeo* autem *Sebaſtiano*, illius in epiſcopatu & inquiſitione hæreticæ pravitatis ſucceſſore, reviſum, emendatum & expolitum: ſeptimam & decimam quæſtionem, quæ agit de B. Maria virgine, an in peccato concepta ſit originali, de mandato Superiorum fuiſſe correctam & moderatam, & iuxta illorum correctionem & moderationem impreſſam, p. 54. per SIXTI IV. Extravagantem, quæ incipit *Grave nimis*, non cenſeri hæreticos, qui

Mariam

Mariam cum peccato originali conceptam eſſe ſtatuunt, ſed ſilentium imponi prædicatoribus, qui ſe ſe invicem hæreſeos accuſaverint. p. 55. Hæreſin eſſe opinionem vel aſſertionem, ſeu dogma falſum catholicæ veritati contrarium, in eo, qui chriſtianam fidem profeſſus eſt. p. 3. Mirum, quod in lectionibus matutini officii de aſſumtione virginis Mariæ legatur hodie ſermo B. *Hieronymi*, cum tamen ille de ea dubitet: & ideo convenientiorem eſſe Sermonem B. *Auguſtini*, qui hanc ſententiam teneat ac defendat. p. 57. Paucos hodie apparere Epiſcopos, qui curam legendi libros hæreticorum, ad eorum confutationem habeant, partim ob defectum ſcientiæ, partim ob multiplices occupationes. p. 177. *Barthol. Sebaſtianus*, epiſcopus pactenſis, in Præfatione, quam ipſe compoſuit, opus hoc vocat aureum, & Damianus *Zenarus*, eius editor, in Dedicatione ait, ſe innectenda curaſſe eiuſdem argumenti (Ioannis) *Calderini* librum, & *Formam* procedendi contra hæreticos, ex Rochi *Catanei* inſtructiſſima bibliotheca depromtam; ſed illa in hoc codice non adſunt.

Arnoldus *Albertinus*, maioricenſis, utriuſque cenſuræ doctor, epiſcopus pactenſis, atque in Sicilia citeriore inquiſitor olim apoſtolicus, floruit medio ſæculi XVI. atque inter eos, qui de Aſſertionibus catholicis & hæreticis ſcripſerunt, *Zenaro* iudice, excelluit, primaſque ſibi vindicavit, & iuriſconſultus fuit celeberrimus. Apud *Friſium* in Epitome Biblioth. Geſner. p. 80. legimus, invenire ſe, eundem ſcripſiſſe ſuper SextumDecretalium, *de hæreticis*; ſed ſtatim addit, arbitrari, eundem eſſe librum, atque noſtrum, quem paullo ante recenſuimus.

Ioannis PISTORII Epiſtolæ III. ad Io. Pappum. Coloniæ 1594. In prima hortatur Pappum ad ſtudioſius ſervandum ſuum iusiurandum, Emetingæ factum, cum ſe oſtenſurum promitteret, S. *Auguſtinum* cum omnibus Auguſtanæ confeſſionis articulis conſentire; in ſecunda refutat Parallela Pappi, & in primis Præfationem in illa ipſa: in tertia demonſtrare prætendit, neminem mortalium per ſæcula XV. catholicum vel orthodoxum, virum vel feminam, ſenem vel iuvenem ſenſiſſe de fide Chriſti, ac credidiſſe æque, ac *Lutherum*. Quibus adduntur Parallela nova de *Huſſi* & *Lutheri* in omnibus controverſiis diſſenſione.

Ep. III. cap. 3. p. 193. Recentiores Græci *diſſident a nobis in articulis ſex:* proceſſione Spiritus ſancti; uſurpatione fermentati panis in S. cœna; medio conſecrationis in Miſſa; primatu rom. eccleſiæ; uſu veteris, & ante ſacerdotium initi matrimonii in clericis; & exhibitione duarum ſpecierum in ſacramento altaris. *In reliquis omnibus ſentiunt nobiſcum. Græci non celebrant Miſſam ſine communicantibus.* Hæc verba ſuo adſcripſit *Calixtus* exemplari, iam meo.

Io. *Piſtorius*, niddanus haſſus, primum medicus, deinde ICtus & conſiliarius Marchionis badenſis, poſtea ſeceſſu a Lutheranis facto, & perducto in ſuas partes ſereniſſimo Marchione *Iacobo*, theol. doctor, protonotarius apoſtolicus, canonicus conſtantienſis, & Auſtriæ ac Bavariæ Principum conſiliarius, ad extremum Cæſareæ Maieſtatis RVDOLPHI II. a conſiliis & confeſſionibus, & cathedralis eccleſiæ wratislavienſis præpoſitus, ubi tamen invidiam ac repugnantiam Canonicorum expertus eſt, publicavit Librum de vera curandæ peſtis ratione, Tomos illuſtrium veterum ſcriptorum de rebus germanicis, qui commendantur a *Morhofio* Polyhiſt. Tom. III. 109. Chronicon rerum belgicarum, Tractatum de arte cabbaliſtica, Anatomiam *Lutheri*, Analyſin Theſium Iac. *Heerbrandi* de viſibili eccleſia & iuſtificatione, de Scriptura, an ſola ſit norma fidei, nec non de ſacramentis, contra Iac. *Grynaeum*, Hiſtoriam colloquii inter Theod. *Buſeum* & Io. *Piſtorium* ab una, & Iac. *Andreæ* atque Iac. *Heerbrandum* ab altera parte, Retorſionem contra *Oſiandri* calumnias, Falſitates Aeg. *Hunnii*, & Deductionem, quod eccleſia lutherano-calviniana non ſit vera eccleſia, vitaque exceſſit Friburgi in Briſgovia A. 1607. ætatis 63. *Baillet* in Anti, ac *Witte* in Append. Diarii biograph. ad annum 1607.

LXXXVII.

Henrici MARCELLII Sapientia pacifica filiorum Dei. Coloniæ Agrippinæ 1661. Conſtat III. libris, quorum primus agit de mediis exaltandi Eccleſiam (romano-) catholicam, adverſarios

rios reconciliandi, & hoc pacto unionem ſtabiliendi univerſalem, eique accedunt Conſiderationes pacificæ, & Canones benignæ cum Catholicis reconciliationis adverſariorum omnium, qui chriſtiano nomine gloriantur; ſecundus de arte interpretandi ſcripturas divinas, & canonibus eas interpretandi; tertius de regno Chriſti glorioſo, hoc eſt, eminentia, infallibilitate, ac firmitate perpetua eccleſiæ & religionis chriſtianæ, ceteriſque illuſtribus utriuſque prærogativis. In Præfat. in I. Partem. nec non Epiſt. dedicat. III. Partis p. 187. de hæreticis differit, diſtinguens inter ſimpliciter errantes ac pertinaces, & conteſtans, ſe ſe id non de errantibus & incautis, ſed de formalibus ſive proprie acceptis hæreticis intellectum velle, & hac de cauſſa ſemper, quoad fieri potuerit. vim diſputationis omnem in ipſum hæreſeos vitium, quod deteſtari ſe fareatur, non in perſonas Chriſti ſanguine redemptas, quas eo quo par eſt amore proſequatur, convertere ſtuduiſſe. Quis vero huius operis ſcopus ſit, exponit auctor in epiſtola ad Spindlerum, profeſſorem coburgenſem, in lucem producta ab auctoribus *Relationum. innoc.* A. 1712. p. 366. videlicet hic, ut Deus pacis & concordiæ, qui ſumma ſapientia eſt, animos uniat, & reducat omnes, qui chriſtiano cenſentur nomine, ad eam fidei & religionis unitatem, quam Chriſtus magiſter noſter tam graviter nobis, quam frequenter inculcaverit. Medium autem ei videtur præſtantiſſimum, ſi procedatur ſecundum conſiderationes pacificas, & canones benignæ reconciliationis his Partibus propoſitos, ſi videlicet, remoto omni contentionis ſtudio, modeſta collatio utriuſque partis humanitate benevolentiaque ſublevetur; ſi veritati inquirendæ, ſublatis interpellationibus, candide, placide, conſtanter ad plenam uſque ſatisfactionem inſiſtatur, propoſita ut fine gloria Dei, & concordia ac ſalute eccleſiæ; ſi propoſitiones congruo ordine, cardinales præſertim & principales, ad divinæ ſcripturæ libram, iuxta communes interpretandi leges, expendantur; ſi denique progreſſus non fiat ad poſteriora, niſi prioribus rite ponderatis.

P. II. p. 293. Editio (Bibliorum) *hebraa corrigenda eſt ex latina potius*, quam contra: hæc enim autheutica & *infallibilis fidei eſt* non

Concilium trident. *Seſſ.* 4. neutrum dicit, ſed hoc duntaxat, Vulgatam *ex omnibus latinis editionibus* pro autheutica habendam

ſolum quoad dogmata & mores, verum etiam quoad rerum geſtarum hiſtoriam, ut recte *Tridentinum Seſſ.* 24. de editione Bibliorum.

P. III. 261. 267. Vel hodierni novatores (*Proteſtantes*) *haeretici ſunt*, vel nullus unquam ſub chriſtiani nominis profeſſione fuit hæreticus. Perſpicuum fit, Sectarios huius ævi omnes *vere eſſe & proprie dictos cenſendos hæreticos.*

bendam eſſe, *in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus.* Vide *Canum* Locor. theol. lib. II. c. 13. p. 58.

Sed *mitius iudicat* p. 276. Io. Conr. *Dürrius* diſputat. de Hæreticis p. 44.

Henr. *Marcellius* ſive *Marcelli*, Sommorii in diœceſi ſilvæducenſi natus, Soc. Ieſu, Moguntiæ docuit philoſophiam & mathematica, Rhemis autem, Molshemii & Bambergæ, ubi mitram doctoralem accepit, theologiam, in publicum emiſit Proteſtationem chriſtianam & æternæ ſalutis in ſola religione catholica aſſecurationem, Diſſertationem de auguſtiſſimo corporis & ſanguinis dominici ſacramento, Artem bene vivendi, & Commentarium in librum Ioſuæ, obiitque anno 1664. ætatis 71. *Baillet* in Anti p. 213. Theologus coburgenſis, D. Io. Chriſtoph. *Seldius* oppoſuit ei Anti-Marcellium, ſeu Refutationem Proteſtationis chriſtianæ & ſalutaris, Exercitationes de iuſtificatione, Theologiæ marcellianæ & hæreticæ parallelismum geminum. Interim a *Walenburchiis* T. III. Operum p. 135. vocatur doctus theologus, & ipſorum amicus, atque a *Durrio* diſp. de Heret. laudatur ob modeſtiam & candorem, tam ex colloquiis aliquando cum eo habitis, quam ex ſcriptis perſpectum.

Adolphi Godefridi VOLVSII Aurora pacis religioſæ, divinæ veritati amica. Moguntiæ 1665. Hoc ſcriptum auctori videtur eſſe diciturque demonſtratio evidens & ſolida, quod Cœtum invariatam confeſſionem auguſtanam ſincere amplectentium reconciliatio & unio cum S. catholica Eccleſia romana, ſalvis eorundem Proteſtantium hypotheſibus, & illæſa veritate divina, nec ſit impoſſibilis, nec inconſulta; oppoſita diſputationibus, quas in contrarium habuere Sam. *Mareſius*, Fran. *Turretinus*, Sebaſt. *Curtius*, Ger.

Ger. *Titius*, & Meno *Hannekenius*, aliique recentiores. Atque in Epiſtola dedicatoria putat, nihil magis huic pacificationi accommodum, quam ſi Proteſtantibus fidei catholicæ doctrina ſincere proponatur, & quam inique a multis doctoribus hæreſeos in doctrina, idolomaniæ in cultu, tyrannidis in eccleſiaſtico poſtuletur regimine, in ſpiritu manſuetudinis ad oculum demonſtretur, & hunc ad ſcopum ſuam credit collineare ſcriptionem. In Præfatione autem, poſtquam faſſus erat, pleriſque exoſum eſſe religioſæ pacificationis conſilium, atque ideo multos bonos viros inde retrahi, ſuadet, intemperantiores tam catholicæ, quam Proteſtantium communionis zelotas, Imperatoris, Regum ac Principum auctoritate in ordinem redigendos, pios autem, doctos & prudentes viros, qui amice inter ſe conferant, congregandos eſſe, ut pacem atque concordiam ineant.

Pag. 63. Audet (Ger. *Titius* Oſtenſ. ſummar. p. 89.) verba adſcribere eximii theologi, Matthæi Galeni, (quaſi poſt tridentinum Concilium *novitatem & difficultatem ſacrificii Miſſæ veri ac proprii* perviderit & prodiderit) *quorum ne quidem apex in tota illa Catecheſi* 143. apparet.	Exſtant in *Catecheſi* 134.
Vt *mihi perſuadere nequeam, D. Titium hunc Galenum legiſſe.*	*Legit* in eodem, quod habuit G. *Calixtus*, quodque ego iam poſſideo, exemplo.
Editio (Galeni illius) mea, qua utor, anno 1593. Lugduni apud Thomam *Severon* impreſſa eſt.	Apud Thomam *Soubron*.
77. In oppido auſtriaco *Steinach* ad Danubium.	*Stein*, latine Steina.

Adolphus Godefridus *Voluſius*, S. theol. doctor, ſummæ ædis moguntinæ paſtor & eccleſiaſtes, Electoris & Archiepiſcopi moguntini ſigillifer maior, eccleſiæque collegiatæ B. Mariæ virginis in gradibus decanus, qui vitam & miracula S. *Willigiſi* literis com-

 plexus

plexus eſt, hiſce pacis cogitationibus hoſtes ſibi excitavit Io. *Niſanium*, Wilh. *Verpoortenium*, & Sam. *Mareſium*, cui quidem Defenſionem Auroræ oppoſuit, floruitque anno 1665.

LXXXIIX.

Auguſtini GIBBON de Burgo Luthero-Calviniſmus, ſchiſmaticus quidem, ſed reconciliabilis. Erfurti 1663. Abſolvitur IV. Diſputationibus, quarum prima de neceſſitate agit unius veræ eccleſiæ amplectendæ; ſecunda de veræ eccleſiæ viſibilitate & indefectibilitate; tertia de iniuſta ac inſufficienti cauſa ſchiſmatis adverſariorum; quarta, eaque irenica, de Luthero-Calviniſmi reconciliabilitate: ubi conditiones pacis, a Georg. *Calixto* propoſitæ, expenduntur. Ioſephum quidem *Hallum*, ait in Præfatione, Romam ſcripſiſſe irreconciliabilem, & Io. *Hülſemannum* Calviniſmum irreconciliabilem; ſed aliam ſibi ſedere mentem.

Aug. *Gibbon* de Burgo, hibernus, ordinis Eremit. Auguſtini, theol. doctor, in academia erfurtenſi profeſſor, in pleriſque *Erbermannum* ſecutus, in Primam Secundæ *Thomæ* commentatus eſt, nec vidit quenquam, qui ſuo ſe opponeret libro irenico. Eccur vero? quia, ut I. F. *Mayero* in Syllabo ſcriptor. præcipuorum, qui Romam reconciliabilem voluerunt, p. 26. placuit ludere, canis ovium dixerit, dentes ſuos lupo eſſe ſervandos: latratus enim ac vellicationes caniculorum parum ſibi damni afferre poſſe. Cui adde *Relat. innoc.* A. 1704. 338. Sed alii melius de eo iudicant: & *cenſores* quidem opus eius vocant docte, modeſte & ſolide conſcriptum, Quir. *Kunckelius* Lilii inter ſpinas p. 402. exquiſitum, ac præſtantiſſimum; ſicut idem auctorem ſalutat doctiſſimum, & Io. Lud. *Fabricius* Operum p. 430. ſubtiliſſimum & candidum.

F. DIONYSII Werlenſis Via pacis inter homines per Germaniam in fide diſſidentes. Hildeſii Saxonum 1686. Eſt, uti auctor in rubro interpretatur, tractatus irenicus, in quo, auſpice Deo, pacis principe, graviſſima religionis (Romano-catholicos inter, & Proteſtantes) diſſidia, rempublicam chriſtianam, & cum primis germanicam, affligentia, pacifice componuntur. *Neque enim*, ſunt verba prioris Præfationis, *via pacis eſt, præfervide & temere de rebus fidei controverſis diſputare, clamitare & ſcriptitare; ſed cum cura, & uſitato apud Germanos candore diſquirere, utrum illa,*

qua

qua in adverſariis impugnas, quaque in tua duntaxat partis ſcriptoribus legiſti, abſurda re vera doceat pars adverſa. Hoc ſi obſervetur, in pluribus, hactenus zelo amaro controverſis, eo ipſo compoſita lis eſt, & pax amica refulget. Errores autem corrigantur in ſpiritu lenitatis. In altera Præfatione dolet auctor, multa tribui parti ſuæ aliena, ſed nec inter Catholicos fatetur deeſſe, qui ſimili modo peccent, & ſiniſtra falſaque perſuaſione decepti clament, Lutheranos docere, fidem *ſolitariam* iuſtificare atque ſalvare; bona opera nec eſſe meritoria, *nec neceſſaria:* iuſtificatos non habere veram, intrinſecam & inhærentem iuſtitiam, ſed *tantum extrinſecam & imputatam*; aliaque huius modi plura. Operam igitur dat, ut utramque partem ſiniſtris ac falſis, quas in materia de fide & iuſtitia fidei de ſe invicem conceperint, opinionibus liberet, atque oſtendat, præiudiciis amputatis non eſſe, quod amplius de ſequentibus, omnium graviſſimis, fidei controverſiis litigent, nimirum de Fide iuſtificante, Iuſtificatione, Iuſtitia imputata & inhærente, Poſſibilitate legis implendæ, Peccato veniali, Bonorum operum neceſſitate & merito, ac Fiducia in iis locanda. Atque hoc opus ita tractat, ut multa doctorum utriuſque partis dicta ac teſtimonia in medium afferat, iiſque propoſitiones ſuas probet ac confirmet. Liber certe non eſt lectu indignus.

EIVSDEM Catholiſcher Ehrenretter, id eſt, Vindex honoris Catholicorum. Hildeshemii 1698. In quo, productis per XXII. capita imputationibus, oſtenditur, catholicam & publicam doctrinam nunquam fuiſſe aliam, quam de pretioſo Chriſti merito, per quod homines iuſtificentur, neque ab hac doctrina maiores unquam receſſiſſe, adeoque nec iure condemnandos, & orco addicendos eſſe. Suorum igitur teſtimonia, quibus unicus ſalvator Ieſus Chriſtus agnoſcitur, magno numero adducit; & quia illi libri, unde excerpta depromta ſunt, in pauciſſimorum ſunt manibus, immo pauciſſimorum oculis uſurpati, ideo compendium hoc iis legendum eſt, qui veritatis & æquitatis rationem habent, atque ab iniuriis abſtinere volunt. Neque tamen offendantur, ſi quando vident, auctorem interdum commotiorem eſſe, & accuſationes, quas ipſe pro falſis habet, acriori, quam par eſt, ſale excipere: in hoc enim humani quid paſſus eſt.

P. *Dionyſius*, a loco nativitatis *Werlenſis*, dictus, Provinciæ colonien-

colonienſis capucinus, & concionator ædis monaſterii ſui ordinis in civitate hildeſienſi, vir pius, & multæ lectionis, paciſque & concordiæ perquam ſtudioſus, edidit Pſeudopœnitentem correctum, Libellum de IV. noviſſimis, Doctorem miſſæ, & Tractatum de unico mediatore ac redemtore Ieſu Chriſto, pro tali ſemper a Catholicis agnito, curſumque vitæ ſuæ conſummavit Hildeſiæ A. 1709. ætatis 70.

Dan. LOSSII Apologia veritatis, contra M. Vlrici *Hardingi* Anti-Loſſium. Germanice. Hildeshemii 1697. Tribus conſtat Partibus, quarum prima auctor Teſtimonium veritatis ſuum pro fide romano-catholica vindicare prætendit: in ſecunda S. *Vincentii* lerinenſis doctrina & honor defenditur: in tertia *Hardingi* dogmata ex fundamento, uti ſcriptor loquitur, confutantur.

Dan. *Loſius*, natus Stadæ, Epiſcopi hildeſienſis, & S. R. Imperii Principis a conſiliis aulicis & regiminis, obiit valde ſenex, & oculis captus, A. 1718. Eiusdem ſunt ſequentia ſcripta: Authenticum pro fide romano-catholica veritatis teſtimonium SS. Patrum, qui primis IV. aut V. vixerunt ſæculis, 1690. Victoria & triumphus contra Vlrici *Hardingi* Anti-Loſſium, 1698. Confirmatio victoriæ & triumphi, 1699. &, ſub ficto nomine Pacifici *Lugenfeindii*, Diſcuſſio Exercitationis Sam. *Pufendorfii* de conſenſu & diſſenſu Proteſtantium, 1696.

LXXXIX.

Gerardi HAGEMANNI Defenſio Profeſſionis fidei catholicæ, & Expoſitionis eiuſdem doctrinæ Iacobi Benigni *Boſſueti*, contra D. Valentinum *Alberti*. Neuhuſii 1695. D. Valentinus *Alberti*, profeſſor lipſienſis, ediderat Examen Profeſſionis fidei tridentinæ, nec non Expoſitionis doctrinæ catholicæ Iac. Ben. *Boſſueti*, Lipſiæ 1692. 12. Contra hoc Examen & Profeſſionem fidei catholicæ, & Expoſitionem Boſſueti defendere nititur Hagemannus, cumque illæ ſint ſimplices, probationibuſque deſtitutæ, ipſe probationibus & argumentis conquirendis atque adducendis operam navat. Adiecit auctor 1) Præfationem, in qua id agit, ut oſtendat, capita Profeſſionis ſuæ eccleſiæ non abhorrere a placitis veteris eccleſiæ, nec vel *Boſſuetum* tridentino fucum concilio alleviſſe, quoniam erubeſcat ſuper doctrinis maiorum ſuorum, vel hoc eſſe

eſſe Romano-catholicorum principium: *Papa dixit*: 2) Diſſertationem de infallibili fidei traditione, p. 1. 3) Additiunculam de Programmate D. Io. *Simonis* adverſus Programma Albertinum. p. 274. 4) Reſponſum ad *Alberti* ſcriptum, & quidem ad eius paragraphum ſecundum. p. 284. Nimirum cum nondum edita eſſet *Hagemanni* Defenſio, placuit Doctori *Alberti* eam excipere tractatulo germanico, inſcripto, Beſcheidentliche Abſchüttelung der Zuckerrœſgen, h. e. Modeſta Decuſſio roſularum, quæ ſaccharo condiuntur, eumque accuſat calumniæ, qua *Conringium* oneraverit, commiſſi erroris de Io. Chriſtoph. *Becmanno*, quem Lutheranis adſcripſerit, nimis longæ tractationis doctrinæ de animæ origine, calumniarum, conviciorum atque impertinentium, quæ ex eius Defenſione præſumantur. Quæ omnia *Hagemannus* a ſe removet, & de Becmanno ignorantiam fatetur ſuam. Editæ autem Defenſioni idem *Alberti* oppoſuit Epiſtolam apologeticam A. 1696. 4. de qua vide vener. abbatis I. A. *Schmidii* Tomum II. Introduct. Sagittar. p. 14. 49.

Pag. 285. Fuit Dn. *Conringius* mire doctus, & decus illuſtris atque inſignioris academiæ Iuliæ, *Iuris publici* ac politicæ profeſſor excellens, | Fuit Prof. *Medicinæ*, & *Prudentia civilis*, ſive politices. Sub qua quidem, ſecundum Statuta academica, etiam Ius publ. comprehenditur. Vide *Vitam* eius.

Gerardus *Hagemann*, natus Horſtmariæ in diœceſi monaſterienſi, ordinis Benedicti, imperialiumque, liberorum & exemtorum werthinenſis & helmſtadienſis Monaſteriorum profeſſus, ſcripſit etiam de Omnigena hominis nobilitate libros IV. & mortem cum vita commutavit A. 1702. ætatis 63. *Maurus*, illuſtris abbas Lambſpringenſis, Defenſionem eius catholico putat ſpiritu ſcriptam eſſe, & Mart. *Stiefken*, Prior werdinenſis, multa in ea inveniri, quæ ſint aptiſſima ad fidem catholicam in fidelibus augendam & confirmandam.

Iacobi GRETSERI de Cruce Chriſti Tomi III. Ingolſtadii 1608. Volumina II. In quibus, quidquid de ipſa Cruce Chriſti, eiuſque ſigno dici poteſt, ſolicite congeritur & adponitur. Editio tertia, eaque auctior, ac melior illa in folio, teſte *Crenio* Animadverſ. P. XV. 36. Primo Tomo acceſſerunt 1) Iacobi *de Vitriaco* liber III. Hiſtoriæ orientalis, ſeu de expeditionibus cruciatis.

2) Oratio *Calliſti* in exaltationem S. crucis. 3) Oratio *Georgii* mitylenæi in ſalutiferam Chriſti paſſionem. In ſecundo Tomo, præter laborem tot & tam diverſos auctores colligendi, Latioque donandi, nihil eſt auctoris: qui tamen fatetur, ſe ſe hac in opera præclare adiutum fuiſſe ab illuſtri & eruditiſſimo viro, Marco *Velſero*: hic enim apparent de Inventione S. crucis, *Alexander* monachus, *Georgius* hamartolus, S. *Ambroſius*, S. *Paulinus*, *Sulpitius* Severus, *Rufinus*, *Theodoretus*, *Socrates*, *Sozomenus*, *Nicephorus*, LEO Imperator, Petrus *Damiani*; de Exaltatione S. crucis, Typicum S. *Saba*, *Curopalata*, *Sophronius* patriarcha hieroſolymitanus, *Andreas* archiepiſcopus cretenſis, *Ioſephus* archiepisc. theſſalonicenſis, *Theophanes* Cerameus archiep. Tauromeniæ in Sicilia, LEO Imperator, *Pantaleon* presbyter, *Germanus* patriarcha CPtanus, duo incerti auctores, *Macarius* archiep. philadelphienſis: de Adoratione S. crucis, ex Typico S. *Saba*, ex Triodio *Græcorum*, *Curopalata*, S. *Chryſoſtomus*, *Sophronius*, *Theodorus* Studites, *Germanus*, Ioannes *Xiphilinus* patriarcha CPtanus, *Philotheus*, incertus auctor, *Theophylactus*; de Feſto S. crucis, ex Typico S. *Saba*, *Timotheus* presbyter antiochenus; de Paraſceve, *Gregorius* M. *Athanaſius*, *Chryſoſtomus*; In crucem abſolute, S. *Ephram*, *Chryſoſtomus*, *Methodius*, *Damaſcenus*, *Severianus* Gabalorum epiſcopus: de Apparitionibus S. crucis, *Gelaſius*, *Cyrillus*, *Procopius*, Theophylactus *Simocattus*, Pet. *Damiani*; & Oratio *Germani* de reſtitutione imaginum. Tertius Tomus V. libris comprehenditur, quorum primus eſt de nummis crucigeris, ſecundus de cruciatis expeditionibus; cum apologia pro iiſdem contra *Dreſſerum* & *Reineccium*, tertius de uſu & cultu crucis contra *Danaum* & *Marbachium*, quartus hymnos & encomia, quibus Græci pariter ac Latini S. crucem celebrarunt, & quintus Paralipomena ad Tomum I. continet. Appendix huius operis, ſi *Du Pinium* Tomo XVII. Biblioth. ſcriptor. eccleſ. audimus, agit de potu duplici, Chriſto in extremis propinato, de lotione pedum, de peregrinationibus, de proceſſionibus, diſciplina flagellorum, feſtis chriſtianorum, funere, & iure prohibendi libros noxios. Mich. Frid. *Lochnerus*, archiater cæſareus, de Nerio p. 92. opus hoc vocat aureum. Notabiles quoque ſunt Præfationes *Gretſeri* tres: nam in prima, quæ primo præfigitur Tomo, indicat auctores, qui de prima cruce, item de imagine & ſigno crucis ſcripſerunt; produ-

producit inſignia Lutheri & Melanchthonis, in quibus ſignum crucis conſpiciatur; & exponit proverbia germanica, *Sterben ſine crux, & ſine lux*, item, *Zum Creutz kriechen*: in ſecunda loquitur de ſua interpretatione, quam certo conſilio adiunxerit magis fidam & verbis adſtrictam, quam liberam & laxam; de diſtributione huius in Tomo II. contenti operis, facta in VII. partes; de additione relationum quarundam de inventione S. crucis, ſed fabulis adſperſarum, quæ ſi non ſint illæ, ſeu relationes, ſeu revelationes, de inventione S. crucis, quas GELASIVS Pontifex damnavit, certe iis non ſint abſimiles; quamvis in codice reip. Auguſtanæ, in quo cælitum quorundam res geſtæ deſcribuntur, longe adhuc exſtet fabuloſior: in tertia eundem ſibi ait eſſe finem, qui in Tomis præcedentibus, gloriam nimirum Crucis, eiuſque ab adverſariorum calumniis, criminationibus & ludibriis vindicationem; ſecutum ſe potiſſimum veterum annales, quorum conditores vel pares ætate, vel ſuppares expeditionibus cruciatis fuerint: non itaque mirum videri debere, ſi forte a recentiorum narrationibus diſcrepet; ANDREAM Regem Hungariæ tres duntaxat menſes in Palæſtina manſiſſe; LADISLAO Regi oblatum a cruce ſignatis Principibus fuiſſe imperium & principatum in univerſas copias Hieroſolymam profecturas, ſed ſalutare eius conſilium turbaſſe poſtea exortos motus bohemicos, COLOMANNO autem, ad quem deinde nuncii miſſi, longe aliam mentem fuiſſe, quam LADISLAO; denique præcipuam ſibi in ſcribendo curam fuiſſe, ſenſum animi quam apertiſſime exprimere, vitatis ſententiarum ineptiis, atque inconcinnitate, & reconditorum verborum fœtoribus. Antecedit & librum I. Præfatio, in qua cauſſam ſcrutatur, cur antiqui numiſmati ab una parte Iani bifrontis imaginem, ab altera navem aut puppim impreſſerint: indeque tranſit ad numos crucigeros, & *Antiquarios* reprehendit, quod, cum ad ethnica ventum eſt, vix quidquam intactum relinquant, cum vero chriſtiana & Crucis tropæo inſignita occurrunt, paucis rem tranſigant, aut etiam totam ſilentio contegant, atque prætervolent. Per *Amandum* autem, doctorem baſilienſem, cuius mentionem facit, intelligendus eſt Amandus *Polanus* a Polansdorf.

XC.

Georgii Chriſtophori Ferdinandi a RAESEWIZ Abdan-

ckung, Sermo in funere generoſiſſimi Henrici IV. Comitis Rutheni, ſenioris lineæ, Comitis & Domini in Plauen, dictus anno 1675.

Georg. Chriſtoph. *a Reſevviz*, alias *Paſſel*, natus Wratislaviæ A. 1643. d. 18. Dec. primum ephorus filiorum illuſtriſſimi Comitis rutheni prædicti, deinde præfectus aulæ *Io. Henrici* ab Hohberg, Dynaſtæ in Furſtenſtein, poſtea *Io. Alberti* Comitis a Ronow & Bieberſtein, mox *Henrici* Comitis & Domini in Plauen, ac denique *Henrici* XII. Comitis & Domini in Plauen conſiliarius aulicus, & conſiſtorialis in Graiz. In hac tamen ſtatione per novennium permanſit, quamvis ex lectione *Thomæ* aquinatis, *Suareſii*, *Bellarmini* & *Becani*, nec non SS. *Patrum*, animum mutaſſet, atque a noſtra tranſiiſſet ad eccleſiam romano-catholicam. Non obſtante autem hac mutatione, res conſiſtoriales ita moderatus eſt, & ſuum cuique tam fideliter tribuit, ut Proteſtantes alium ſibi directorem iudicemque ne cogitarent quidem, nedum optarent. Ipſe vero, ut ſuæ religionis ſacris poſſet eſſe vicinior, iuſtamque iis operam dare, dimiſſionem tandem petiit, eaque impetrata Mogelhofii in Landgraviatu leuchtenbergenſi Circuli bavarici ſedem fixit, factuſque ita eſt Hereditarius in Mogelhof, donec mortem obiret anno hoc 1720. die 24. Aprilis, inter horam IX. & X. antemeridianam, cum in horto, animi recreandi cauſſa, deambularet. Neque vero illa inopinato venit: iam diu enim vir pius ad eam ſe paraverat; atque ideo, miſſis omnibus reliquis libris, quorum magnam & ſelectam habebat copiam, ſola ſibi ſeravit SS. biblia cum duobus opuſculis devotionem excitantibus atque alentibus. Scilicet ei, qui per omnem vitam litteris, & variorum lectioni librorum immerſus erat, tandem, ubi de æternitate cogitandum, & hinc migrandum eſſe prævidebat, omnia illa ſordebant, quæ cum vanitate coniuncta ſunt; neque dulcius ſolatium, ſapidiuſve pabulum erat animæ exceſſuræ, quam verbum Domini, quod manet in æternum. Vir erat multæ eruditionis, magnæque in iure, politicis, humanioribus, philoſophicis & theologicis notitiæ, recti & iuſti amans, candidus & ſine fraude, corruptelarum ac vitiorum oſor & taxator, antiqua virtute ac fide, luxuriæ & ambitionis inimicus, amator autem & cultor pietatis, probitatis & honeſtatis, & ſingulari prudentiæ laude conſpicuus. Has dotes cum in eo cerneret sereniſſimus ac perſpicaciſſimus Dux brunſvicenſis

& lu-

& luneburgenſis Antonius Vlricus, mirum non eſt, dignum ab ipſo iudicatum eſſe, quem ſibi conſiliarium faceret, & cui, inito litterarum commercio, unum & alterum ſcriptum componendum iniungeret. Quemadmodum autem clementiſſimus Princeps Ræſewizio ſuo delectabatur, ita hic maximo ſibi honori duxit, placere & ſervire tanto Principi, cuius divinas dotes nemo niſi livor & invidia, aut falſitas & calumnia atterere & contemnere poterat. Quod ad opera eius, ſive ingenii monumenta attinet, in eo iam ſumus, ut ea, quæ edita ſunt, recenſeamus; inedita autem ſunt ſequentia: Antiquo-chriſtianarum cogitationum Pars ſecunda, Dorotheus, ſeu de perſona Chriſti, & Cæleſtes adſpectus æternitatis.

EIVSDEM Lebenslauff, Deſcriptio vitæ illuſtris matronæ, Mariæ Sophiæ, ipſius dulciſſimæ coniugis, natæ nobilis a Planiz, A. 1680. defunctæ.

(EIVSDEM) Gründliche vorſtellung, Solida oſtenſio, tentatum in electorali Bavaria contra S. Cæſaream Maieſtatem, eiuſque terrarum bavaricarum Adminiſtrationem tumultum atque rebellionem, illegitimum, conſcientiæ adverſum, graviſſimaque pœna vindicandum eſſe. 1706. Eaque VII. capitibus abſolvitur. 1. An in certis, & in quibus caſibus liceat parentibus contra legitimum Magiſtratum ſuum inſurgere? 2. S. Cæſ. Maieſtatem ſubditorum in terris bavaricis legitimum iam eſſe dominum. 3. Bavaros non habere, quod credant, bellum contra Dominum ſuum illegitime geri, illum autem iure ſuo niti, ipſoſque ideo, in eius favorem, Cæſari reſiſtere poſſe. 4. Non eſſe putandum, cœcam fortunam, non vero Deum opt. max. victoriam Imperatori largitam eſſe. 5. Neque etiam vel belli contra priorem Dominum continuationem favere ipſorum rebellioni. 6. Vel quorundam e clero ſuggeſtionem & tribunicios clamores. 7. Vel infractionem privilegiorum, & exactiones graviſſimas. Ceterum accurate hic firmiſſimiſque rationibus docetur, quid requiratur ad hæreticum, Proteſtantes non eſſe, neque dicendos hæreticos, confœderationem cum Principibus diverſæ religionis eſſe licitam, & a quibus rebus clerici abſtinere debeant. Eſt exiguus libellus, ſed ita ſcriptus, ut bonam eo cauſſam præclariſſime defenſam agnoſcere, ſummamque auctoris eruditionem, pietatem ſingularem, prudentiam

 exqui-

exquiſitam, & moderationem ſummopere laudandam admirari cogaris. Neque etiam propria ſcriptus fuit auctoritate, ſed iuſſu & auſpiciis eius, cui terras bavaricas auguſtiſſimus Cæſar illo tempore gubernandas tradiderat.

EIVSDEM, ſub nomine ZEPHYRINI DE PACE, Altchriſtliche Gedancken (ſic enim titulum per omnes paginas formavit, cui libri editio fuit commiſſa) ſive potius Neceſſaria reſtitutio primævæ eccleſiæ chriſtianæ, repræſentata per antiquo-chriſtianas cogitationes ſuper Propoſitionibus, ante multos annos in ſcripto circumlatis, tandemque A. 1700. per typos evulgatis de conciliatione catholicæ & proteſtanticæ religionis facienda. Brunsvigæ 1709 Pars I. Nam altera nondum eſt impreſſa. In qua ante omnia oſtenditur, improbabile eſſe, quod hæc inſtructio ab eminentiſſimo profecta ſit Electore moguntino: ceterum diſſeritur de qualitatibus perſonarum, quibus concordiæ negotium tractandum iniungeretur; de formulis loquendi in S. ſcriptura non exſtantibus; de examine Auguſtanæ confeſſionis & Breviarii; de lectione miſſæ, eiuſque ſacrificio; de futura Euangelicorum denominatione; de Papa, & pro quo ſit agnoſcendus; de intermisſione ſcriptorum & conviciorum contra partes diſſentientes; de adminiſtratione S. cœnæ ſub utraque; de confeſſione auriculari; de cultu Sanctorum; & purgatorio. Immo etiam ſermo interſpergitur de titulorum vanitate. p. 487. de ieiunio. p. 532. de Patrum argumentis. p. 551. de merito ex gratia Dei. 586. & peregrinationibus. p. 695.

XCI.

EIVSDEM Vorſtellung, Manifeſtatio conſiderationum & motivorum, quibus ſereniſſimus Princeps A. V. a Proteſtantium ad romano-catholicam diſceſſit eccleſiam. 1710. Quarum nam, amabo? Harum ſcilicet: quia 1) Romano-catholica eccleſia inde ab Apoſtolorum tempore ad hoc præſens duraverit, atque adeo fundamentum ſalutis penes eam permanſerit. 2. in ea veri ſint ſacerdotes, a quibus peccatorum abſolutio peti poſſit. 3. in chriſtiana eccleſia viſibile debeat eſſe caput, quod unitatem conſervet. 4. a principio mundi omnibus in religionibus fuerit ſacrificium. 5. inſigniores corruptelæ & abuſus, occaſionem ſuppeditante reformatione, ſint ſublatæ. 6. quod in Concilio continetur tridentino,

tino, id per allegata in margine, ſive ex SS. litteris, ſive ex Conciliis, ſive ex eccleſiæ Patribus probetur. 7. in religione rom. catholica plus ſit devotionis, pluſque probationis, veram in ea dari eccleſiam, & modum Deo ſerviendi ampliſſimum. 8. cuivis liceat, Sanctorum, ſi velit, deprecationem petere, aut recta ad Deum accedere, eumque in anguſtiis invocare. Hæc auctor poſtea pluribus perſequitur & exponit, ſtatimque præoccupat obiectionem, quæ fieri poſſit, dicens, etiamſi talia ſæpius a Proteſtantibus ſint refutata, ſe tamen & religionis ſuæ ſocios non agnoſcere, quod illa probo innitantur fundamento, ſuaque eccleſia non ſit vera & catholica, in cuius fide nequeant ſalvari æternum. Inter libros recentes ſimilis præſenti eſt L'hereſie des Proteſtans & la verité de l' Egliſe catholique miſes en evidence, à Lyon, par Claude *Andri.* 1714. 12. cui Sam. *Pictetus* duo magna oppoſuit volumina, quæ *Andrius* brevi Replica, ſi id nondum factum, excepturus eſt; prout legitur dans le *Iournal des Sçavans* A. 1715. P. I. 192. & P. II. 359. De cauſſis vero mutationis religionis Principum agit Chriſt. *Thomaſius* in Annotat. ad Puſendorſii Monarchiam ſpiritualem, p. 325.

EIVSDEM Aufrichtiger Abriſs, Ingenua delineatio veræ & totius eccleſiæ catholicæ. Coloniæ 1714. Qua & eccleſiam romano-catholicam tueri, & probare nititur, haud imprudenter eum agere, qui ab alia ad eam tranſeat. Ceterum hic liber conſtat Prologo, in quo ſcripti huius occaſionem exponit, (videlicet diras & condemnationes, quibus illi graventur, qui e cœtu Proteſtantium ſe ſe recipiunt in ſocietatem Romanenſium) & VII. capitibus, quorum primo agitur de catholicæ eccleſiæ plantatione, diſtributione, & regimine: ſecundo de fide catholicæ eccleſiæ: tertio de ingreſſu in eam, cuivis prudenti & ſalutis ſuæ cupido plane neceſſario: quarto, quod ingreſſus ille fere non aliter, quam per ianuam in eccleſiam romano-catholicam fieri queat: quinto de Curia romana, eiuſque variis modis regiminis & iuriſdictionis: ſexto de Papa romano, quod ei, ut capiti non tantum occidentalis, ſed etiam certo modo totius catholicæ eccleſiæ, competat, immo certa ratione neceſſe ſit, ſtatum ſuum ſplendore aliquo ornare, adque ſui defenſionem milites ſcribere & alere: ſeptimo de odio & conviciis, quibus lutherani præcipue doctores infectentur

tur eccleſiam romanam. Ceterum refutat D. *Kuhnii* Diſcretum catholicum autocatacritum p. 751. D. *Iegeri* Tractatum de eccleſia, p. 595. *Schvverdtneri* ſcriptum de mutatione religionis. p. 670. D. *Guntheri* Apoſtaſiam eccleſiæ romanæ, 795. tangitque D. *Læſcheri* Arcana Dei iudicia, p. 854. & *Frickii* atque *Mongalli* ultima ſcripta contra Pontificios. p. 855. Vide *Narrat. innoc.* A. 1714. 997. Huic libro oppoſuit ſtudioſus quidam, præſide D. Io. Fran. *Buddeo*, diſputationem de iudicio Lutheri de eccleſia romana, Ienæ 1717. 4.

Pag. 610. Cum autore (probabiliter, celeberrimo *Antonio Arnaldo*) libri La Defenſe de l'Egliſe contre le liure de Monſ. Claude.	Non Antonio *Arnaldo*, ſed *d'Antecourt*. Vide *Acta erudit.* A. 1692. 240.
756. D. *Ioh.* Valentin Læſcher.	D. Valentinus *Erneſtus* Læſcher.

EIVSDEM Bericht, Narratio de occaſione ſcribendi Antiquo-chriſtianas cogitationes, deque correctione & emendatione Primæ earum Partis. Brunſvigæ 1713. In qua memorat, eo tempore, cum conſilium de facienda inter eccleſiam Proteſtantium & Romano-catholicam concordia ſpargeretur, vixiſſe ANSELMVM CASIMIRVM Electorem moguntinum, & AVGVSTVM Ducem Brunſvic. ac Luneb. cumque ab hoc illi negotium conciliationis quam maxime commendatum, neque ille ab eo alienus fuerit, inde vulgo tunc creditum, eminentiſſimum Electorem illius auctorem eſſe, idque romano Pontifici proponendum curaſſe. Fuiſſe & alios, qui id perilluſtri tribuerent Baroni *a Boineburg*, qui ea ætate ad Romanenſium caſtra tranſiverat; ſed & hos a vero aberraſſe. Auctorem videri eſſe catholicum; qui tamen non ſemper obſervet modos loquendi, Romano-catholicis uſitatos. Quicunque vero tandem ille fuerit, ipſum (Ræſewizium) eius propoſitiones commentario illuſtrare voluiſſe, ut amicis moderati animi & ſedatorum affectuum oſtenderet, conciliationem iſthanc, ſi Deus adſpirare velit, ſibimet non videri eſſe ex iis, quæ fieri nequeant. Ceterum de vitioſa libri impreſſione, quæ ipſo abſente facta eſt, graviſſime conqueritur.

XCII. An-

XCII.

Andreæ KVHNII Diſcretus catholicus autocatacritus. (Ienæ) 1680. In quo id agitur, ut demonſtretur, auctorem, qui ſe *Verum Sincerum*, item *Diſcretum catholicum* vocat, (qui quidem eſt ſereniſſimus *Erneſtus*, Haſſiæ Landgravius) in ſuo A. 1666. edito Tractatu ſive Diſcurſu de hodierno religionis ſtatu, nec non in eius A. 1673. inſecuto Extracto, non tam ſincere, uti ſe iactet, eſſe pontificio-catholicum, ſed Romanæ eccleſiæ multis in articulis præiudicare. Capita autem, de quibus hic tractatur, ſunt XXXVII. nimirum de eccleſia, romano Pontifice, Conciliis, concil. tridentino, ſchiſmate, Scriptura ſacra, invocatione ſanctorum, reliquiis, imaginibus earumque cultu, purgatorio, indulgentiis, peregrinationibus, proceſſionibus, flagellationibus, Deo & Chriſto, peccato, baptiſmo, confirmatione, euchariſtia, pœnitentia & confeſſione, ſacramento ordinis, extrema unctione, cœlibatu, ieiuniis, feſtis, cultu externo, miniſterio verbi, catechiſmo, miraculis, monachis & religioſis, clericis & epiſcopis, Magiſtratu politico, bonis eccleſiaſticis, diſciplina eccleſiaſtica, pontificia religione in genere, Pace religionis, & reformatione. Poſt hæc XIII. auctor Motiva expendit, ob quæ *Diſcretus catholicus* neminem ait pium ac prudentem ſive ad aliquam religionem Proteſtantium ſe recipere, ſive in ea permanere poſſe. Ecquænam illa? quia ſint 1. ſchiſmaticæ. 2. ſibimet invicem contrariæ in rebus fidei, dogmatum & cultus divini. 3. repugnantes antiquæ illi eccleſiæ, quæ ab aſcenſione Chriſti per quinque floruit ſecula. 4. principia religionis ſib elegerint infirma & inania. 5. inter ſe diſcordes & irreconciliabiles. 6. careant vocatione miniſtrorum eccleſiæ. 7. teſtimoniis ſuis quædam Rom. eccleſiæ dogmata confirment. 8. totam viſibilem eccleſiam inde ab eius principio uſque ad hodierna tempora, factamque ab ea ethnicorum converſionem ludibrio exponant. 9. afflictæ a rom. eccleſia, par pari retulerint, & violentia erga eius ſocios uſæ ſint. 10. primi reformationis auctores non ita ſe geſſerint, ut pro apoſtolicis, atque ad tantum opus divinitus electis viris ſint agnoſcendi. 11. non ſint conformes uni, ſanctæ & œcumenicæ eccleſiæ, ſed, moribus præcipue, difformes. 12. nihil ſingulare divinum & ſpirituale habeant. 13. atque ab una & œcumenica ecelesia prorſus diſſentiant. Bene autem ſe

 habet,

habet, quod hic non tantum refutatio Diſcreti catholici, ſed etiam excerpta libri, quem ſcripſit, omni tempore rariſſimi, cum pauca duntaxat exemplaria impreſſa ſint, exhibeantur. Notabis etiam, ſereniſſimum Principem Diſcretum ſuum catholicum, ſub titulo Extracti, in compendium redegiſſe, atque, ut diximus, anno 1673. publicaſſe. *Placcius* de anon. 420.

Andreas *Kühn*, S. theol. D. & ſuperintendens annabergenſis, ſcripſit etiam Vindicias contra Ch. Frid. *Crellium*, & Refutationem Defenſionis Diſcreti catholici, deque eo relatum eſt Petro *de Walenburch*, epiſcopo myſienſi, & ſuffraganeo moguntino, moderatius ipſum de rebus cum eccleſia catholica controverſis ſentire. Vnde non dubitavit epiſtolam, quæ hic p. 249. legitur, ad eum ſcribere, ut, quantum in ipſo erat, oſtenderet, eccleſiam lutheranam eſſe ſchiſmaticam, nec Lutherum cauſſam habuiſſe diſcedendi ab eccleſia romano-catholica. *Raſevvizius* autem, uti iam iam audiemus, varia in eo taxanda eſſe autumat.

Pag. 4. Io. Muſæus in Præfat. ad Ser. Erneſtum, Haſſ. Landgravium: *Quanta enim Serenit. veſtra de religionis controverſiis peritia --- quod ex animo deſidero & opto.*	*Truncata* allegatio. *Räſevvitz* Delineat. 747.
240. Non poteſt vere nomen gerere Sinceri *romano-catholici*, ſive veri *papiſtæ*.	*Non ſtatim eſt papiſta*, qui romano-catholicus.
230. Excitat auctorem anglicanum *in Germania inauditum*, *& nuſquam parabilem*, nomine *Brerleum*.	Eſt Io. *Brereley*, qui edidit Apologiam Proteſtantium pro eccleſia romana, anno 1608.

EIVSDEM Tractatus germanicus de appropinquatione Diſcreti catholici ad Catholicum lutheranum, ut & Cuneus contra cuneum. 1679. In eo reſpondet auctor ad obiectiones, contra Diſcretum catholicum autocatacritum allatas. Quis autem *Kuhnii* refutator ſit, Princeps ne ipſe, ut fere apud *Placcium* de anon. p. 420. ſuſpicatur *Diecmannus*, an alius, non liquet.

M. I. F. M. A. S. M. (Vernunftloſe Schlußkunſt) Irrationalis logica D. Io. Frid. *Mayeri*, Glacii 1700. In qua pluribus oſten-

oſtenditur, *Mayerum* non eſſe bonum logicum. Atque hoc ſcriptum oppoſitum eſt illius libro, Hamburgi edito A. 1696. & inſcripto, Pontificia irrationalis logica novæ ieſuiticæ & blaſphemæ Academiæ (ſic enim appellat Academiam amoris wratislavienſem) in Sileſia: in quo probare nitebatur, Romano-catholicos ſcriptores miſeros eſſe logicos.

ANONYMI Euangelica doctrina de bonis operibus. Wratislaviæ 1700. Eſt ſchediaſma hominis romano-catholici, qui probandum ſibi ſumit, doctrinam Romanenſium de merito bonorum operum non obſcurare meritum Chriſti, ſed fundari in gratuita Dei promiſſione, & infinito Chriſti domini noſtri merito, ita ut opera hominum bona non aliunde, quam ex hoc ipſo, vim, valorem ac pretium ſuum petant, atque habeant.

Io. Dieter. Godofr. SONNEMANNI Diſcuſſio Examinis Innocentii Deodati *Sinceri*. Hildeſiæ 1708. Sincerus hic erat D. Io. David *Schvverdtner*, ſuperintendens pirnenſis, qui Examen emiſerat profeſſionis tridentinæ, & regiam Sponſam, Profeſſionem illam edentem, maximique Principem nominis irreligioſe atque inſolentius tractaverat: quos tamen exceſſus poſtea, potentiſſimi Heri ſui iuſſu, agnovit, pœnitentiam egit, conceptis verbis deprecatus eſt, offenſique Principis veniam & gratiam humillime imploravit. In Diſcuſſione autem Examinis ipſa excutitur Profeſſio fidei romano-catholicæ, prout in Concilio tridentino præſcripta eſt, idque ſecundum ſenſum Eccleſiæ romanæ, & multa, quæ a diſſentientibus ſiniſtre intelliguntur, dextre & moderate, nec tamen ſubdole, & contra rei veritatem, evolvuntur atque explicantur.

Pag. 42. Chemnitius in Examine Concilii trid. eiuſque Decreto de Invocat. & veneratione Sanctorum, *truncavit* hæc verba: *Per filium eius Ieſum Chriſtum dominum noſtrum, qui ſolus noſter redemptor & ſalvator eſt.*

In meo quidem exemplari, quod prodiit Francofurti anno 1609. in folio, *illa leguntur* p. 573.

Io. Dietericus Godofredus *Sonnemann*, eccleſiæ ad S. Andreæ in urbe hildeſienſi canonicus & ſacerdos, nec non theologiæ iu-

riumque D. & conſil. laudatus a *Raſevvitzio* in Delineat. p. 729. & 861. duo etiam alia ſcripta publicavit, videlicet Apologiam veritatis catholicæ contra I. R. & Depulſionem imputati ſibi ab illo ſyncretiſmi: quæ hic ſtatim ſequentur.

EIVSDEM Apologia veritatis catholicæ. Hildeſiæ 1708. In qua articulos fidei romano-catholicæ ordine recitat & exponit, falſasque imputationes removere ſtudet. Commendatur a *Raſevvitzio* Delineat. eccleſ. cathol. p. 666.

EIVSDEM Kurze und beſtændige Ablehnung, Brevis & perpetua depulſio imputati ſibi a I. R. ſyncretiſmi: cum Iudicio de denegata a binis eccleſiæ miniſtris a Principe, ipſorum hero, præſcripta gratiarum actione propter feliciter finitum longinquum & periculoſum iter auguſtæ Sponſæ. Hildeſiæ 1709. Argumentum eius eſt oſtendere, quid in eccleſia romana de merito doceatur bonorum operum, etiam a Cardinale *de Lugo*, *Bellarmino* & Adamo *Burghabero*, quodque, præter meritum de condigno & congruo, non doceatur, ſive a prædictis, ſive ab aliis doctoribus, meritum puræ conditionis.

XCIII.

Loci communes doctrinæ ac fidei chriſtianæ, ex *Lutheri* operibus excerpti a Io. CORVINO. Germanice. Vrſellis 1564. Sunt autem loci ſequentes: De verbo Dei, Deo & S. Trinitate, peccato, libero arbitrio, lege, differentia legis & euangelii, vera fide chriſtiana, pœnitentia, fidem ſolam ſalvare ſine operibus, de bonis operibus, oratione, certitudine fidei, falſis doctoribus, (quod acerbe ſint redarguendi) reliquiis peccati in chriſtiano hærentibus, officio paſtorum in taxandis vitiis, cruce, mundo euangelii inimico, ſcandalo & diſcordia in eccleſia, æterna prædeſtinatione, cognominatione *Lutherani*, de eccleſia, excommunicatione, adiaphoris ſive cærimoniis, obedientia erga Magiſtratum, Principes lutheranos non eſſe ſeditioſos, & denique de coniugio. Tales libri quoque ſunt Lutheri Schatz und gulden Kleinod, ſive Aurea dicta ex Luthero excerpta per Andr. *Muſculum*, denuo edita & aucta a Ioach. *Morgenvveck*, Eraſmi *Gruberi* Lutherus redivivus, & D. Eliæ *Veielii* Grundlicher Vnterricht, ſeu Fundamentalis doctrina de chriſtiana religione, in devotis meditationibus, e ſcriptis Lutheri petita. Vide *Acta erudit.* A. 1701. 143.

Io. Cor-

Digitized by Google

Io. *Corvinus*, philoſ. magiſter, & ſacro muneri addictus, flaciani dogmatis de peccato originis amicus, hoſtis autem theologiæ philoſophicæ, & acer Lutheri vindex, eique plane deditus, vixit medio ſæculi XVI. & ultra.

XCIIII.

Conradi PORTAE Paſtorale *Lutheri*. Lipſiæ 1615. Eſt utilis & neceſſaria inſtructio de potioribus ſacri miniſterii partibus, collecta ex S. litteris, & *Lutheri* operibus. Editio altera, multis in locis aucta & emendata. Prior autem exiit A. 1582. Et hic quidem tractatur de dignitate ſacri miniſterii, vocatione miniſtrorum, eorumque ſtudiis, & modo docendi, de doctrina, reprehenſione, conſolatione, adhortatione & dehortatione, precibus, coniugio clericorum, & regimine eorum familiæ, de baptiſmi & ſacræ cœnæ adminiſtratione, de melancholicis, tentatis & obſeſſis, de ægrotis & maleficis, de ſepultura, ſalariis & cruce miniſtrorum eccleſiæ. Hoc opus *Micralius* Syntagm. hiſt. eccleſiaſt. p. 777. vocat egregium, & Hieron. *Mencelius* in Præfat. veteri librum utilem & neceſſarium: cetera vero encomia, videlicet Mich. *Neandri*, Petri *Streuberi*, & Noæ *Freudemani* legi poſſunt in eiuſdem Præfatione nova.

Conradus *Porta*, islebienſis, verbi divini in patria miniſter, vir excellentibus & præclaris dotibus præditus, boni iudicii, & indefeſſi ſtudii in legendo, ſcribendo, concionando, aliiſque laboribus, quos munus ſacrum imponit ac poſtulat; nec inflatus, ambitioſus & ſuperbus, ſed humanus, modeſtus, atque ad officia paratiſſimus, & ideo omnibus carus & gratus, plura etiam germanice ſcripſit & vulgavit, Libellum, puta, de utilitate ſcholarum, Orationem adhortatoriam ad aſſiduam lectionem ſcriptorum D. Mart. *Lutheri*, Quæſtiones de utilitate catechiſmi, & Speculum virginum ſecundum ordinem Decalogi, mundoque valedixit anno 1585. *Mencelius* in prædicta Præfatione, *Friſius* in Epit. Biblioth. Geſner. 171. & *Micralius* l. c.

XCV.

Philippi MELANCHTHONIS Hauptartickel chriſtlicher lehre, ſive Loci communes theologici a Iuſto IONA in lin-

guam germanicam converſi, atque a *Melanchthone* A. 1555. reviſi. Noribergæ 1559. Cum dedicatione ipſius *Melanchthonis* ad Annam, Ioach. *Camerarii* uxorem, qua docet, omnibus Chriſtianis quotidie meditandam eſſe divinam revelationem & doctrinam, ſacris litteris & ſymbolis comprehenſam, multitudinem autem librorum ac litium ortam ex diverſa explicatione verborum & phraſium S. ſcripturæ, quatenus in fontibus ſuis legitur; officium igitur eſſe doctorum & paſtorum eccleſiæ, prælectionibus illorum ſubiungere Grammaticam, h. e. verum ſenſum linguarum fundamentalium proponere atque oſtendere; cumque in finem, atque ut conſtet, quæ nam doctrina ſit Eccleſiarum proteſtantium, ſe ſe compoſuiſſe Locos iſtos theologicos, & quamvis nactus ſit multos adverſarios, in primis *Cochlæum*, *Alphonſum*, *Perionium*, *Oſiandrum*, ſe ipſum tamen & libros ſuos ſubiicere iudicio eccleſiarum & academiarum verbum Dei recte intelligentium.

Iuſtus (ſive, ut alii efferunt; etiam Eraſmus, Iodocus) *Ionas*, nordhuſanus, initio ſe dedit ſtudio iuris, deinde autem theologiæ, eiuſque doctor renunciatus, ac præpoſitus eccleſiæ omnium Sanctorum Wittebergæ conſtitutus, ſacra ibi utraque in cathedra magno cum adplauſu docuit: erat enim vir doctrina, eloquentia, animi magnitudine ac prudentia excellens, magnique æſtimatus non tantum a *Luthero* & *Melanchthone*, ſed ab *Eraſmo* etiam, ut qui eum in Epiſt. 431. p. 447. agnoſcit pro organo quodam Dei electo ad illuſtrandam filii ſui Ieſu gloriam, atque ideo adhibitus ad opus reformationis in Comitiis auguſtanis, quando Confeſſio Proteſtantium edebatur, ad Colloquium marpurgenſe, atque ad reformandas eccleſias in Miſnia & Thuringia. Non tamen per omnem vitam Wittebergæ ſedem habuit, verum Halam Saxonum abiit ad Inſpectionem eccleſiarum obeundam, indeque exul conceſſit Ienam, perque aliquod temporis ſpatium profeſſione functus eſt, ac denique hoc etiam loco relicto ſuperintendentiam eisfeldienſem in Principatu coburgenſi ſibi paſſus eſt imponi, ibique vitæ ſuæ curriculum, non ſine tentationibus, abſolvit anno 1555. quum nondum abſolviſſet annum climactericum 63. Semel atque iterum ſingulari Dei providentia ſervatus fuit in vita, nimirum quando cepe, quod parens eius peſte infectus modo ab abſceſſu revulſum in ſcamno depoſuerat, imperitus puerulus a-

vide

vide abripuit atque devoravit, & cum centurio, cui domus ipſius Halæ magdeburgicæ pro hoſpitio aſſignata erat, in mandatis haberet eum occidendi, ingenue faſſus, ſe ſe non poſſe id exſequi, cum videat, virum eſſe probum, multaque virtute præditum. Sic Deus ſuos ſcit ſervare. Sed & ſcripta eius ad extremum ſunt indicanda. Nimirum, præter Verſionem quorundam *Lutheri* ſcriptorum germanicam, ab eo habemus Defenſionem pro coniugio ſacerdotali, adverſus Io. *Fabrum*, Annotationes in Acta apoſtolorum, & Narrationem de morte *Lutheri*, cui ipſe adfuit, contra Georg. *Wicelium*. Melch. *Adamus* in Vitis theol. p. 258. *Kindervater* in Nordhuſa illuſtri p. 119. *Seckendorf* Lutheraniſmi p. 344. & ſeqq.

Iidem Loci communes, ex verſione Iuſti IONAE. Norībergæ 1601. Iterum ad antiquum exemplar, quod anno 1536. prodiit Wittebergæ, editi: cum dedicatione *Ionæ* ad Sereniſſ. Electorem Saxoniæ IO. FRIDERICVM, qua ſumme neceſſarium & utile ait eſſe, ut exſtet clara & perſpicua ſumma articulorum fidei, atque ideo hunc librum a *Melanchthone* ſcriptum, eumque oppido utilem eſſe ad recte intelligendas S. litteras in præcipuis dogmatibus fidei. De aliorum elogiis, quibus hos Locos proſequuntur, vide *Bibliothecarium* nulli parti addictum T. I. p. 37.

XCVI.

CHARITATIS, abbatiſſæ monaſterii noribergenſis S. Claræ, Miſſive ſeu Epiſtola ad D. Hieron. *Emſerum*. Wittebergæ 1523. Ipſa Epiſtola ſcripta fuit anno 1522. d. VI. Iunii, qua gubernatrix illa, pro ſuperſtitione ſua, dolet, totam civitatem hæreticis erroribus eſſe infectam, laudat vero libellos *Emſeri*, eumque elogio mactat ſtrenui defenſoris chriſtianæ fidei & columnæ eccleſiæ. Additæ ſunt annotationes ſeu refutationes marginales, ſæpe autem ſarcaſticæ.

Hieron. EMSER An den ſtier zu Wittenberg, Ad taurum wittebergenſem. Sine die & conſule. Conqueritur de Epiſtola aliiſque *Lutheri* contra ſe editis ſcriptis, quod acerbiſſime ſcripſerit, ſeque & ſtultum & aſinum vocaverit, negat ſe invidia odiove contra *Lutherum* laborare, libellive Thomæ *Radini* auctorem eſſe, adverſarium hortatur, ut deſiſtat ab impugnatione fidei romanæ,

manæ, auxiliumque ſuum in exſtirpandis abuſibus, qui in clerum cum Romæ, tum in Germania ſe ſe inſinuarunt, pollicetur.

Hieron. *Emſer*, ſuevus, licentiatus Iuris canonici, & profeſſor lipſienſis, nec non ſereniſſ. *Georgii* Ducis Saxoniæ ſecretarius & conſiliarius, primum amicus, deinde hoſtis Lutheri, (qui & acerbius contra eum ſcripſit, & Aegoceratem ſive Capricornum, ob inſignia, in quibus caper exſiliens repræſentatur, vocavit) in publicum emiſit Reſponſionem ad Epiſtolam Lutheri, Annotationes in illius verſionem biblicam, Novam verſionem germanicam N. T. Hiſtoriam de vita & miraculis Bennonis, & ſubito mortuus eſt anno 1527. die 8. Novembris. *Olearius* Biblioth. ſcriptor. eccleſiaſt. T. I. 220. & *Lexicon univerſ. hiſtor.* T. II. 32.

EIVSDEM Antwort Reſponſum ad Dehortationem ſive libellum famoſum, inſulſis rhythmis, ſine nomine auctoris editum. Sunt etiam rhythmi, illis, quos vocat inſulſos, oppoſiti, quibus exprobrat antagoniſtæ, quod ex rebus fidei faciat Bacchanalia; ſeque non ſitire ait ſanguinem Lutheri, ſed pacis & concordiæ eſſe cupidum, & Patrum traditioni addictum.

Andr. OSIANDRI Verantwortung, Defenſio Catechiſmi noribergenſis, contra Io. *Eckium*. Noribergæ 1539. Io. *Mayr*, alias *Eckius*, in fine ſui de X. præceptis libri confutavit Catechiſmum noribergenſem, præcipue IX. & X. præcepti explicationem; adeoque hic diſputatur de concupiſcentia, obſervatione præceptorum divinorum, peccato originis infantum, & pravis cogitationibus, quas conſenſus non excipit.

Andreas *Oſiander* germanice *Hoſmann*, unde & pater eius *Hoſen-Aenderle* dictus, Gunzenhuſa-francus, ob ingenii acrimoniam ac ſtudium, induſtriam & facundiam carus eruditis, præcipue Bilibaldo *Pirckheimero*, quem tamen poſtea moribus ſuis agreſtibus & faſtuoſis, ſicut & alios, offendit, lector fuit ebrææ linguæ, poſtque ea paſtor ædis Laurentianæ in urbe noribergenſi, ſed ob librum *Interim* ſedem mutavit, & Regiomontum in Boruſſiam ad Albertum Marchionem brandenburgicum, ſuum catechumenum, abiit, ab eoque conſtitutus eſt primarius in nova academia profeſſor theologiæ, paſtor veteris oppidi, & poſt obitum Georgii *a Polentis* epiſcopus ſambienſis. Mox autem, cum doceret,

ceret, iuſtitiam noſtram coram Deo eſſe ipſam eſſentialem iuſtitiam Dei, communem Patri, Filio & Spiritui ſancto, in magnas incidit turbas, ſibique plurimos adtraxit adverſarios, & inter eos *Staphylum, Morlinum, Melanchthonem*; *Funccius* tamen eum defendere nititur in Commentario in ſuam Chronologiam lib. X. Miram ſecutus eſt diætam: nam ſtudiis operam dabat circa horam noctis nonam, eaque continuabat ad primam vel ſecundam uſque. Mane ſurgebat, quando cibus ad menſam ferebatur; & tunc hilariter prandebat ac bibebat. Poſtea ibat deambulatum unam vel alteram horam: tertia vel quarta hora legebat aut ſcribebat aliquid, poſtea cœnabat, & circa horam noctis nonam iterum ad ſtudia redibat. Et huic conſuetudini tribuitur, quod factus eſt hydropicus. Memoratur etiam, auream eum catenam collo geſtaſſe, ne lepra inficeretur: ſed mortem illa non poterat avertere, quippe quæ ſecuta eſt anno 1552. cum annum ætatis ageret 54. Melch. *Adamus* in Vitis theologor. 226. *Camerarius* in Vita Melanchthonis 300. *Thuanus* lib. XI. p. 224. *Seckendorf* in Lutheran. Rich. *Simon.* Hiſt. crit. N. T. Parte III. c. 48. & *Lexicon. univerſ. hiſtor.* T. IV. 83.

Iac. ANDREAE Klare und helle antvvort, Clarum & perſpicuum reſponſum ad Frid. *Staphylum*, eiusque Gegenbericht. Tubingæ 1561. In quo agitur 1. de vero ſenſu verbi divini. 2. de verſione SS. bibliorum germanica. 3. de concordia paſtorum ſeu prædicatorum lutheranorum. Eſtque hoc tertium Reſponſum contra eundem.

EIVSDEM Bericht, Relatio de chriſtiana concordia theologorum & paſtorum Saxoniæ ſuperioris & inferioris, nec non ſuevicarum & aliarum eccleſiarum ſuperioris Germaniæ. Wolfenbuttelii 1570. Concordia hæc mutuo declarata fuit Serveſtæ in Synodo per aliquot Electorum, Principum, Civitatum legatos A. 1570. die 10. Maii. Multa hic ad hiſtoriam illius ætatis pertinentia inſeruntur, atque in fine adfert Victorini *Strigelii* Declaratio die articulo de Libero arbitrio; neque etiam nihil de eius ſententia de definitione euangelii, propoſitione, *Bona opera ſunt neceſſaria ad ſalutem*, & adiaphoris.

EIVSDEM Abfertigung, Refutatio Reſponſionis Henr. *Bullingeri*, & paſtorum tigurinorum, contra Defenſionem Teſta-

menti Io. *Brentii*. Tubingæ 1575. Qua rudioribus, quos laicos vocat, indicatur, cum Zvinglianis non eſſe amplius diſputandum de S. cœna, ſed eos iudicio Dei relinquendos.

Iac. ANDREAE Gewiſsheit, Certitudo chriſtianæ doctrinæ, & omnium ſincerorum theologorum atque eccleſiaſtarum Auguſtanæ confeſſionis de peccato originis, contra Flacianos. Tubingæ 1581. Status præſentis controverſiæ, ut ipſe quidem auctor refert, in hoc conſiſtit, An natura humana ſine ullo diſcrimine ſit peccatum originis, ita ut inter naturam corruptam, & corruptionem, atque adeo inter hominem corruptum, &, quod eum ita corrupit, peccatum originis nulla ſit differentia? Negare id Flacianos, ſe autem cum aliis affirmare.

EIVSDEM Abfertigung des Vortrabs, Confutatio anteambulonis Io. *Sturmii*. Tubingæ 1581. Tractatur in ea de ubiquitate corporis Chriſti, præſentia Chriſti eſſentiali in S. coena, Phil. *Melanchthonis* variatione, & *Sturmius* vocatur matæologus, rerum theologicarum imperitus, & hæreticus.

EIVSDEM Kurze antwort, Breve reſponſum ad Io. *Sturmii* Antipappum quartum. Dreſdæ 1581. Breve illud vocat, quia tantum ea excutit, quæ ipſum tangunt, reliquis illius libri argumentis D. Lucæ *Oſiandro* & D. Io. *Pappo* relictis. Ac præter alia *Sturmium* ait hanc litem movere ex odio Formulæ concordiæ, in qua Calvinianorum dogmata damnentur, quamvis ipſe fateatur, ſe illum librum nondum legiſſe. Sub finem ſyllabum exhibet ingentium errorum Calviniſtarum, nec ullum eorum ab illis negari poſſe exiſtimat.

EIVSDEM Gründlicher bericht, Fundamentalis Deductio contra Io. *Sturmii* Brevem apologiam. Tubingæ 1581. In qua pluribus agitur de Formula concordiæ, & rebus ad eam pertinentibus, atque ita accuſationes *Sturmii*, quibus auctorem petit, refelluntur, & p. 104. 105. convicia, quibus ille eum proſciderit, cenſentur.

EIVSDEM Kurze erinnerung, Brevis admonitio de aliquibus ſcriptis & libris, qui partim Ambroſii *Wolfii*, & Chriſtophori *Heſſiandri*, partim ſine nomine in publicum emiſſi ſunt. Tubingæ 1584. Sed cur, ut quidam ad exemplar annotavit meum, præteritur Germanus *Beyer*? Nam ſub huius etiam nomine Chriſtoph. *Herde-*

Herdeſianus ſe occultavit. Hoc itaque ſcriptum oppoſitum eſt Chriſtoph. *Herdeſiano*, inclyti Senatus noribergenſis ICto principi, reformatæ addicto religioni, eiuſque defenſori valde induſtrio, cui & Conſenſus orthodoxus S. ſcripturæ & Veteris eccleſiæ de ſententia & veritate verborum S. cœnæ attribuitur. Multas hic reperies invectivas in Zwinglianos & Calviniſtas, & auctor illos increpat, qui, cum theologi non ſint, ut Herdeſianus, theologica tamen tractare, & ſcribere, ac diiudicare audeant.

Iac. ANDREAE Kurzer begriff, Brevis epitome Colloquii montbelgardenſis, inter Iacobum *Andrea* & Theodorum *Bezam*. Tubingæ 1588. Qua Chriſti Eccleſia fideliter commonefit, ut ſibi caveat ab horrendis erroribus Calviniſtarum, quos teneant & propagatum eant in articulis de cœna Domini, perſona Chriſti, S. baptiſmo, chriſtiana libertate in reformatione templorum ſeu ædium ſacrarum, de prædeſtinatione, promiſſionibus euangelii, & merito Chriſti. Cum Refutatione Reſponſi *Beza* ad Acta prædicti Colloquii. Ceterum hoc in ſcripto de 4. capitibus tractatur: 1. quis anſam & cauſam ſuppeditaverit ad hoc colloquium. 2. de Præfatione Comitis wirtenbergenſis *Friderici*. 3. de refutatione annotationum marginalium *Beziana*. 4. de caſtratis *Lutheri* teſtimoniis de prædeſtinatione.

EIVSDEM Chriſtliche, treuherzige erinnerung, vermahnung und warnung, Chriſtiana & fidelis Admonitio ac dehortatio a *Lutheri* Bibliis Neopoli Nemetum, ſive Neuſtadii ad Hartam editis, corruptis, & calviniſtica blaſphema doctrina (hæc enim ſunt verba rubri) contaminatis. Tubingæ 1588. Errores autem, uti auctor ſcribit in Præfatione, intruſi ſunt de baptiſmo, de Dei arcano & inevitabili conſilio contra homines, de certitudine beatitudinis, de gratiæ, fidei, & Spiritus ſancti inamiſſibilitate, de poteſtate Chriſti, de omnipotentia Dei, de adoratione & paſſione Chriſti, & promiſſionibus euangelii.

EIVSDEM Spiegel, Speculum manifeſtorum & impudentium mendaciorum calviniſticorum contra orthodoxos doctores Auguſtanæ confeſſionis, & exſecrandarum blaſphemiarum contra divinam maieſtatem hominis Ieſu Chriſti. Tubingæ 1588. Illorum numerantur XXXIII. & pag. 111. adduntur XIII. ex *Anhaltinorum*

ſcriptis, ut vocat, conviciosis & iniurioſis. In Præfatione ſeu Dedicatione ad illuſtrem Senatum noribergenſem declamat contra Chriſtoph. *Herdeſianum*, ac denuo recitat errores Calvinianis adſcriptos, atque in Præfatione Dehortationis a Bibliis Lutheri neuſtadianis, ut paullo ante audivimus, adductos. Ad finem autem huius libri non nemo hæc adſcripſit: *Hoc Speculum miſit D. Iacobus cum epiſtola ad illuſtrem Senatum noribergenſem, eaque obtulit conſuli* N. Volckheimero *&* Bar. Behaimio *per* M. Georgium Othonem, *Behaimii ſtipendiatum, die VII. Octobris A.* 1588. *Epiſtola accepta fuit, ſed liber perlatori redditus.*

Io. PAPPI Bericht und warnung, Inſtructio & Dehortatio ad Civitatem argentoratenſem de Confeſſione argentinenſi & Formula concordiæ. Tubingæ 1581. Qua ad Io. *Sturmii* præfationem & Poſtſcripta Commonefactionis breviter reſpondetur. Scriptum hoc eſt trium tantum philyrarum cum dimidia, & tradit hiſtoriam litis & contentionis *Sturmium* inter & *Pappum*, dehortarurque ab illius libris & ſcriptis, ut conviciorum copia turgidis.

Io. *Pappus*, lindavienſis, Mart. *Bremii* & Io. *Marbachii* diſcipulus, philoſ. & theol. doctor, primum eccleſiæ Reichovillanæ præfectus, deinde apud Argentinenſes modo hebrææ linguæ, modo hiſtoriarum, ac tandem theologiæ profeſſor, & paſtor ſummi templi, eccleſiaſticique conventus præſes, eam nominis celebritatem adeptus eſt, ut ad colloquium cum Pontificiis Emmendingæ habendum, & Auguſtam Vindelicorum ad componenda diſſidia vocaretur. Scripta edidit plurima, tam didactica, quam polemica, ut Scholas propheticas, Synodicum libellum, Synopſin biblicam, Hypotypoſin doctrinæ chriſtianæ, Epitomen hiſt. eccleſiaſticæ, tamque felici polluit memoria, ut quamvis pagellam, etſi longiuſculam, ter vel a ſe lectam, vel ab alio prælectam, poſſet ad verbum recitare memoriter, & poſt multos labores, plurimaque tam ore, quam ſtilo geſta bella ac prœlia vitam clauſit anno 1610. (quem ipſe hoc verſu ſibi in inſcriptionibus familiari expreſſit: *aD fIneM* sI qVIs ſe parat, ILLe ſapIt) ætatis 61. Melch. *Adamus* in Vitis theologor. 803. *Micrelius* Syntagm. hiſt. eccleſ. 774. *Sagittarius* Introduct. in Hiſtor. eccleſ. 325. *Witte* Diar. biograph. H. & *Serpilius* in Epitaph. theologor. ſuevor. 115. qui etiam multa eius elogia congeſſit. XCVII. Io.

XCVII.

Io. FUNCKII Conciones VI. in pſalmum IX. Cum Precatione chriſtianæ eccleſiæ in præſente miſeria, ex pſalmo illo pie formata. Regiomonti 1551. In Præfatione Confeſſio brevis traditur de noſtri iuſtificatione coram Deo. De auctore autem diximus *Partis* II. p. 512.

EIUSDEM Wahrhaftiger und gründlicher bericht, Vera & ſolida demonſtratio, quo modo infelix diſſidium de iuſtitia fidei in Boruſſia ortum traxerit, & quid proprie de iuſtificatione ſecundum SS. litteras, & doctores antiquos atque recentiores ſentiendum ſit. Regiomonti 1553. Multa hic inſeruntur de *Staphylo* auctore litis, & *Morlino*, qui ex pacificatore mutatus fuerit in hoſtem ſævisſimum.

Viti DIETERICI Grundlicher unterricht, Fundamentalis inſtructio de ſacramento altaris. Norribergæ 1543. Non aliter, quam ſub utraque ſpecie dandum eſſe ac ſumendum. Contra II. conciones pontificias (D. *Pauli* & *Widmanni*) in templo cathedrali & parochiali, ad ædem cathedralem pertinente, Ratisbonæ habitas. De hoc Dieterico vide *Partem* I. p. 29.

PASTORUM NORIBERGENSIUM Gut unterricht und getreuer rahtſchlag, Bona inſtructio & fidele conſilium, quomodo hiſce in diſſidiis, ratione chriſtianæ doctrinæ, quis ſe gerere debeat. Regiomonti 1553. Quæ eſt altera editio. Et hoc conſilium perſcriptum eſt a tribus paſtoribus, Dominico *Sleupnero* Sebaldino, Andrea *Oſiandro* laurentiano, & Thoma *Venatorio* xenodochiano, A. 1524. Quod quidem illi, uti *Oſiander* in Præfatione ediſſerit, non eo ſcripſerunt animo, ut typis imprimeretur, imprimendum tamen iudicarunt, poſtquam nonnulli, in quorum manus pervenit, publicam eius editionem, quæ fortaſſis hiulca & corrupta futura fuiſſet, cominati ſunt. Tractatur autem in eo, & quidem in priore parte, de verbo Dei, lege & euangelio, fide ac ſpe; in poſteriore, de traditionibus ſive doctrinis humanis, & antichriſto.

SENATUS NORIBERGENSIS Handlung, Collatio cum ipſius Prædicantibus, A. 1525. Regiomonti 1553. Nimirum auditi ſunt Prædicantes utriusque partis, & pontificii & euan-

Digitized by Google

gelici, ſuper XII. Articulis, videlicet de peccato eiusque pœna, lege, iuſtificatione, euangelio, baptiſmo, mortificatione veteris Adami, ſacramento altaris, bonis operibus, traditionibus humanis, Magiſtratu politico, ſcandalo, & coniugio ſacerdotum.

Andreæ OSIANDRI Sermo ſive concio in precationem dominicam *Matth.* 6, 9-13. Regiomonti 1552.

EIVSDEM Concio de telonio ſolvendo, *Matth.* 17, 24-27. Regiomonti 1553. Habita autem eſt Noribergæ anno 1525. in eaque tractatur de obedientia erga Magiſtratum politicum, uſu chriſtianæ & politicæ libertatis, & divina providentia.

EIVSDEM II. Conciones in initio paſſionis habitæ, in epiſtolam ad *Philippenſes* cap. 2, 5-10. Regiomonti 1553. Habitæ autem ſunt anno 1552.

EIVSDEM Concio in *Rom.* VI, 3.4. Regiomonti 1533. Habita die 28. Decembris, anno 1551.

Superintendentium & Paſtorum civitatum LVBECAE, HAMBVRGI, LVNEBVRGI &c. Confeſſio & Declaratio ad Interim. Magdeburgi 1549. In qua agitur de homine ante & poſt lapſum, redemtione per Chriſtum, iuſtificatione, caritate & bonis operibus, ſpe remiſſionis peccatorum, eccleſia, eiuſque miniſtris, & ſummo Pontifice, ſacramentis, ſacrificio miſſæ, memoria Sanctorum & defunctorum, communione, cærimoniis, cantionibus & feſtis, imaginibus, ieiunio, coniugio ſacerdotum, & communione ſub utraque.

Iac. RVNGII Concio de iuſtificatione, quod videlicet homo in converſione ad Deum hac in vita coram Deo iuſtificetur propter obedientiam Mediatoris per fidem, non per eſſentialem iuſtitiam. Wittebergæ 1555. Scripta eodem anno Noribergæ a Paſtoribus, inter quos & abavus meus, Diaconis & aliis, qui tunc erant Noribergæ, item ab Alex. *Aleſio*, *Melanchthone*, & Ioach. *Camerario*. Subiungitur Oſtenſio ex *Rom.* 3. quo modo homo in converſione coram Deo iuſtificetur, & Adhortatio ad eos, qui docent in eccleſia noribergenſi.

Iac. *Rungius*, ſtargardienſis, ſuperintendens Pomeraniæ citerioris, & theologiæ profeſſor gryphiswaldenſis, Andreæ *Oſiandri* acerbus antagoniſta, ſcripſit Confeſſionem eccleſiarum Pomeraniæ

de

de vera præſentia corporis & ſanguinis domini noſtri Ieſu Chriſti in ſacramento S. cœnæ, editam Vitembergæ, obiitque A. 1595. ætatis 78. profeſſionis 47. *Simlerus* in Epitome Biblioth. Geſner. 338. & *Micralius* Syntagm. hiſtor. eccleſ. lib. III. 779.

Dialogus miſeri peccatoris cum Moſe & Chriſto, de iuſtificatione fidei, per Matthæum VOGELIVM. 1557. Cum eiusdem Iudicio de diſſidio in hoc articulo, & Reſponſione ad D. Ioach. *Mœrlini* impetuoſam Epiſtolam. Atque in hac iudicat, D. *Mœrlinum* maiori cum conſilio & modeſtia hoc in negotio agere debuiſſe: quamvis enim recte docuerit, Chriſti paſſionem & reſurrectionem cum remiſſione peccatorum, quam fide accipimus, noſtram eſſe iuſtitiam coram Deo, non tamen eſſentialem iuſtitiam, quam *Oſiander* docuit, ſine ullo diſcrimine reiicere & condemnare debuiſſe, cum *Oſiander* illam divino iudicio non prætulerit, ſed docuerit tantum, quod, accepta propter Chriſti obedientiam remiſſione peccatorum, hæc etiam eſſentialis iuſtitia, id eſt, Deus ipſe per fidem, ex gratia, in cordibus noſtris habitet, atque ita in nobis habitans iuſtitia ſit noſtra, non quæ demum nos Deo reconciliet & gratos reddat, ſed quæ reconciliatos gratosque redditos ulterius excitet, moveat & inſtiget ad recte faciendum, & pie coram Deo tam benigno vivendum. Et hoc ſenſu (ut *Vogelio* videtur) eſſentialem iuſtitiam tolerari poſſe, quoniam ea nihil aliud doceatur, quam quod Deus in nobis, ſicut apoſtolus Paulus ad Philip. 2, 13. ſcribit, efficiat ipſum velle & ipſum agere, pro gratuita ſua benevolentia. Neque etiam Philip. *Melanchthonem* eſſentialem iuſtitiam ſimpliciter improbaſſe. Confer cum hiſce, quæ de Philippo Melchior refert *Adamus* in Vita Oſiandri pag. 239. 240.

Matth. *Vogel*, noribergenſis, in urbe patria ad D. Iacobi munere concionatoris functus eſt; ſed ob librum Interim ea relicta in Boruſſiam abiit, & Regiomonti docuit. Inde ob diſſidia oſiandrica eiectus, & in Ducatu wurtenbergico abbas albersbachenſis factus, Theſaurum theologicum, opus prægrande, ſeptemque tomis conſtans abſolvit, & mundi inconſtantiæ valedixit anno 1591. *Micralius* p. 778. *Kœnig* 854.

Der

Der Barfüſer-münche, Franciſcanorum Eulenſpiegel & Alcoranus. Wittebergæ 1542. Prodiit etiam ſequente anno, in 8. & latine Daventriæ, in 12. Cum Præfatione *Lutheri*, qui teſtatur, fabulas hic contentas etiam in ſuggeſtum eccleſiaſticum allatas, & vulgo creditas eſſe, ſeque poſſidere Librum conformitatum, e quo maximam partem ſint hauſtæ, & diligenter illum aſſervaturum, ut, ſi forte relationes iſtas adverſa pars negatura eſſet, ex eo convinci poſſit. Gratias igitur abs te agendas eſſe Deo, qui ex denſis iſtis tenebris te eripuerit, eumque orandum, ut in luce te ſua conſervet: mirari ſe, *Franciſcum* & *Benedictum*, viros tam ſanctos, uſtiones ſenſiſſe carnales, quas tamen honeſto coniugio potius, quam nive & ſpinis reſtinguere potuerint: interim eos Chriſtum, eiuſque regnum fabulis & ineptiis ſuis obſcuraſſe, nec nobis deſperandum, ſi illi, de quo non dubitet, ad ſalutem pervenerint. Huic Præfationi additur alia, & quidem Eraſmi ALBERI, qui Librum conformitatum reperit in Conventu Franciſcanorum, & præſentes narrationes ex Legendis, ac præcipue ex libro illo prædicto collegit, lucique expoſuit publicæ, ſingulis narrationibus annotationes ſeu documentum aliquod ſubiungens.

Eraſmus *Alberus*, variſcus, paſtor magdeburgenſis, poëſi ſacra & profana clarus, atque ab *Eraſmo* roterodamo in Hyperaſpiſtæ diatribe aduerſus Lutherum de ſervo arbitrio, Tomo IX. pag. 1255. e ſchola Lutheri θεοδίδακτος vocatus, plures tractatus pro religione edidit contra *Carolſtadii* & *Oſiandri* errores, nec non Harmoniam euangeliorum, & Iudicium de Spongia *Eraſmi*, tandemque Novi Brandenburgi in terra meklenburgenſi pie obdormivit, hoc epicedio a Nathane *Erythræo* condecoratus:

Hic ſitus Alberus, *magni collega* Lutheri
Qui fuit, & verbi buccina clara ſacri, *Miralius* p. 733.

XCVIII.

Eraſmi SARCERII Dialogus de Synodis. A. 1539. Inter paſtorem & ſuperintendentem inſtitutus. In quo evincitur, I. neque *Guilielmum*, Comitem naſſovienſem, neque ipſum (*Sarcerium*) in reſtauranda Synodo & Viſitatione quidquam, aut contra S. ſcripturam, aut contra veteris eccleſiæ decreta peccaſſe. 2. Principi

cipi ex officio conveniſſe, Synodum una cum Viſitatione reparare. 3. eundem egregie atque pie feciſſe, qui ad veterum Cæſarum, Regum, Principum & Heroum exempla, rerum eccleſiaſticarum, pro ſubditorum ſuorum ſalute, curam geſſerit. Et ſic tandem ea, quæ circa inſtaurationem & ſynodi & viſitationis, item quæ in ſynodo & viſitatione acta & geſta ſunt, perſpicue ac fideliter proponit. Examen autem Superintendentis cum ſingulis paſtoribus inſtitutum fuit ſuper articulis de Deo, Trinitate, angelis tam bonis, quam malis, creatione hominis & eius lapſu, libero arbitrio, promiſſione, eccleſia, lege & eius ſpeciebus, euangelio & eius revelatione, fide, iuſtificatione & vita æterna, bonis operibus, cruce, ſacramentis, oratione, magiſtratu, & miniſtris eccleſiæ. Eſt liber utilis Superintendentibus, quorum officium eſt ſynodos celebrare, & viſitationes eccleſiarum obire: immo & ſuo modo paſtoribus ipſis, ut inde cognoſcant, quo inſtructi debeant eſſe modo, ſi ad examina forte ipſos accedere oporteat.

EIVSDEM Loci theologici. Francofurti 1558. Amico reſponſo, ad Præſulis cuiusdam romano-catholici orationem, in gratiam amici, pro aperienda & tuenda veritate methodice explicati. Sunt autem ſequentes: de iuſtificatione, bonis operibus, ſacramentis, præparatione ad ſacramenta, miſſa euangelica ſeu publica, miſſa privata, utraque & una ſpecie, poenitentia, confeſſione auriculari, ſatisfactione, indulgentiis, humanis traditionibus in eccleſia, matrimonio, delectu ciborum, memoria mortuorum, votis, invocatione Sanctorum, & eorum imaginibus. Cum Præſule, ait auctor in Præfatione, nihil ſibi eſſe negotii, quem nec de nomine, nec de facie noverit; ſe accepiſſe orationem eius ſcriptam, & ad illam reſpondiſſe ab amico rogatum, exemplar amico miſſum ad multorum manus veniſſe, ſeque iam illud edere voluiſſe, ne forte ab alio corrupte publicetur.

Io. WIGANDI contra Neminiſtas & neminiſtica ſcripta Commonefactio. Regiomonti 1576. Per *Neminiſtas* autem intelligit tales ſcriptores, qui libros in cauſſis religionis, vel ſoli, vel cum aliis edunt, idque in fraudem. Hinc facile eſt intelligere, quid hoc loco *Neminiſtica ſcripta* appellet. Et XII. argumenta adfert, cur eiusmodi ſcripta edere ſit peccatum. In numerum

autem eorum refert *Conſenſum orthodoxum* de ſententia verborum cœnæ Domini, eique inſertam *Cantionem germanicam*, *Exegeſin ſacramentariam*, *Scholaſticorum* Reſponſionem ſiue Apologiam, & Carmen *Bullingeri* contra Iacobum Andreæ, libro additum.

EIVSDEM IV. Scripta. Regiomonti 1578. Videlicet 1. de abſtracto theologico Methodus. 2. Collatio de nova controverſia. 3. Synodus hac de re prutenica. 4. Cauſſæ, cur locutiones & doctrinæ D. Tilem *Hesbuſii*, cui & priora oppoſita ſunt, ſint ſcandaloſæ & falſæ per ſe. In Præfatione profert auctor X. cauſas editionis ſuæ.

Iacobi ANDREAE uſus calicis in ſynaxi Defenſio, contra Barthol. *Latomum*. Tubingæ 1560. Scripſerat *Latomus* adverſus *Bucerum*: *Cum adhuc rudis eſſet prima eccleſia, ritum a Chriſto traditum religioſe tenuit, donec docta a Patribus intellexit, utramque ſpeciem convenire ſacerdotibus, laicos ſolo pane contentos eſſe poſſe.* Hic ergo iam inter *Latomum* & Iac. *Andrea* controvertitur: an primitiva eccleſia, per Chriſtum & Apoſtolos inſtituta, rudis adhuc in eo fuerit, quod utraque parte ſacramenti uſa eſt; an vero illa, quæ longe poſt per Patres docta, quod calix ſacerdotibus conveniat, laicos autem ſolo pane poſſe contentos eſſe?

Martini ROLANDI Teſtimonia SS. Patrum de malis & indignis, quod & ipſi accipiant verum corpus & ſanguinem Chriſti in euchariſtia. Tubingæ 1561. Patrum autem nomine veniunt ei ſequentes: *Andronicus* abbas, *Auguſtinus*, *Bernhardus*, *Baſilius*, *Caſſianus*, *Cyprianus*, *Cyrillus*, *Chryſoſtomus*, *Damaſcenus*, *Euthymius*, *Gratianus*, *Gregorius*, *Hieronymus*, *Hilarius*, *Iſidorus*, *Lanfrancus*, *Lombardus*, *Origenes*, *Paulus* apoſtolus, & *Serenus* abbas. Et illis additur 1. Confutatio argumentorum, quibus ad ſuos defendendos errores utuntur diſſentientes. 2. Formula precandi ad euchariſtiam accedentium, collecta ex *Hieronymo*, *Ambroſio* & *Auguſtino*.

Nic. MENII Confeſſio de vera præſentia utriuſque in Chriſto naturæ apud eccleſiam. Berlini 1582. Oppoſita iis, qui eam portentoſæ ubiquitatis titulo oppugnant. Et in fine additur Theologicæ facultatis academiæ francofordianæ de præmiſſa Confeſſione Cenſura, qua ipſum de tota hac doctrina recte ſentire, docere & ſcribere profitentur, non dubitantes, libellum iſtum

iſtum, cum in amicorum manus venerit, multis gratum & utilem fore.

Nicolaus *Menius* paſtor primum grunebergenſis, deinde cuſtrinenſis, obiit anno 1611. ſeptuagenarius. *Micralius* Syntagm. hiſt. eccleſ. lib. III. 769. & *Witte* Diar. biograph. I 2.

Cyr. SPANGENBERGII Hiſtoria Manichæorum. Vrſellis 1578. In qua de ſectæ huius origine & propagatione, doctoribus, diſcipulis & propugnatoribus, eorumque actis & ſcriptis, vita & doctrina, flagitiis & erroribus, varietate & inconſtantia agitur, eum quidem in finem, ut auctor imputationem ſeu culpam manichæi a ſe avertat. Librum dicavit dedicavitque non tantum Regi Daniæ, ſed etiam V. Electoribus, & XVII. Principibus S. R. Imperii, Proteſtantium religioni addictis.

φιλοφιλιππων ſeu *Melanchthonis* AMICORVM Defenſio Phil. *Melanchthonis*. Hanoviæ 1601. Contra *Wittebergenſium theologorum* Refutationem hiſtorici tractatus D. *Peuceri* de Phil. *Melanchthonis* ſententia in controverſia cœnæ Domini. Negant, *Melanchthonem* varium, inconſtantem & verſipellem fuiſſe, nec rem, ſed verba duntaxat in aliquibus locis Auguſtanæ confeſſionis mutaſſe, & opuſculum inſcribunt Ioachimo *a Berge*, nobili ſileſio, *Melanchthonis* olim diſcipulo, deinde amico non e multis, ut qui de eius fide, conſtantia, ſinceritate & innocentia præ aliis teſtari poſſit: & hac occaſione *Academia vitembergenſis* & *Melanchthonis* Teſtimonia de eruditione & virtute Bergii illius lata, nec non ſcriptam ad eundem *Melanchthonis* de turbis ab hoſtibus contra ſe excitatis Epiſtolam in medium adferunt.

XCIX.

Victorini STRIGELII Loci theologici, quibus Loci communes Phil. *Melanchthonis* illuſtrantur, & velut corpus doctrinæ chriſtianæ integrum proponitur. Neapoli Nemetum 1581. II. volumina. Non tamen ipſe eos auctor edidit, ſed Chriſtophorus *Pezelius*, qui Commentariolos hoſce, partim in ienenſi academia ex ore ipſius exceptos, partim ab amicis, qui prælectionibus eius lipſienſibus interfuere, acceptos collegit & contexuit, nec minus Dedicationem præfixit, in qua encomia Locorum Philippi

depromit, eumdemque contra hoſtium accuſationes defendere nititur. Poſt Dedicationem ſequitur 1) Præfatio ſeu Programma *Strigelii*, quo ſtudioſos ad audiendas prælectiones ſuas Lipſiæ invitat, & Locos Philippi, non tantum *Lutheri*, ſed etiam Io. *Stigelii* encomiis, quam poteſt, maxime commendat. 2) Oratio de ſtudiis doctrinæ chriſtianæ.

Victorinus *Strigelius*, Kaufbeira-ſuevus, *Lutheri* & *Melanchthonis* diſcipulus, profeſſor ienenſis, lipſienſis, & heidelbergenſis, cum *Menio* Iſenaci, cumque *Flacio* Vinariæ collocutus, variiſque adverſis & calamitatibus expoſitus, quæ quidem ipſi *Melanchthon* ex themate genethliaco prædixerat, (nam Ienæ, quod non vellet ſubſcribere Vinarienſium libro contra Wittebergenſes, in carcerem fuit aliquandiu coniectus, & Lipſiæ, cum in explicatione Locorum theologicorum uſque ad doctrinam de cœna Domini perveniſſet, Rectoris academici mandato, & inſtinctu theologi cuiusdam, videlicet *Pfeffingeri*, lectionem habituro clauſum fuit auditorium in collegio Petrino) eo mortis genere, quod ſæpe in votis habuerat, (dicens, *Ach Herr, gib mir einen reuteriſchen tod*) cito videlicet & placido, exſtinctus eſt Heidelbergæ anno 1569. cum vixiſſet annos 44. cum dimidio. Fuit theologus & philoſophus excellens & facundus, atque ad docendam iuventutem a natura ipſa fictus factuſque, & feliciſſimus *Melanchthonis* in docendo & ſcribendo imitator. Habemus autem ab eo ſcripta & philologica, & philoſophica, & theologica, atque in hiſce primæ debentur Hypomnematis in utriuſque Teſtamenti libros. Melch. *Adamus* in Vitis theol. p. 417. *Zeumer* in Vitis profeſſor. ienenſ. p. 16. *Kœnig* 781. Luc. *Oſiander* Hiſt. eccl. Cent. XVI. 814. *Micralius* 785. *Arnoldus* T. II. 362. *Spener* Conſil. theol. lat.. P. III. 187. *Serpilius* Epitaph. theol. ſuevor. 107. & *Gataker* in Crenii Methodor. Tomo III. 189. *Pezelius* in Epiſt. dedicatoria b 2 eum vocat γνησιον *Philippi* diſcipulum, virum clariſſimum, quem multi meminerint excellentibus donis ingenii, doctrinæ & eloquentiæ divinitus ornatum fuiſſe, & ultra annos XXIV. pluribus in locis, magna cum laude ſua & fructu diſcentium, erudiiſſe iuventutem ſcholaſticam.

Chriſtoph. *Pezelius*, plauenſis, theol. doctor, & prof. witteberg. deinde, cum dogma de ubiquitate adprobare non poſſet, bremenſis, pariterque eccleſiæ antiſtes, vir diſertiſſimus, (uti laudatur

datur in Epitome Bibliothecæ Geſner. p. 147) qui quotidie docte aliquid meditetur & ſcribat. Eius autem ſunt Oratio de generatione hominis, Argumenta & obiectiones de præcipuis articulis doctrinæ chriſtianæ cum Reſponſionibus Phil. *Melanchthonis*, Apologia doctrinæ de definitione Euangelii, oppoſita thraſonicis præſtigiis Io. *Wigandi*, Inſtructio de emendatis exemplaribus Aug. confeſſionis, & ſcripta polemica contra Aeg. *Hunnium*, Nic. *Selneccerum*, Dan. *Hofmannum* & Iac. *Fabrum*, ubiquitarium; idemque Opera *Georgii*, Principis anhaltini, e germanico in latinum vertit, & exſpiravit anno 1604 ætatis 65. *Witte* Diar. biograph. C 3, *Friſius* in Epit. Biblioth. Geſner. 146. & I. C. *Becmannus* in Exception-Schrift auf die Allerunterthænigſte Addreſſe p. 26.

C.

THEOLOGORVM LIPSIENSIVM & WITTEBERGENSIVM, nec non ſuperintendentium in territorio electorali ſaxonico Endlicher Bericht und Erklærung, Finalis narratio & Declaratio de doctrina, quam Auguſtanæ confeſſioni, inde ab euſi initio, conformiter propoſuerunt, ac propoſituri ſunt. Wittebergæ 1570. Scriptum hoc opoſitum eſt *Flacio* eiusque ſequacibus, qui uſque ad præſens in articulis quibusdam turbas excitarint, iisque Dei eccleſias in Germania maximopere contriſtarint & concuſſerint. Et poteſt diſpeſci in III. Partes, quarum prima agitur de origine Reformationis, Auguſtana confeſſione eiusque Apologia, ſcriptis *Lutheri*, Locis *Melanchthonis*, libro Interim, actionibus *Flacii*, & Colloquio wormatienſi, libro confutationum *Flaciano*, & Colloquio aldenburgenſi: ſecunda proponitur confeſſio Electoralium de iuſtificatione, libero arbitrio & adiaphoris, & reſpondetur ad obiectiones Ienenſium, cum indicio multorum peccatorum *Flacii*: tertia afferuntur querelæ contra *Staphylum* & *Flacium*, huiusque monſtrantur errores de peccato originis, converſione hominis & aliis articulis; declamatur contra *Mansfeldicos* theologos, quorum caput tunc erat M. Cyr. *Spangenberg*; diſquiritur, an Filius Dei dicendus ſit Patri ſimilis, agiturque de communicatione idiomatum, definitione euangelii, prædeſtinatione, & *Nordhuſiani*, quod ſint antinomi.

Theologorum MANSFELDICORVM Antwort und gegenbericht, Reſponſio & Refutatio ad Lipſienſium & Wittenbergenſium Finalem narrationem & declarationem: cum Cyr. SPANGENBERGII ſingulari Reſponſione ad illorum theologorum de ſe latum finale iudicium. Islebiæ 1570. Qua ſatis modeſte ſe purgant ab imputatis erroribus, ſicut & *Spangenbergius* facit peculiariter, & in fine additur explicatio vocis *Similis*.

WITTEBERGENSIVM theologorum Grundveſt, Solidum fundamentum veræ chriſtianæ eccleſiæ contra novos Marcionitas, Samoſatenianos, Sabellianos, Arianos, Neſtorianos, Eutychianos & Monothelitas in cœtu *Flaciano*. Wittebergæ 1571. Sunt eius quaſi III. Partes, quarum prima traditur confeſſio veræ doctrinæ de perſona & incarnatione Chriſti, cum dictis Scripturæ probantibus, & teſtimoniis veteris eccleſiæ chriſtianæ: ſecunda proponitur doctrina contraria, veterum videlicet hæreticorum, & recentium, item errores *Schvvenckfeldii*, Io. *Wigandi*, (ſic enim illi pergunt) in libro de Communicat. idiomatum, Mart. *Chemnitii* in libro de II. naturis Chriſti, nec non Iac. *Andreæ*, Wilh. *Bidembachii*, & *Marlini*: tertia defenditur Catechiſmus latinus wittebergenſis adverſus Sebaſt. *Boëtium*, & Mart. *Chemnitium*, ac phyſica ſeu eſſentialis communicatio idiomatum in Chriſto reiicitur.

WITTEBERGENSIVM theologorum Chriſtliche fragſtücke, Chriſtianæ quæſtiones de diſcrimine duorum Symboli apoſtolici articulorum, videlicet de aſcenſione Chriſti in cælum, & ſeſſione ad dextram Dei patris omnipotentis. 1571. Contra novas falſitates, quæ ſub ſpecie ſcriptorum *Lutheri* & *Corporis doctrinæ* a nonnullis ſparguntur.

Repetitio & brevis & ſimplex orthodoxæ confeſſionis ECCLESIARVM, quæ ſub ditione ſunt Ducis ELECTORIS SAXONIAE, de cœna Domini, deque horum temporum controverſis articulis, videlicet de perſona & incarnatione Chriſti, eiusque maieſtate, aſcenſione & ſeſſione ad dextram Dei. Wittebergæ 1572. Conſcripta in Synodo dreſdenſi, die 10. Octobris A. 1571. comprobata unanimi conſenſu Academiarum lipſienſis & vitembergenſis, trium Conſiſtoriorum, & Superintendentium univerſorum & ſingulorum, atque ex germanico converſa in lati-

in latinum ſermonem. Et hic etiam ipſum ſequitur *Originale germanicum*, A. 1572. itidem editum.

Paſtorum FRANCOFVRTENSIVM Kurze und chriſtliche prob, Breve & chriſtianum examen dicti Sacramentariorum, qui iactant, ſe plane conſentire cum Confeſſione præcedente Saxonicarum eccleſiarum electoralium. 1571. Francofurtenſes autem hic intelliguntur, qui ad Mœnum habitant.

Petri DATHENI Beſtændige antwort, Conſtans reſponſio ad non nullas quæſtiones, quas Paſtores francofurtenſes ſuper Confeſſione Saxonicorum electoralium, ſpeciminis ſive examinis inſtar, nuper ediderunt. Heidelbergæ 1572. Nimirum oſtendere ſatagit, ſe & peregrinos Chriſtianos Francofurti degentes, qui per calumniam Sacramentarii vocentur, idem illud tenere, credere, confiteri & docere, quod Electorales theologi ſaxonici in ipſorum Repetitione confeſſionis, aliiſque eorundem ſcriptis doceant atque confiteantur. Et quia Francofurtenſes paſtores Confeſſionem Saxonicorum miſere corrumpant ac mutilent, ideo & ipſe illis quæſtiones quaſdam proponit, ut appareat, an & ipſi conſonent cum Saxonicis, aut novam atque inauditam doctrinam adferant.

Petrus *Dathenus* in eccleſia docuit primum Francofurti ad Mœnum, deinde Heidelbergæ, poſtquam a Magiſtratu francofurtano honorifice dimiſſus fuerat, & ſcripſit A. 1563. Depulſionem Narrationis contrariæ Francofurtenſium paſtorum, itemque ad *Latomi* criminationes & maledicta duas Reſponſiones, floruitque anno 1572.

CI.

Iodoci Kinthiſii FREINSHEIMERI Miſcellanea, & vera delineatio liturgiæ ſive miſſæ Romanæ eccleſiæ. Francofurti ad Mœnum 1545. Deſcribitur hic Miſſa ſecundum III. ſuas partes, Introitum videlicet, Canonem & Complendam, & iſtarum partes explicantur, atque oſtenditur, ſingulas diverſis temporibus ortas, atque in unum tandem corpus compactas: ſed melius eſſe, ſi S. cœnam, miſſis operoſis cærimoniis, ad formam inſtitutionis Chriſti peragamus.

Iodocus

Iodocus Kinthiſius *Freinsheimer* ſcripſit etiam Collectanea in epiſtolam S. Pauli ad Philippenſes, & floruit anno 1545.

Ioach. MOERLINI Refutatio contra impudens mendacium Theologor. heidelbergenſ. Islebiæ 1565. Hoc ſcriptum exſtat etiam in Hiſtoria de Auguſtana confeſſione contra Ambr. *Wolfium* p. 504. Mendacium vero ait hoc eſſe, quod in ſua de maulbrunnenſi colloquio Wirtenbergenſibus oppoſita Relatione, quaternione I i i, ſcribere non vereantur, *Lutherum* ante obitum ſuum, & quidem cum accinctus eſſet ad ultimum iter islebienſe ſuſcipiendum, in ſententiam Reformatorum de S. cœna abiviſſe. Contrarium autem probat 1) inde, quod ille, confecto itinere islebienſi, ad menſam dixerit, tria ſe ante deceſſum ſuum peracturum, videlicet ſcripturum contra Lovanienſes, contra Iuriſtas, qui lites ſerant inter Principes, & contra Sacramentarios: 2) ex epiſtola eius, A. 1546. die 17. Ianuarii ad Iacobum præpoſitum bremenſem ſcripta, qua hiſce utatur verbis: *Mihi ſatis eſt infælicisſimo omnium hominum iſta beatitudo pſalmi: Beatus vir., qui non abiit in conſilio Sacramentariorum, nec ſtetit in via Cinglianorum, nec ſedet in cathedra Tigurinorum.* Vide *Rehtmeyer*. Hiſtor. eccleſ. urbis Brunſvic. P. III. 255.

Ioach. *Moerlinus*, vitembergenſis, profeſſoris philoſ. filius, ad figulinum opificium a conſanguineis & tutoribus deſtinatus, ſed divina providentia ſtudiis litterarum admotus, Lutheri auditor, deinde & eiusdem capellanus, S. theol. in iuventute creatus doctor, eccleſiæ præfuit Arnſtadii, Gottingæ, Regiomonti, & Brunsvigæ, ſed revocatus in Boruſſiam, atque in ſede epiſcopali ſambienſi collocatus, per triennium duntaxat hoc fruitus eſt honore: nam calculi doloribus, aliisque morbis & calamitatibus confectus atque attritus, cum ſectionem fruſtra paſſus eſſet, (nam loco calculi reperta eſt materia ſpiſſa, lenta, & mordax) exſpiravit anno 1571. cum vixiſſet annos 57. & 7. hebdomadas. Dives fuit ſpiritu, fortis & conſtans in periculis, vigilans in officio, liberalis erga pauperes, zelo religionis ardens, & diſputator vehemens contra *Maioriſtas*, *Oſiandriſtas*, *Synergiſtas*, *Calviniſtas*, Henning. *Clodium*, Matth. *Vogelium*, iuvenesque concionatores, qui munus ſacrum aggrediuntur, ſolitus eſt hunc in modum adhortari: *Arbeite redlich, meyne es treulich, und bete fleiſſig, ſo gibt Gott ſeinen ſegen reichlich*, i. e. *Labora ſtrenue, ſervi fideliter, & ora asſidue: ſic benedictionem Dei*

ſentias

uberrimam. Scripta eius ſunt Pſalmorum Davidis enarratio, Catechiſmus germanicus, Poſtilla euangeliorum dominicalium, de Vocatione miniſtrorum, & quatenus Magiſtratui fas ſit ab officio removere, Defenſio adverſus accuſationem novorum Wittebergenſium theologorum in libro, qui inſcribitur Στερέωμα, de Peccato originis contra Manichæorum deliria, & Epiſtola ad Oſiandrum. M. *Adamus* in Vitis theologor. p. 455. *Rehtmeyer* Hiſt. eccleſ. brunſvic. P. III. c. 7. p. 207. *Lexicon univerſ. hiſtor.* T. III. 563. *Kœnig* 555. *Micralius* 771.

Tilem. HESHVSII Kurze und einfæltige anleitung, Brevis & ſimplex Inſtructio, quomodo vera præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in S. cœna, ex irrefragabili fundamento verbi divini probanda ſit. Ratisbonæ 1578. Hæ autem eius ſunt probationes: quia 1. Chriſtus de pane benedicto dixerit, eum eſſe ſuum corpus, quod in mortem tradatur, & 2. de vino benedicto, eſſe ſuum ſanguinem, qui effundatur pro peccatis hominum. 3. panis, qui frangitur, dicatur communicatio ſive communio corporis Chriſti, qua videlicet corpus Chriſti commune reddatur tam impiis, quam piis ac fidelibus. 4. etiam impii & impœnitentes corpus & ſanguinem Domini, ſecundum apoſtoli Pauli 1. Cor. 11, 27. doctrinam, accipiant. Hiſce ſubiungit refutationem argumentorum, quæ in contrarium proferuntur: in Præfatione autem ad Paſtores eccleſiarum euangelicarum exponit verba Davidis in *Pſalmo* 17, 4. In libri huius fronte conſpicitur manus ipſius auctoris.

Tilemannus *Heshuſius*, veſalienſis, præcocis ingenii, abſoluto itinere per Galliam, Angliam, Daniam, & Germaniam, & ſumto gradu magiſterii in academia wittebergenſi, habitiſque ex permiſſione theologorum eius loci pluribus collegiis privatis, creatus Wittebergæ, cum nondum expleviſſet annum ætatis ſextum & viceſimum, doctor theologiæ, mira expertus eſt fata ratione munerum, quibus admovebatur: fuit enim Goslariæ paſtor primarius & ſuperintendens, Roſtochii paſtor ad S. Iacobi & profeſſor theologiæ, Heidelbergæ ſuperintendens generalis, profeſſor theologiæ princeps, & director Senatus eccleſiaſtici, Magdeburgi paſtor ædis S. Ioannis & ſuperintendens, Neuburgi concionator aulicus, Ienæ profeſſor theologiæ, in Boruſſia epiſco-

pus ſambienſis, & Helmſtadii profeſſor theologiæ primarius, philoſophus (ut in epitaphio dicitur) & theologus excellentiſſimus, cum zelo, conſtantia & eloquentia ſui temporis theologos ſuperaſſet, militante eccleſia, in qua multa bella contra Pontificios, Calvinianos, Manichæos, Pelagianos, Synergiſtas, & nominatim *Melanchthonem*, *Flacium*, *Sturmium*, *Kebitium*, *Hardenbergerum* & *Pezelium* geſſerat, varioſque commentarios in ſcripturam utriuſque teſtamenti, cum aliis pluribus libris, reliquerat, exceſſit anno 1588. ætatis 61. Melch. *Adamus* p. 621. *Leuckfeld* in Hiſtoria *Hebuſii*, qui & omnia eius ſcripta p. 231. fideliter recenſet, *Kœnig* 399. *Lexicon univ. hiſt.* T. III. 88. *Hutter.* Concord. concord. 280. *Hoë* Hauptvertheidigung 507. *Acta erudit.* A. 1716. 535. *Aepinus* diſp. de Meritis Weſtphalorum p. 16. *Eberus* in Epiſt. dedicat. Explicationi epiſtolæ ad Corinth. in IV. Parte operum *Philippi* præfixa, p. 215. *Wigandus* in Epiſt. dedicat. libri de Communicatione idiomatum, & Gottfr. *Arnoldus* Hiſt. hæret. & eccleſ. lib. XVI. c. 30. §. 15.

IDEM Vom vermeynten freyen willen, De prætenſo libero arbitrio, contra Synergiſtas. Magdeburgi 1562. Conſtat IV. Partibus, quarum prima agit de ſplendido nomine Liberi arbitrii, & ſtatu huius controverſiæ, converſione, regeneratione, & renovatione; ſecunda, quod liberum arbitrium nihil agat, aut cooperetur ad hominis converſionem; tertia de falſis in hoc articulo, a quibus tibi cavere debeas; quarta reſpondetur ad obiectiones Synergiſtarum. Negat vero auctor, hominem ſuis ipſius viribus ad converſionem concurrere: id quod ne Synergeſtis quidem adverſum fuerit.

IOANNIS FRIDERICI medii, IOANNIS WILHELMI, & IO. FRIDERICI iunioris, Ducum Saxoniæ Confeſſio fidei. Ienæ 1563. Scripta a Statibus provincialibus, paſtoribus & ſubditis, cum auguſtiſſimus Imperator denuo poſtulaſſet, ut prædicti Principes librum Interim reciperent. Hoc igitur libro omnes catechiſmi partes evolvuntur atque explicantur.

Petri PATIENTIS Warnung, Dehortatio a pontificio iubilæo & indulgentia. Francofurti ad Mœnum 1576. Docet igitur, Iubilæum illud eſſe traditionem humanam, nec nos obſtringere. 2. non præceptum a Deo, atque ideo negligendum. 3. non neceſſariam

ceſſariam indulgentiam papalem: nec magis 4. neceſſarium iubilæum. 5. de tempore. 6. de loco iubilæi. 7. de peregrinationibus, iubilæi & indulgentiarum cauſſa inſtitutis. 8. de lucro, quod Papa ex iubilæo & indulgentiis facit. 9. de falſationibus aliquot articulorum, quæ fiunt per indulgentias & iubilæum pontificium.

Petrus *Patiens*, ſuperintendens in Palatinatu, ſcripſit etiam Reſolutionem aliquot locorum S. ſcripturæ, vitamque finiit anno 1580. *Micrelius* Syntagm. hiſtor. eccleſ. 775.

Nicolai SELNECCERI Kurze erinnerung, Brevis commonefactio de chriſtiano Libro concordiæ. Lipſiæ 1581. Recitata coram eccleſia eodem anno. Dicit autem, librum nullam aliam ob cauſſam fuiſſe meditatum, ſcriptum, cenſuris ſubiectum, tandemque publici factum iuris, quam ut Magiſtratus & ſubditi, docentes ac diſcentes, patres familias eorumque liberi verbo Dei & bibliis parvis h. e. catechiſmo minori inhærerent.

EIVSDEM Provocatio ad Germanum *Beyerum*, & Ieremiæ VIETORIS Bedencken, Iudicium de intempeſtivis novationibus, quas aliquot vicini Zwingliani & importuni concionatores, magna cum offenſione, circa fractionem panis in S.cœna, in eccleſias auguſtanæ confeſſionis invexerunt. Lipſiæ 1583. Provocat autem *Selneccerus Beyerum*, quem ſe non noſſe ſimulat, & tamen nomen eius indicat ſub litteris *C. H.* easque interpretatur per *Chriſti hoſtem*, ad colloquium Heidelbergæ, Lipſiæ, Wittenbergæ, Francofurti ad Viadrum, Tubingæ, Roſtochii, Gryphiſwaldæ, Regiomonti in Boruſſia, Ienæ, Helmſtadii, aut alia in urbe, quæcunque adverſario placuerit, inſtituendum; interim vero in Examine theologico eius ſe argumenta ait excuſſurum, atque ex verbo Dei reſponſurum eſſe. Ecquid *Vietor* adfert? Is diſſerit de neceſſariis ſive eſſentialibus S. cœnæ, ſpecie ſive forma panis, fractione panis, abrogatione altarium, baptiſterii & calicis, everſione imaginum & picturarum, intermiſſione pericoparum euangelicarum & epiſtolicarum, quæ ſingulis dominicis explicari ſolent, & genuflexionis aut apertionis capitis ad pronuntiationem nominis Ieſu.

Ieremias *Vietor*, marpurgenſis, theol D. ac primum in patria, deinde giſſenſis profeſſor & ſuperintendens darmſtadianus, formavit

mavit orationem de vita & obitu M. Io. *Angeli*, Probationem, quod Calviniani non ſint auguſtanæ confeſſionis ſocii, item quod Papa non ſit caput eccleſiæ, nec Petri ſucceſſor, Homilias de precatione, Articulum de providentia Dei & æterna prædeſtinatione, Conciones in Apocalypſin Ioannis, & alia, obiitque anno 1609. ætatis 53. *Witte* Diar. biograph. G 3.

Treue warnung, Fidelis dehortatio a libello, cui titulus, Brevis & ſolida declaratio, quibus in punctis D. Lutherus & ſic dicti Calviniani, in doctrina de S. cœna conveniant, & diſcrepent, ex Lutheri ſcriptis excerpta. Anno 1577. Et quia auctor libelli hunc ordinem tenet, ut 1. triplices enumeret cærimonias, in quibus Lutherus cum Calvinianis conveniat, 2. VII. capita doctrinæ, in quibus itidem conſentiat, 3. duo puncta doctrinæ, de quibus adhuc controvertatur, 4. tres indicet cauſſas, propter quas Calviniani non poſſint cedere; ideo & refutator noſter eum ſequitur, ut idiotæ de omnibus punctis ſive capitibus eo melius informari poſſint.

Caſp. MELISSANDRI Klarer bericht, Perſpicua inſtructio de peccato originis, ſubſtantia ne ſit, an accidens, & qualenam proprie accidens. Wittebergæ 1581. Eum in finem ſcripta, ut rudes fundamentum controverſiæ cognoſcere, & devia tam pelagiani & ſynergiſtici accidentis, quam manichææ blaſphemæ ſubſtantiæ evitare, & in regia via ſecundum Dei verbum ambulare poſſent.

Caſp. *Meliſſander*, germanice *Bienemann*, noribergenſis, Sim. *Muſæi* & Matth. *Flacii* diſcipulus, eam ſibi theologiæ, & linguarum, ac præcipue græcæ notitiam comparavit, ut fama eius ad ſummum in orbe imperantium perveniret, ita ut hic, qui tunc erat MAXIMILIANVS, eum in Græciam interpretem ablegaret. Reverſus in Germaniam non uſque adeo propitiam ſenſit fortunam, donec, impetratis honoribus doctoralibus, eccleſiis Ducatus altenburgenſis præſul ſive ſuperintendens daretur: in qua functione deceſſit anno 1591. Vide *Gotteri* Elogia altenburgenſium p. 13. Scripſit libellum Communionis, & alium de Coniugio, de quo memorabile quid narratur in *Bibliotheca Schraderiana* P. I. O 4. & *Potterus* teſtatur, ſcripta eius adeo placuiſſe *Gerhardo*, *Glaſſio* & *Dilherro*, ut Precationes eius ſuas pæne fecerint, & cetera amaverint, lauda-

laudaverint, aliiſque commendaverint. Hiſce addatur *Wigandus* Orat. in promotione III. Doctorum, E 2.

Aegidii HVNNII Wolgegrundete widerlegung, Bene fundata refutatio Præfationis Sam. *Huberi* in Reſponſionem ad Io. *Piſtorii* VII. diabolos. Francofurti ad Mœnum 1596. In qua ille Wittebergenſes theologos easdem ait tibias inflare cum calvinianis, *Grynæo*, *Kimedontio* & *Pareo*, in doctrina de Prædeſtinatione, cumque ſuæ (*Huberi*) doctrinæ ſuppreſſione everſum ire ſalutarem Chriſti paſſionem & mortem, immo & fundamentum regenerationis; eorundemque doctrinam per ſe gignere abſolutum decretum, & quod Deus ex mero beneplacito, ſine ulla alia cauſſa, theſaurum ſuæ gratiæ erga paucos homines in Chriſto aperuerit. In fine additur eorundem WITTENBERGENSIVM THEOLOGORVM Confeſſio de Chriſti deſcenſu ad inferos; ut oſtendatur, eos non, ut *Huberus* criminabatur, receſſiſſe hoc in articulo a Formula concordiæ.

Lucæ OSIANDI Gründlicher bericht, Fundamentalis narratio contra Sam. *Huberi* Neceſſariam relationem, in qua ex ipſo (*Oſiandro*) calviniſtam vult facere. Cum eiusdem Concione in *Geneſ.* 25, 23. de prædeſtinatione, qua *Huberus* calumniam ſuam probare audet. Tubingæ 1596. In hoc, & priore *Hunnii* ſcripto multa referuntur, præcipue in initio, quæ ad hiſtoriam hubérianam faciunt. Pag. 79. annectitur doctrina de æterna Dei prædeſtinatione & electione, prout illa in libro Concordiæ continetur. Lucas ille *Oſiander* eſt ſenior, Andreæ ſenioris filius, tunc temporis eccleſiaſtes ædis cathedralis in urbe ſtutgartienſi.

CII.

ELECTORIS SAXONICI ECCLESIARVM Wiederholung, Repetitio confeſſionis de S. cœna, nec non de perſona & incarnatione, maieſtate, aſcenſione & ſeſſione Chriſti ad dextram Dei patris. Dreſdæ 1571. Prout illa edita eſt in Conventu dreſdenſi. Refutatio autem eius, per theologos ienenſes facta, inferius ſequetur.

Aliquot theologorum Iudicia, conſilia, & monita de novo ſamaritico Interim D. Iacobi *Andreæ*, & quomodo ad chriſtianam ac perpetuam concordiam, in eccleſiis euangelicis, per Dei

gratiam perveniri queat. Ienæ 1578. Per ſamariticum Interim intelligunt Librum concordiæ, quem D. *Andreæ* formaverat & commendabat. Præfatio ſive dedicatio eſt M. Marci *Volmari*, directa contra Iacobum *Andreæ*: eum enim lectoribus perſuadere conari, contentiones & controverſias poſt Lutheri obitum inter Euangelicos ortas non tanti eſſe momenti, nec fundamentum fidei attingere, ſed eſſe logomachias, & *Oſiandrum*, *Maiorem*, *Strigelium*, & reliquos omnes, qui diſſentire videantur, rectum tenere, modo dextre intelligantur; *Andreæ* autem propoſitum cum ſuo libro eccleſiæ non eſſe ſalutare, ſed pernicioſum, atque a diabolo inſpiratum. Traduntur autem hic 1) *Theologorum ienenſium* Iudicium, conſilium & monita contra D. Iac. *Andreæ* conciliationem in controverſiis religionis. A. 1569. Vbi agunt de recta & falſa conciliatione theologicarum controverſiarum; deinde exponunt, quid in genere de viri illius molimine iudicent; denique in ſpecie librum eius examinant, & particulatim monſtrant, quid ipſis falſum & reiectaneum videatur. 2) Excerptum ex Iudicio theologorum ſaxonicorum, quod in Præfatione Colloquii altenburgici continetur, contra D. Iac. *Andreæ* propoſitum. 3) Tilem. *Heshuſii* de cruce ac paſſione Chriſti, eiusque dilectorum chriſtianorum, & quod cum errantibus ac defenſoribus corruptelarum non poſſit pax iniri vera ac perpetua. 4) Nic. *Galli* Iudicium de Iac. *Andreæ*. 5) Chriſtoph. *Irenæi* Dehortatio & cauſſæ, cur non ſit admittenda amneſtia & ſilentium circa errores & corruptelas, neque intrandum in ordinem novorum Fratrum iacobiticorum. 1569. 6) Marci *Volmari* Propoſitiones contra Iac. *Andreæ*. 7) Epiſtolæ quædam & ſcripta de conciliationibus iacobandricis.

Mercklich partickel, Senſibilis particula diu quæſitæ Formulæ concordiæ, & conciliationis D. Iac. *Andreæ* in rebus religionis, & quid de illo, ſecundum ſuum de ſe ipſo latum iudicium, iudicandum ſit. 1580. Auctor huius ſcripti eſt flacianus, pertendens, peccatum originis non eſſe accidens, ſed ipſam hominis ſubſtantiam. Quid multis? M. Chriſtoph. IRENAEVS, exul Chriſti; ſicut in fine legimus.

Chriſtoph. *Irenæus* Vinariæ concionator aulicus, propter flacianiſmum dimiſſus ab Hero ſuo, diu in exilio oberravit, & fabricavit Speculum æternæ vitæ atque inferni, & Tractatum de apoſtaſia.

Wieder-

Wiederholte erzehlung, Repetita narratio, quid actum ſit de remotis Wittebergenſibus theologis A. 1574. cum eorum adverſarii novos articulos torgavienſes de S. cœna condidiſſent. Bremæ 1589. Ex Chriſtoph. *Pezelii* Apologia contra Herm. *Hamelmannum*: nunc autem de novo edita adverſus D. Dan. *Hofmanni*, aliorumque ipſi ſimilium convicia & calumnias. In fine tabella aperitur & porrigitur de vero & ſalutari uſu S. cœnæ.

Chriſtophori PEZELII Wahrhaftiger bericht, Vera narratio de correcto exemplari Auguſtanæ confeſſionis, & quis ſit ſtatus controverſiæ de S. cœna, & quod Phil. *Melanchthoni* iniuria fiat, ſi dicatur, eum poſt mortem *Lutheri* novam de S. cœna doctrinam invexiſſe. Bremæ 1591. Oppoſita D. Nic. *Selnecceri* Vltimæ confeſſioni & teſtamento.

Chriſtoph. PELARGI Nothwendige Verantwortung, Neceſſaria Apologia ad Conr. *Schluſſelburgii* horribilem calumniam, Roſtochium nuper emiſſam. Francofurti ad Viadrum 1616. Nimirum ab hoc vocatus fuerat apoſtata, ecebolista, hypocrita, calviniſta, ſacramentarius, qui cærimonias in S. cœna mutaverit, & veram negaverit præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti in S. cœna. Sed hæc omnia eſſe falſa ait ille, & meras atque impudentes calumnias, ſummaſque iniurias.

THEOLOGORVM LIPSIENSIVM & WITTEBERGENSIVM Wahrhaftiger bericht, Vera narratio & brevis dehortatio ab Actis Colloquii altenburgenſis, nuper Ienæ editis. 1570. Aiunt enim vero, Ienenſes, quos Flacianos appellant theologos, temere Acta edidiſſe, quædam truncaſſe, alia addidiſſe, venenatam præfixiſſe præfationem, collocutores falſis accuſationibus oneraſſe, eorumque Acta calumnioſe interpretatos eſſe.

THEOLOGORVM IENENSIVM Erinnerung und warnung, Admonitio & dehortatio a laqueis doloſis aliquot Sacramentariorum vvittebergenſium, in ipſorum Confeſſione de S. cœna occultatis, ad corrumpendum mundum. Ienæ 1572. Confeſſio illa prodiit Dresdæ anno 1571. atque a nobis ſupra recenſita fuit. Si autem ſcire deſideras, qui nam ſint laquei doloſi, ſic habeto: eos 1. doctrinam de ſacra cœna non iuſte proponere. 2. in ſpeciem

ciem tantum excitare Lutherum. 3. non ingenue provocare ad ſcripta ſive libros aliquos. 4. luſum facere cum reiectione aliquot ſacramentariorum. 5. fraudulenter allegare Patres. 6. ordinem rerum invertere. 7. falſo iactare unam doctrinæ formam. Et huius ſcripti, ſicut ex ſubſcriptione patet, auctores erant Io. WIGANDVS, Tilem. HESHVSIVS, Timoth. KIRCHNERVS, theol. doctores ac profeſſores.

ECCLESIARVM SAXONICO-ELECTORALIVM Kurz bekentnis, Brevis confeſſio de S. cœna, tradita in comitiis torgavienſibus. Wittebergæ 1574. Comprehenſa articulis affirmantibus & negantibus, & oppoſita Cryptocalvinianis. Adduntur etiam articuli de S. cœna, quos acceptare, & ſuo chirographo confirmare debebant Stipendiati.

Ioannis WIGANDI Chriſtl. erinnerung, Chriſtiana commonefactio de Confeſſione theologorum miſnenſium nuper edita de S. cœnæ. Regiomonti 1574. Huic Commonefactioni ſubſcripſerunt, ut in fine legitur, Tilem. *Heshuſius*, Bened. *Morgenſtern*, Phil. *Caſar*, Hieron. *Mœrlinus*, & Io. *Wedman*. Improbatur autem Confeſſio illa Miſnenſium, quod 1. doctrinam de S. cœna ex libris non tantum Scripturæ ſacræ & *Lutheri*, verum etiam Philippi *Melanchthonis*; qui tamen Sacramentariorum ſententiam ſuam fecerit, tradi velit. 2. D. Pauli *Eberi* librum de S. cœna pro orthodoxo alleget. 3. ubiquitatem carnis Chriſti, ſine neceſſaria explicatione, a ſe removeat. 4. Corpus doctrinæ *Philippi* Sacramentariorum errores refutaſſe fingat. 5. *Repetitionem dreſdenſem* laudet & adprobet. 6. fundamenta Sacramentariorum non evertere ſtudeat.

EIVSDEM Erinnerung und Bericht, Commonefactio & inſtructio, an novi Wittebergenſes perpetuo ad præſens uſque tempus conformiter veteribus docuerint, & num *Lutheri* & *Philippi* ſcripta per omnia conſonent. Regiomonti 1575. Negat utrumque. Per novos autem Wittebergenſes intelligit, & ipſe indicat, Caſp. *Crucigerum* iuniorem, Henr. *Mollerum*, Chriſtoph. *Pezelium*, & Frid. *Widebrandum*.

THEOLOGORVM LIPSIENSIVM, WITTEBERGENSIVM & IENENSIVM Fragſtücke und Antwort,

wort, Quæſtiones & reſponſiones, ſive declaratio de Witteber-genſium Stereomate, Novo catechiſmo, Exegeſi, Conſenſu dreſ-denſi, cum aliis eius modi ſcriptis ſacramentariis. Dreſdæ 1581. Ex Lipſienſibus, qui ſubſcripſere, erant Zach. *Schilter*, Wolfg. *Harder*, Nic. *Selneccer:* ex Wittebergenſibus, Paul. *Crell*, Io. *Bu-genhagius*, Mart. *Oberndorfer:* ex Ienenſibus Dav. *Voyt*, & Balthaſ. *Sartorius*.

THEOLOGORVM WVRTEMBERGENSIVM Bericht, Informatio de controverſia ſuper S. cœna, & perſona Chri-ſti, Orthodoxas eccleſias inter & Sacramentarios. Tubingæ 1575. Hic monſtratur, in quo nam iſtæ controverſiæ conſiſtant, in quan-tum partes conveniant ac diſtent, quam perniciofus ſit Sacramen-tariorum error, & quid pius chriſtianus de duobus illis articulis in ſimplicitate credere ac iudicare debeat.

CONSVLIS & SENATVS AMBERGENSIS Wahrhaftiger bericht, Vera narratio, in ipſius eccleſia & ſchola chriſtianam & puram doctrinam, ſecundum amuſſim Verbi divini & Auguſtanæ confeſſionis proponi, & ſacramenta porrigi, omnes-que alios actus eccleſiaſticos peragi: contra frivolam accuſationem Dan. *Toſſani*. Lipſiæ 1576. Liber Toſſani ita inſcribitur: Chriſtli-che erinnerung, ſeu Admonitio ad Senatum populumque amber-genſem de nuper inſtituta actione, propagandæ & conſervandæ in eccleſia & ſchola piæ concordiæ cauſſa.

Nicolai CANCERINI Rettung, Vindiciæ auguſtanæ con-feſſionis, contra falſam interpretationem Dan. *Toſſani*, qua eam in peregrinum & zwinglianum ſenſum pervertere auſus eſt. Tu-bingæ 1579. Liber autem *Toſſani* eſt Troſtſchrifft, ſive Conſolato-rius ad omnes pios Chriſtianos, qui propter puram atque a fermen-to pontificio repurgatam doctrinam de ſacramentis, atque in pri-mis de S. cœna, affliguntur.

Nic. *Cancerinus*, ſuperintendens eccleſiarum in Comitatu har-burgenſi, & ditione Reichenweiler, vixit inclinante ſæculo XVI. ediditque Concionem germanicam de antiqua fide & iuſtificatio-ne hominis.

Ioannis MAGIRI Grundliche widerlegung, Solida refu-tatio libri zvingliani, quem M. Ambroſ. *Wolfius* ſub titulo Hiſto-riæ auguſtanæ confeſſionis edidit. Tubingæ 1580. Recuſa anno 1582.

Digitized by Google

1582. additis aliquot Epiſtolis *Buceri*, *Capitonis* & *Muſculi* antea ineditis. In qua agitur 1. de origine litis *Lutherum* inter & *Carolſtadium*. 2. de marpurgenſi colloquio. 3. de X. articulo Auguſtanæ confeſſionis: eum non ita formatum anno 1530. fuiſſe, ut poſtea emendandus fuerit. 4. de Confeſſione IV. civitatum. 5. de actis ab anno 1535. uſque ad ſequentem. 6. de Concordia wittebergenſi anni 1536. quæ & ipſa adfertur. 7. de actis inter *Lutherum* & *Helvetios* poſt illam Concordiam. 8. de diſſolutione concordiæ inter *Lutherum* & *Helvetios*. 9. de argumentis *Wolfii*, quibus probare conatur, Lutheranos a prima Confeſſione auguſtana receſſiſſe, correctam vero ſecundum *zvvinglianum* ſenſum recepiſſe & adprobaſſe.

Ioannes *Magirus*, philoſ. magiſter, & præpoſitus ſtutgartianus, mira providentiæ divinæ beneficia expertus, obiit A. 1614. ætatis 77. *Serpilius* Epitaph. theol. ſuev. 46.

Sam. HVBERI Gegenſaz, Antitheſis doctrinæ lutheranæ & calvinianæ ſeu zwinglianæ in aliquot controverſis articulis. Tubingæ 1591. Et illi quidem ſunt de Deo, perſona & officio Chriſti, homine, verbo Dei & miniſterio eccleſiaſtico, ſacramentis, & ſpeciatim baptiſmo & S. cœna.

Sam. *Huber*, Berna-helvetius, primum paſtor burgdorfienſis prope Bernam, deinde derendingenſis haud procul a Tubinga, poſt hæc doctor theologiæ & profeſſor wittebergenſis, ſed propter ſententiam de univerſali hominum electione ab æterno a Deo facta remotus, in exilio vagatus eſt, uſque dum tandem Oſtervicum ad generum ſe conferret ſuum, ibique anno 1624. ætatis 77. obdormiſceret. Vide *Acta Huberiana*, *Lexicon univ. hiſtor.* Tomo III. 135. *Sagittarium* Introduct. in hiſtor. eccleſ. T. I. 981. & vener. abbatem *Schmidium* diſput. de Sam. Huberi vita, fatis & doctrina. Scripta eius ſunt Compendium theſium de univerſali redemtione, Invicta veritas de facta in Chriſto prædeſtinatione univerſi generis humani ad ſalutem, Declaratio propoſitionis, *Deum omnes in Chriſto elegiſſe*, Continuatio Explicationis Iobi *Schnepfiana*, Commentarius in Apocalypſin, Tractatus contra Iac. *Kimedoncium*, Reſponſio ad Io. *Piſtorii* convicia & calumnias contra Lutherum, *Antibellarminus*, & alia: adverſarii autem ac refutatores eius, Aeg. *Hunnius*, Polyc. *Lyſer*, Sam. *Geſner*, Steph. *Gerlach*, Phil. *Nicolai*, & *Hoë*.

CIII.

CIII.

MANSFELDICORVM theologorum Abfertigung, Refutatio erroris *Spangenbergii* de peccato originis. Halæ magdeburgicæ 1576. Cum vero intra unius anni ſpatium X. libelli a Cyr. *Spangenbergio*, eiuſque ſociis editi ſint, in præſenti tamen refutatur duntaxat eius de peccato originis Catecheſis: ſimul etiam narratur, quo modo hæc lis in Comitatum irrepſerit mansfeldicum: præterea vindicantur dicta *Lutheri*: & denique paſtores mansfeldici brevem & claram edunt confeſſionem de peccato originis. In Dedicatione ad duos Electores, & tres Principes exponunt verba Cantici *Salomonis* c. 2, 15. *Prehendite nobis vulpes, vulpeculas corrumpentes vineas*, idque adplicant ad *Spangenbergium* eiuſque ſocios, atque ad eorum exceptionem, vim ſibi fieri, & inauditos condemnari, reſpondent, dicentes, 1. Multa eorum ſcripta, tam germanica, quam latina, edita, atque in medio poſita eſſe. 2. Illuſtriſſimum Comitem, finito Islebiæ colloquio, utriuſque partis tractatus ad vicinas transmiſiſſe eccleſias, earumque ſententiam requiſiviſſe, quæ hæc fuerit: *Spangenbergium* a veritate aberraſſe, monendumque, ut errorem miſſum faceret. 3. Eundem Comitem, præſentibus vicinis paſtoribus, *Spangenbergium*, quamvis fruſtra, admonuiſſe, ne eccleſias perturbare pergeret; ſed illos ei contemtui fuiſſe, neque voluiſſe eos audire. 4. Publicam quoque & ſollemnem audientiam in arce islebienſi datam, & utramque partem admonitam, ut paci & concordiæ darent operam; cumque *Spangenbergius* renueret, ei & aſſeclis eius ex abundanti indultum hoc beneficium, ut, ſi putent ſe iudiciis exterorum gravatos eſſe, neque ſuam ſententiam illis ſatis cognitam ac perſpectam, eam clarius exponerent; atque tunc utraque ſcripta ad illas eccleſias, quæ utrique placerent parti, transmittenda, earumque iudicium exſpectandum eſſe: ſed nec hanc eos conditionem acceptaſſe.

Aliquot ECCLESIARVM, Auguſtanæ confeſſioni addictarum, Cenſuræ de lite inter Paſtores mansfeldicos, circa peccatum originis. Halæ 1577. Sunt enim vero theologi halenſes, magdeburgenſes, brunſvicenſes, roſtochienſes, grubenhagenſes, eimbecenſes, & anhaltini: cum Comitum mansfeldicorum litteris petitoriis ad eorum Principes, horumque reſponſoriis, videli-

cet *Ioachimi Friderici* Marchionis brandenburgici & poſtulati Adminiſtratoris primatus & archiepiſcopatus magdeburgici, *Iulii* Ducis brunſvic. & luneburg. *Ioannis Alberti* & *Vlrici*, fratrum, Ducum mecklenburgicorum, *Wolfgangi* Ducis brunſvic. & luneburgenſis, & *Ioachimi Erneſti* Principis anhaltini.

D. Mart. LVTHERI Klare und helle zeugniſſen, Clara & perſpicua teſtimonia de peccato originis, quod non ſit ſubſtantia hominis, collecta per Tilemannum HESHVSIVM. Ienæ 1572. Oppoſita illis Teſtimoniis, quæ *Spangenbergius* pro ſua ſententia ex illo, ſed perverſe, collegerat, & paullo ante ediderat. Iubet autem *Heshuſius* in illis attendere ad hæc puncta, quod *Lutherus* clare teſtetur, peccatum originis 1. intime hærere in natura hominis. 2. vocare malum, impuritatem, vulnus, corruptionem, luem, ſordem, lepram, & venenum, quod ſatanas immiſerit in naturam. 3. expurgandum atque eiiciendum eſſe ex natura, ab eaque ſeparandum, hominem vero a peccatis abluendum, & mundandum. 4. naturam & creaturam Dei diſtinguendam eſſe a ſorde, & immunditie eius, quæ originem ſuam trahat a diabolo.

Iacobi ANDREAE Sendbrief, Epiſtola ad Matthiam *Flacium* de peccato originis. Tubingæ 1574. In qua tota controverſia clare proponitur, & in gratiam idiotarum explicatur, pariterque via oſtenditur, qua illa ſine diſpendio veritatis divinæ ſopiri queat. Via autem hæc eſt, ut *Flacius* publice profiteatur, ſe ſe in explicando peccato originis *Lutherum* eſſe ſecutum, qui illud vocarit *peccatum naturæ* & *peccatum perſonæ*, non quod peccatum hoc ſit eſſentia, ſed quod hæreat in natura & eſſentia hominis.

De *Flacii* eiuſque ſectæ dimiſſione ex univerſitate ienenſi. 1561. Quas ob cauſſas? Quia 1. non permanſerint in pura explicatione verbi divini ſecundum *Lutheri* doctrinam, ad quam præcipue fuerint vocati, ſed Dei cauſſam ſuam fecerint, ſectas formarint, novumque papatum erexerint, cum arbitraria excommunicatione & excluſione certorum hominum, qui ab ipſis diſſentiebant, a baptiſmo & ſacramento altaris. 2. Non tantum in

ſcriptis

ſcriptis ſuis polemicis, ſed etiam in lectionibus ſcholaſticis ſophiſtice docuerint, & multa præclari ſolatii dicta ſacra perverterint, atque ad ſuum adplicaverint propoſitum, ſpargentes interim varios libellos famoſos, plenoſque conviciorum contra ſuperiores & inferiores Status, quibus amicitia inter eos ſolveretur, conſcientiæ turbarentur, pax publica læderetur, nec parva ad turbas & ſeditiones cauſa porrigeretur. 3. Chriſtianis ac neceſſariis Principum ſuorum conſtitutionibus, per Conſiſtorium & Miniſterium eccleſiaſticum ienenſe promulgatis, reſtiterint, eaſque iniqua notaverint cenſura. 4. Superintendentem ienenſem calumniati ſint, atque eccleſiam hanc, a ſophiſtica ipſorum tyrannide liberatam, de novo contriſtaverint, gravarint, & ſine cauſſa corrumpere conati ſint. 5. Principum ſuorum mandata & edicta de non edendis ſine prævia cenſura ſcriptis, ex mera inobedientia ſæpius contempſerint, temereque violaverint. Hiſce ex ore Commiſſariorum principalium, in præſentia profeſſorum & trium oppidi ienenſis ſenatorum auditis, *Flacius* eiuſque complices acceptarunt dimiſſionem, ſeque (hoc erat verbum eorum) Deo commendarunt.

CIIII.

THEOLOGORVM WITTEBERGENSIVM Refutatio Tractatus hiſtorici Caſp. *Peuceri* de Phil. Melanchthonis ſententia de controverſia cœnæ Domini. Wittebergæ 1597. Hæc Refutatio conſtat exordio & IIX. capitibus, in quorum illo afferuntur rationes, cur *Peucero* contra *Lutherum*, eiusque doctrinam & fideles παραστατας nulla omnino fides tribuenda ſit; in hiſce autem dicitur 1. de divina *Lutheri* excitatione & vocatione ad opus refutationis. 2. de iniqua *Lutheri* & *Philippi* comparatione. 3. de *Philippi* clandeſtina mutatione, *Luthero* ignota. 4. de ſententia *Philippi* in negotio ſacræ cœnæ, quam publicis ſcriptis & monumentis edidit. 5. de *Philippi* clancularia ad partes Sacramentariorum defectione. 6. de inconſtantia & varietate *Philippi* tempore Interim. 7. de calumniis, quæ *Luthero* eiusque ſociis, in primis *Pirckheimero*, *Amſtorfio*, *Weſtphalo*, *Brentio*, ſuevis doctoribus & *Crellio* illinuntur. 8. de polypragmoſyne calvinianorum medicorum.

Petri EBERTZII Synopſis analytica Syngrammatis anticingliani. Ienæ 1603. Hæc Synopſis, ut in fronte libri dicitur, debet eſſe epitome & anteambulo ſecuturæ theologicæ, iuridicæ & hiſtoricæ Deductionis & demonſtrationis, tam in poſſeſſorio, quam in petitorio, Zvinglianos & Calviniſtas Auguſtanæ confeſſioni nunquam addictos fuiſſe, neque in pace religionis comprehenſos, ſed eam haud ita pridem per ſub- & obreptionem falſo & immerito ſibi arrogaſſe. In Præliminari Admonitione ſive Præloquio, quod verboſum & inſtar libri eſt, multis diſputat contra Reformatorum ſententiam de ſacra cœna, ubique autem ſingularem prodit zelum erga ſuæ ſententias eccleſiæ, & e contrario implacabile odium erga diſſentientes.

Petrus *Ebertz*, Iurium doctor, & Cameræ imperialis, quæ Spiræ erat, advocatus ordinarius, vixit & pugnavit in ſæculi XVII. principio, ſed & ira atque impetu ſuo perſecutionem adverſariorum, de qua ipſe in fine libri teſtatur, ſibimet contraxit.

CV.

DODECAS ſcriptorum theologicorum, tum veterum, tum recentium, recenſita pro ſtudioſa iuventute & candidatis Miniſterii. Norībergæ 1646. Ecquænam iſta? 1) Tria ſymbola oecumenica, apoſtolicum, nicænum, idque auctum, & *Athanaſii.* 2) *Lutheri* Catechiſmus, maior & minor, germanice. Ex tomo V. Lutheri operum ienenſium germanicorum. 3) Auguſtana confeſſio, latine & germanice. Et germanica quidem ex tomo VI. operum Lutheri germanicorum ienenſium. De latina autem vide *Chytraum* Hiſt. auguſt. confeſſ. 77. 4) Apologia Auguſtanæ confeſſionis. 5) Articuli ſmalcaldici, germanice. Vide *Hauptvertheidigung* 740. *Gerhardum* Confeſſ. cathol. 792. & *Arnoldum* Hiſt. eccleſ. & hæret. P. II. 213. Hæc V. ſcripta continentur etiam in Form. concordiæ. 6) Repetitio auguſtanæ confeſſionis, ſeu Confeſſio doctrinæ ſaxonicarum eccleſiarum, ſcripta A. 1551. ut Concilio tridentino exhiberetur. Vide *Hauptvertheidigung* 269. *Hiſtoriam auguſt. confeſſ.* oppoſitam Ambroſio *Wilſio* 463. & *Calovium* Crit. ſacri p. 155. 7) Loci communes Phil. *Melanchthonis.* Ex editione argentoratenſi A. 1523. 8. Vide *Hutterum* L.L. theol. p. 9. & in Concordia concorde p. 95. 8. *Eiuſdem* Examen theologicum. Secundum editionem

Digitized by Google

ditionem wittebergenſem A. 1556. Vide *Pezelium* Explicat. Examinis huius P. I. 4. & *Hutterum* Concord. concord. 95. 9) Definitiones theologicæ. 10) Reſponſio ad Articulos bavaricos. 11) Reſponſio de contoverſiis *Stancari*. 12) Conſtitutio eccleſiaſtica noribergenſis, & Conciones catecheticæ. Germanice. Vide *Hiſtoriam noſtra bibliotheca* P. II. 342. De auctoritate librorum normalium legi poſſunt *Lutherus* in Poſtilla eccleſiaſtica, dominica IIX. poſt Trinitatis p. 434. & in Colloquiis menſal. 476. I. B. *Carpzovius* Iſag. in libros ſymbol. p. 2. G. *Calixtus* in Refutat. Welleri Dd David *Chytraus* ad Iacobum Andreæ, Epp. p. 1132. Io. Val. *Andrea* in Menippo 31. *Academia Iulia* Schuzrede 68. *Spener* Præfat. in Koepkenii Theologiam myſticam d 3. Aufrichtig. ubereinſtimmung 91. & Iudicior. theolog. latin. P. III. 276. 277. Io. Georg. *Neumann* de auctoritate librorum ſymbolicorum, *Saubertus* Operum poſthum. p. 153. *Schützius* ad Chytræi Orationem de ſtudio theol. 33. *Wideburg* Program. de auctoritate librorum ſymbolicorum A. 1708. *Formula concordia* 570. eiusque *Apologia* c. IIX. 163. *Hutterus* Irenici p. 126. *Glasſius* in Struvii Actis litterariis, Faſc. V. 39. F. V. *Calixtus* Reſponſ. ad *Calovii* Theſes antiſyncretiſt. p. 20. auctor *Lutheri redivivi* 135. 156. S. *Hieronymus* epiſt. 3. *Grabe* Append. ad Regii Formulas caute loq. 112. Io. *Muſaus* de Syncretiſmo & ſcriptura S. 342. Caſp. *Ziegler* ad *Grotii* Prolegom. in libros de I. B. ac P. §. 51. Chriſtian. *Thomaſius* in Programmate, Halæ A. 1697. d. X. Decembr. publicato, Io. Mich. *Lang* Addreſſe contra *Storrium* 34 *Calvoer* Rit. eccleſiaſt. P. II. 458. Io. Frid. *Walliſer* in Vindiciis libror. eccleſiæ luther. ſymbolicorum, *Freylinghauſen* Entdeckung der falſchen theologie 41. 611. 275. *Anonymus* in II. Vnterredungen zwiſchen einem Politico und Theologo vom zuſtand der kirchen p. 13. *aliusque* in Clerici Bibliotheque choiſie T. VII. 402. *Bibliothecarius* nulli parti addictus 458. *Peterſen* Præfat. in T. I. P. II. Myſterii reſtitut. omnium p. 3. in Tomum II. n. 30. & in Apologia contra *Fechtium*, 14. 24. Polyc. Iac. *Bauer* Reſp. ad Qq. 120. C. A. *Rameling* Herausfuhrung aus Babel 96. 135. 136. 144. auctor des *Bedenckens* von der Freyheit des glaubens B v iij. &, ſi diverſæ religionis homines audire placet, *Palatini* in Chriſtiana admonitione de Formula concordiæ 195. Io. *Bergius* in Dedicat. Regulæ apoſtol. *Strimeſius* Inquiſit. in Armenianiſmum 96. *Roëll* de generat. Filii Dei 12.

Comenius

Comenius in Vno neceſſario 59. 63. *Remonſtrantes* Præfat. in Confeſſ. eiusque Apologiam, *Præſtantium virorum* Epiſtolæ p. 221. *Epiſcopius* Operum P. I. 2. *Poelenburgh* Præfat. in II. Partem illorum operum * 3. & in Epiſtolis præſtant. virorum 250. b. *Curcellaeus* 34. Hadr. *Saravia* in Epp. præſtant. viror. 295. quæ Epiſtola etiam legitur in *Geſſelii* Hiſt. N. Tti P. II. 561. De omnibus autem *Dodecadis* huius ſcriptis lectu digna eſt Io. Conr. *Dürrii* Commentatio, quam Iſagogen vocat in libros normales ſeu ſymbolicos Eccleſiæ noribergenſis.

CVI.

Ioannis Benedicti CARPZOVII Iſagoge in libros ſymbolicos eccleſiarum lutheranarum, cum Continuatione Io. *Olearii* in Partem Formulæ concordiæ. p. 1191. Lipſiæ 1699. Editio tertia & correctior. Ac ſciendum, *Io. Benedictum*, theologum itidem lipſienſem, Oleario ad Continuationem ſuppetias tuliſſe, & non neminem, cuius mentio fit p. 916. eſſe Georg. *Calixtum* commentantem in 2. ad Theſſalon. 2, 8. *Facultas theologica lipſienſis* in Præfatione ſcriptum hoc valde commendat, idque inæſtimabilis in ſtudio theologico utilitatis eſſe perhibet, & a ſtudioſa iuventute diligenter vult lectitari, deque *Oleario* teſtatur, eum Venerem illam, a *Carpzovio* cœptam, pari dexteritate ad finem perduxiſſe, & in Eccleſiæ proſcenio ſtitiſſe nitidiſſimam. Vide *Relat. innoc.* A. 1703. 286.

Pag. 44. *Deſcendit* ad inferna.	*Abiit* ad inferna. *Hiſtoria Symboli apoſtol.* 180.
122. Syntagma Confeſſion. calvinianiſ. publice mentitur, (Præfat. in Aug. confeſſ.) in Conventu Naumburg. A. 1561. *Confeſſionem A.* 1540. *a Philippo recognitam fuiſſe* " *ſubſcriptam a Statibus*, & Ferdinando Cæſari exhibitam.	Verba Syntagmatis in Præfat. in Auguſtan. confeſſionem §. 1. hæc ſunt: Recognita, rurſus exhibita fuit FERDINANDO Imperatori, in Comitiis Imperii, anno 1558. & anno 1561. Illa vero *editio, quæ Witteberga edita fuit anno* 1540. hic (nempe in Syntagmate) *exhibetur*.

A No-

Pag. 378. Novatiani dicti *a Novato.*	*A Novatiano.* Io. *Fabricius* Syſtem. theol. 544.
409. Recentiores (Pontificii) revera ab efficientia ſacramentorum, *devotionem utentis excludunt.*	*Non* tamen *ſimpliciter, & a ſalutari uſu ſacramentorum*, ſicut *Bellarminus* explicat in verbis ibi adductis. *Caſſander* 934. 950. 991. *Kunckelius* 569. *Eſtius* in librum IV. Sentent. diſtinct. I. T. IV. p. 7.
557. *Becanus* in libr. de Invocat. Sanctorum p. 113. (1229.) incertum eſſe ſcribit, *an re ipſa Chriſtophorus fuerit.*	An re ipſa *ingigantea mole* Chriſtophorus fuerit.
792. In gratiam Pontificiorum, præter propitiatorium ſacrificium & euchariſticum, *non poteſt concedi* tertium aliquod, *commemorativum:* quemadmodum *Calixtus* Apol. contra Buſcher. P. II. 248. & in Exercit. de miſſa th. 47. & ſeqq. diſputavit.	Sed *ita, præter Eccleſiæ patres* Chryſoſtomum, Auguſtinum, Theophylactum, *decuerunt noſtrates* Regius, Chemnitius, Hieron. Kromayer, Iod. Schlaff, & ipſe Lutherus. F. V. *Calixtus* Demonſtrat. liquidiſſ. contra Calovii Conſenſum repetitum 307.
1174. Epilogus (orationis dominicæ,) nempe hic, οτι σȣ εστιν η βασιλεια, και η δυναμις και η δοξα εις τȣς αιωνας, *apud Matthæum* (c. 6, 13.) *in omnibus græcis exemplaribus conſtanter legitur.*	*Deeſt in quibusdam exemplaribus*, uti teſtantur *Curcellæus* in Variis lectionib. & illuſtris Ger. *a Maſtricht* in editione N. T. græci Wetſteniana A. 1711.
1079. In Orationis dominicæ exordio *recte dicitur Vater unſer* pro Vnſer Vater.	*Brentius* Concionum catechet. p. 174. *prefert alterum*, non reſpectu Dei, qui etiam corruptam intelligat linguam, ſed idiomatis germanici. Quem ſequitur Timoth. *Friedlieben*, i. e. Iuſtus *Geſenius*, in Erœrt. der frage P. I. 35. 61. 82. 104. &c. & G. *Rittero* Diſpp. catechet.

Pag. 1085. Quod H. Grotius in Voto pro pace p. 37. ſcribit, *proprie* per βαπτίζειν *immerſionem ſignificari*, ab Eccleſia autem aſperſionem fuiſſe ordinatam, *id abſque fundamento eſt.*

1140. Apologia Aug. confeſſ. a Statibus *antea* approbata fuit.

1737. Ambroſii Wolfii verum nomen eſt *Cyriacus* Herdeſianus.

p. 230. perinde eſt, utrovis dicatur modo.

Lutherus in Sermone de baptiſmo eiuſdem eſt ſententiæ, baptiſmum videlicet *ſignificare immerſionem*; eiuſque verba adducuntur p. 1125. huius libri.

Etiam poſt, in Conventu naumburgenſi.

Chriſtophorus Herdeſianus. *Kœnig* 393. *Zeltner* in Vita Helingi.

Io. Bened. *Carpzovius*, natus in arce Rochlitzenſi, quum pater ipſius, Benedictus Carpzovius, ICtus conſummatiſſimus, propter peſtis contagium eo ſe contuliſſet, Iac. *Martini*, Io. *Scharfii*, Er. *Schmidii*, *Balduini*, *Rœberi*, Wilh. *Lyſeri*, *Hœpfneri* & *Hülſemanni* ſedulus auditor, primum diaconus lipſienſis in æde Thomana, porro S. theol. D. & ibidem profeſſor, Conſiſtorii eccleſiaſtici deſignatus aſſeſſor, electus canonicus cizenſis, præter diſputationes quaſdam, & conciones funebres, atque emblemata natalitia edidit Tractatum germanicum de clavis ſolventis apoſtolico-lutheranæ ſinceritate contra Hieron. *Mülmannum*, Syſtema theologicum, Specimen theologiæ chemnitianæ, Partem I. Collegii antipapiſtici, Vindicias doctrinæ de Sacramentis adverſus *Concilium tridentinum* ac *Bellarminum*, & ſicut per naturam conſtitutionis fuit infirmioris, atque ideo ægritudinum inſultus ex ſpleneticis præſertim doloribus frequenter ſenſit, ita ante, quam occumberet, catarrho & tuſſi enormi, tum & κεφαλαλγια auriumque tinnitu laborare cœpit, cumque vim mortis ex vehementi calore hectico, ſenſim carnes & viſcera depaſcente, ſatis animadverteret, nihil aliud, quam cœlum ſe deſiderare, cœlum meditari profeſſus, atque ita eius particeps redditus eſt anno 1657. ætatis 50. *Witte* Memor. theol. 1247. & Diar. biograph. LII, *Spizelius* Templ. honor. reſer. 227. Iac. *Thomaſius* Præfationum p. 130. A *Spizelio* laudatur ut concionator rariſſimis donis inſtructus, & Deum vere, non plauſum popularis auræ quærens; non opes, ſed opus, non dignationem, ſed rationem,

nem, non ſolum, ſed polum in conſilio habens, probeque intelligens, non ad pompam & dignitates ſe aſſumtum eſſe, ſed ad graviſſimas curas, ad maximam ſollicitudinem, ad moleſtam, plenamque periculis functionem.

CVII.

Wilh. BIDENBACHII & Lucæ OSIANDRI ad Ieſuitarum dillingenſium Aſſertiones Reſponſio. Tubingæ *1566.* Theſes illæ, quibus totum papatum ſtabilire conati ſunt, ex priori ad Timotheum epiſtola depromtæ, inſertæ ſunt refutationi. In Præfatione Refutatores enumerant corruptelas, quas Ieſuitæ in formandis ſcriptoris Theſibus commiſerint, nam 1. ubi argumentum epiſtolæ recitant, ne minimam quidem Chriſti & beneficiorum eius mentionem facere. 2. totam Epiſtolam, quæ decenti ordine conſcripta eſt, fœde ac miſere diſcerpere & lacerare. 3. interpretationem eorum longe a veritate diſcedere. 4. ad margines ſuarum Poſitionum non Scripturæ modo teſtimonia, ſed ſexcentas etiam Patrum auctoritates allinere. 5. etiam in his locis, ubi nulla ſit inter partes controverſia, ingentem acervum ex Patribus citare, quæ ad rem prorſus nihil faciant. Denique monent, Scripturis ſtandum eſſe, ut iudicibus; Patribus, tanquam conſiliariis.

Wilh. *Bidenbachius*, theol. D. Duciſque wurtenbergici conſiliarius, & paſtor ſtutgardienſis, Felicis pater, ſed qui filium vix ſeptennem deſeruit, medio floruit ſæculo XVI. atque *Vielandio* in Wittii Memoriis theologor. p. 845. vir dicitur dignitate eccleſiaſtica & eruditione v ia inclutus.

Alphonſi DE VARGAS Relatio de Strategematis & ſophiſmatis politicis Societatis Ieſu, ad monarchiam orbis terrarum ſibi conficiendam. (Helmſtadii) A. 1665. & antea 1641. In qua, uti præ ſe fert titulus, Ieſuitarum erga Reges ac populos optime de ipſis meritos infidelitas, ergaque ipſum Pontificem perfidia, contumacia, & in fidei rebus novandi libido illuſtribus documentis comprobatur. Verus autem huius ſcripti auctor creditur eſſe Caſpar *Scioppius*, teſte *Placcio* de pſeudon. 601, quamquam *Conringius* in Defenſione eccleſiæ Proteſtantium adhuc fluctuet. p. 20.

Additur Lucii CORNELII Monarchia Solipſorum, ſive Ieſuitarum, iuxta exemplar venetum (anni videlicet 1645. 12.) A. 1665. Sæpius etiam recuſa eſt, atque in germanicam linguam translata, & Ieſuitarum artes, mores, & ſtudia, totiuſque Societatis arcana & ſtatum recludit; & in hac præſente editione, cuilibet fere nomini occulto ſignificatio in parentheſi additur. Vulgo, & hic quidem ipſo in rubro traditur, auctorem eius eſſe Caſp. *Scioppium*; ſunt tamen, qui Melchiori, alii, qui Nic. *Inckhofero* eam adſcribunt, alii N. *Contareno*, Nobili veneto, atque inter Ieſuitas theologiam docenti, ſed poſtea ob duriores erga ſuperiorem ſermones degradato. Vide *Placcium* de pſeudon. p. 199. *Boſium* de Compar. prud. civili n. 82. *Deckherrum* de ſcriptis adeſpotis p. 18. I. G. *Eccardum* Extract. menſtr. A. 1700. m. Mart. p. 5.

Io. Bapt. DE LA BARRE ad Sam. *Bochartum* de Negotio unionis cum Lutheranis Epiſtola. 1667. E gallico ſermone in latinum translata. Cum Reformati in Synodo carentonienſi Lutheranos, non obſtante eorum fide de corporali præſentia Chriſti in S. cœna, & orali corporis & ſanguinis benedicti ſumtione, receperint ad ſuam communionem, IV. ei proponit quæſtiones, totidemque conſequentias. Quæſtiones ſunt ſequentes: 1. an non admittat, *Vincentium* paſtorem rupellanum, & *Meſtrezatium* pariſienſem, præſides, ad petitionem, a provincia Burgundica factam, conſenſu omnium eccleſiarum in Gallia reformatarum, A. 1631. ſuſcepiſſe Lutheranos in communionem, ita ut cum ipſis participent de S. cœna, contrahant matrimonia, & infantes tollant de ſacro fonte? 2. an non ad hoc, ut quis ſit in eccleſia, neceſſe ſit habere veram fidem? 3. an ignoret, quod Lutherani credant realem I. Chriſti præſentiam in pane & vino S. cœnæ, & oralem manducationem? 4. an credat, fidem, quam Eccleſia romana docet, alienam eſſe ab illa ſententia Lutheranorum. Et hinc putat ſequi, 1. fidem de corporali præſentia Chriſti in S. cœna, & reali manducatione ipſius carnis non tantopere labefactare cultum divinum, ut fides, caritas & gloria æterna tollatur. 2. I. Chriſtum poſſe ſimul realiter præſentem eſſe tam ad dextram Patris, quam in ſymbolis S. cœnæ, adeoque eodem tempore in duobus locis diſtinctis. 3. Reformatos mutaſſe ſuam religionem, atque id concedere,

cedere, quod alias maxime horrendum ſummeque exſecrabile iudicaverint. 4. non debuiſſe cogere concilia, & poſtulare civitates obſides contra fidem, qua creditur realitas corporis I. Chriſti, & oralis manducatio in ſacramento altaris.

Georgii HOENII munimentum ſacrum pro licito Sacerdotum coniugio. Altorfii 1649. Propoſitum eius eſt, ex ſcripturis diſputare, atque illa loca, quæ contra Sacerdotum coniugium produci ſolent, vindicare.

Georg. *Hœn*, noribergenſis, philoſoph. magiſter, ac primum collega ludi lauffenſis, deinde paſtor endenbergenſis, medio floruit ſæculo XVII. eiusque hoc ſchediaſma adprobationem tulit Io. Mich. *Dilherri*, ita ut perbene opus ſuum egiſſe dicatur.

Pauli ALBVTII Ad Societatem Ieſu, Epiſtola. 1611. In qua de rebus graviſſimis, & lectu digniſſimis agitur, videlicet de nimia poteſtate pontificia, & coniugio clericorum: & initio laudantur Ieſuitæ ab opera, quam præſtant in reducendis ſtudiis litterarum, & pietate ac bonis moribus in aliorum mentibus implantandis. Quicunque autem ſit *Albutius*, ſatis ex lectione patet, eum eſſe unum e Lutheranis

Hiſtoria IOANNIS VIII. romani Pontificis, virum primum ſimulantis, poſtea, ſexum ſuum partu in publica via edito prodentis, a Ieſuitarum in primis technis vindicata. Helmſtadii 1662. Continet hæc Hiſtoria teſtimonia ſcriptorum quorundam, factum illud commemorantium, interque eos primi ſunt *Radulphus* flaviacenſis, *Marianus* ſcotus, *Sigebertus* & *Martinus* polonus, fuitque iterum edita a Io. *Sauberto*, cum adhuc doceret in academia Iulia. Adduntur viri clariſſimi *M. B.* hiſtorici ac critici perquam celebris, in eandem materiam Collectanea, quippe quæ etiam conſtant collectione teſtium, pro veritate huius hiſtoriæ ſcribentium. Cum quibus confer, quæ leguntur in *Berneggeri* (atque hic eſt ille M. B.) Demolit. idoli lauretani p. 48.

GLOSSA ordinaria ad litteras circulares ALEXANDRI papæ VII. 1655. Quæ pacis inter catholicos Principes procurandæ prætextu, ad Patriarchas, Archiepiſcopos, cleros, religioſos viros, & omnes eccleſiæ catholicæ fideles ſcriptæ fuerant.

Io. THOMAE Confeſſio fidei orthodoxa, Confeſſioni P. Iacobi *Maſenii* oppoſita. Ratisbonæ 1666. Et hæc a latere illius ponitur, ut una cum altera conferri poſſit. P. Arnoldi *Engels* ſive *Angeli* Gut euangeliſch-catholiſches-glaubensbekenntnis nihil eſt aliud, quam translatio huius Confeſſionis Maſenianæ in linguam germanicam. *Placcius* de ſcriptorib. anonymis p. 422.

Iacobus *Maſenius*, Societatis Ieſu ſacerdos, obiit verſus finem ſæculi XVI. & varios in theologicis & humanioribus libros edidit. Exſtant enim eius Concionator, ſive conciones in dominicis, ac feſtis diebus habitæ, Meditata concordia Proteſtantium cum Catholicis in una confeſſione, Praxis orthodoxæ fidei intra octidui exercitationem ſacram diſcernendæ & amplectendæ, *Gretſerus* reviviſcens contra Aurea monita Societatis Ieſu, S. *Auguſtinus* controverſiarum fidei ex ſola S. ſcriptura deciſor optimus, Dux viæ ad vitam piam per exercitia ſpiritualia, Palæſtra rhetorica, Palæſtra ſtili, Palæſtra eloquentiæ ligatæ. Vide *Morhofium* Polyh. T. I. lib. V. 228. lib. VI. 248. 295.

Io. *Thoma*, lipſienſis, Iacobi Thomæ ſive Thomaſii frater, I. V. Doctor, & primum anteceſſor ienenſis, deinde ſeren. Ducis Saxo-altenburgici conſiliarius aulicus, legatus ad Comitia Imperii ratisbonenſia, tandemque conſiliarius intimus & cancellarius, maximorum vir meritorum, qui & Principibus ac Monarchis placuit, condidit tractatum de Noxa animalium, & varias Diſputationes, defunctus anno 1679. ætatis 48. Caſp. *Sagittarius* eius Vita, *Witte* Diar. biograph. P p p p. *Gotter* in Elogiis Altenburgenſium p. 54. *Zeumer* in Vitis ICtorum ienenſ. 154. *Placcius* de Anonymis p. 422. Ab Auguſto *Pfeiffero* Præfat. in Lutheraniſmum ante Lutherum p. 48. vocatur doctus & vere theologicus ICtus.

Matthiæ BERNEGGERI Idolum lauretanum, everſis *Baronii*, *Caniſii*, *Turriani* ac *Turſellini* fulcimentis deiectum. Argentorati 1619. Occaſionem ad ſcribendum hunc librum dedit Pet. *Ræſtius* ieſuita molsheimenſis Pſeudoiubilæo, quod edidit contra celebratum a Lutheranis primum reformationis iubilæum, eumque ſecutus *anonymus* cum Ignitabulo, qui Berneggerum ob habitam in Iubilæo orationem de fraudibus ac tyrannide regni pontificii, totum a calumniis mendaciiſque conſutum dixit. Hiſce igitur

igitur ex infinito latifundio papiſticarum fraudium opponere voluit unam, velut in anteceſſum, lauretanam fabulam, magnis autoribus aſſeveratam, & ſummorum Pontificum Bullis confirmatam, oſtendens, translationem illius cameræ B. Mariæ virginis vere ac dilucide probari non poſſe. Nec tamen ceſſavit *Ræſtius*, quin Apologiam contra Berneggerum emitteret pro deiparæ Virginis camera & hiſtoria, Auguſtæ Trevirorum A. 1625. Legendam ſimilem de tranſportata ædicula nazarethana reperies apud *Lightfootum* in Io. 1, 45. p. 917. Memorabile eſt, quod legitur apud CL. *Benthemium* in Statu holland. eccleſ. & ſcholar. P. II. 404. eruditiſſimum & integerrimum *Sirmondum*, fidem illius hiſtoriæ data aliquando opera examinantem obſervaſſe, ædiculam lauretanam non ad formam orientalium domorum exſtructam, ſed forma & materia vicinis in lauretano territorio domibus reſpondere, lapideſque e vicina lapicidina translatos eſſe, idque mox *Baronio* amico ſuo narraſſe: & hunc quidem promiſiſſe, ſe fabulam ex Annalibus ſuis expuncturum, ſed promiſſis non ſtetiſſe.

Matth. *Bernegger*, natus Halis auſtriacis, eos in humaniorum litterarum & eloquentiæ ſtudiis progreſſus fecit, ut rectiſſime ei profeſſio hiſtoriarum in academia demandaretur argentoratenſi, nec minus feliciter mathematica excoluit, immo & pro religione pugnavit: non enim tantum *Tacitum* & *Iuſtinum* emendatiſſime, & cum ſelectiſſimis annotationibus, magnoque ſtudio confectis indicibus edidit, ſed etiam Obſervationes hiſtorico-politicas, Verſionem latinam Syſtematis *copernicani*, Tubam pacis contra *Scioppii* Claſſicum ſacrum ſub nomine Theodoſii *Berenici*, & alia, artem bene vivendi ſolicite obſervans, & livoris venenatos morſus pietatis, manſuetudinis & patientiæ chriſtianæ antidoto ſuperans, neque unquam a candore & integritate recedens. Vitam igitur laudabilem degens, nec minus calamo, quam ore, ſcriptis & conſiliis cuivis prodeſſe ſtudens, non potuit non piis atque eruditis magnum dolorem inferre, quando res humanas reliquit, atque in beatam ſe recepit quietem: id quod factum anno 1640. ipſo eius natali octavo & quinquageſimo. *Boecler* in Orat. funebri, quæ exſtat in Wittii Memor. philoſophor. P. I. 486. *Spizelius* Templ. honor. reſer. 350. *Magirus* 121. A *Ruperto* in Obſervat. in Synopſin Beſoldi minorem p. 668. magno elogio mactatur, dum vir vocatur omnis hiſtoriæ periſſimus.

CIIX,

CIIX.

Io. SCHROEDERI Thronus regalis Chriſti, ſive de ſeſſione Ieſu Chriſti ad dextram Dei patris. Cum Præfatione theologicæ Facultatis giſſenſis. Giſſæ 1615. Germanice. Conſtat V. Partibus, quarum prima in medium adducuntur atque explicantur præcipua dicta V. & N. Tti, in quibus continetur articulus de ſeſſione ad dextram Dei: ſecunda docetur de dextra Dei patris omnipotentis: tertia de ſeſſione Chriſti ad dextram Dei: quarta de natura, ſecundum quam Chriſtus collocatus fuit ad dextram Dei: quinta adferuntur & ſolvuntur potiora adverſæ partis argumenta. D. Balth. *Mentzerus* ſenior in exegeſi Auguſtanæ confeſſ. art. III. num. V. §. 4. librum hunc adpellat nervoſiſſimum Schroederi ſcriptum, Theologi *giſſenſes* laudant eum a ſumma diligentia & *ακριβεια*, qua fuerit compoſitus, & D. Abr. *Calovius* eius lectionem *Crenio*, prout hic in Diſſertat. I. de Libris ſcriptorum optimis p. 28. teſtatur, quam maxime commendavit.

Io. *Schrœder*, natus Silicæ in ditione fuldenſi, Aeg. *Hunnii* diſcipulus, primum lauterbacenſis eccleſiaſtes, inde ſuperintendens ſvinfurtenſis, tandemque paſtor noribergenſis ad S. Laurentii, vir doctus & diſputator ſtrenuus, tantique, cum ſtudiorum cauſſa Wittebergæ degeret, æſtimatus a theologis illius academiæ, ut ei non modo permitterent collegia aperire, & iuventutem in theologicis privatim docere, ſed etiam honores doctorales, quos tamen modeſte deprecatus eſt, ultro offerrent, condidit Aphoriſmos e Compendio theologico Iac. *Heerbrandi*, Tractatum de principio theologiæ, Animadverſiones in diſputationem primam M. Dan. *Crameri* de præcipuis Logicæ ariſtotelicæ partibus, Tractatum de neſtorianiſmo & eutychiſmo contra Io. *Grabium*, Sceptrum regale Chriſti ſive defenſionem Throni regalis Chriſti, Enchiridion theologicum, Solidam declarationem de ſenſu verborum S. cœnæ contra Iodocum *Naum*, Refutationem XXIV. mendaciorum fugitivi alicuius papiſtæ, Antitheſin doctrinæ Auguſtanæ confeſſionis & erratici ſpiritus *Schvvenckfeldii* ac *Weigelii*, Iudicium de confeſſione M. Barthol. *Meyeri*, & alia, fatisque ceſſit anno 1619. ætatis 49. Mortuo parentavit D. Chriſtianus *Matthia*: quæ oratio etiam exſtat apud *Wittium* in Memor. theologor. p. 853. Eruditionem

nem eius laudant Io. *Gerhardus* L. de Deo p. 51. *Glaſſius* Philol. S. p. 582. & Ger. *Titius* Diſp. de principio fidei §. 5.

CIX.

THEOLOGORVM SAXONICORVM Nothwendige Vertheidigung des euangeliſchen augapffels, Neceſſaria defenſio pupillæ euangelicæ. Lipſiæ 1628. Per Pupillam euangelicam intelligitur Confeſſio auguſtana, adeoque probatur, neque Electores, Principes, ceteroſque ſtatus euangelicos, neque eorum theologos ab auguſtana confeſſione receſſiſſe, nulloque modo pacis religionis ius amiſiſſe. Ad hunc librum ſcribendum Ieſuitæ, ut in Præfatione refertur, anſam dederunt, dicentes, Imperium romano-germanicum non poſſe reduci ad pacem & concordiam, niſi euerſione pacis religionis; hoc autem remedium in promtu eſſe, poſtquam Euangelici ab antiqua & invariata confeſſione receſſerint, & plane novam doctrinam ſequantur; atque hinc iure illius pacis ipſos excidiſſe. Accuſationibus hiſce oppoſita eſt præſens Defenſio, ad quam quidem ſi non ſymbolas, tamen conſilia ſua contulerunt, auſpiciis & iuſſu Electoris ſaxonici, theologi dreſdenſes, lipſienſes, wittebergenſes, ienenſes, & alii, Matthias autem HOE, teſtibus *Placcio* de anonymis p. 439. & de pſeudon. 559. *Lexico univ. hiſtor.* T. III. 102. *Pippingio* Exercit. acad. 513. & D. *Læſchero* in Narrat. innoc. A. 1704. 512. verus eſt eius auctor. Hic etiam p. 24. ipſa Confeſſio auguſtana latine & germanice inſeritur, & Inſtrumentum pacis religioſæ p. 272. Neque tamen defuit, qui Defenſionem elidere conaretur: Laurentius enim *Forerus*, Societatis Ieſu, Dillingæ eopſe anno emiſit ſcriptum, cum inſcriptione: Wer hat das kalb ins aug geſchlagen, Quis vituli percuſſit oculum? Eiuſdem ſunt Cataplaſma pro læſa, atque a Prædicatoribus euangelicis male ſanata pupilla: Id moveat vaccæ riſum: Nihil conducit oculis: Ex nihilo nihil fit: Oleum nihili. Noſtrates autem repoſuerunt Medicum vitulorum dillinganum, & Novum oculiſtam, medicumque vitulorum. Pag. 310. proponuntur VII. obiectiones, ad quas deinde ordine & graviter reſpondetur.

Io. SAVBERTI Miracula auguſtanæ confeſſionis. Noribergæ 1631. Tabula illuſtriſſimi illius conſeſſus repræſentatur, re-

ferturque, quomodo ab euangelicis Electoribus, Principibus & Statibus Confeſſio ipſorum coram Cæſarea ac Regia Maieſtate fuerit prælecta & tradita, narrantur etiam præcipuæ, quæ contigerunt, circumſtantiæ, & miracula. Miracula autem ſunt iſta: 1. CAROLVM Imp. articulo auguſtanæ confeſſionis de iuſtificatione immortuum. 2. Imp. FERDINANDVM, contra fraudes adverſariorum, pacem ſectatum ad finem uſque vitæ. 3. *Hermannum* Electorem colonienſem euangelicam inſtituiſſe reformationem, eiuſque gratia toto archiepiſcopatu ceſſiſſe. 4. Electorem Saxoniæ tam conſtantem fuiſſe in confitenda puriore doctrina. 5. *Fridericum* Comitem palatinum ad Rhenum, qui quaſi os & cor erat Imp. CAROLI, poſtea ad euangelicam tranſiiſſe religionem. 6. *Ottonem Henricum* Comitem palatinum ad Rhenum, prælecta Euangelicorum confeſſione, non tantum mitiorem eſſe redditum, ſed & ipſum illi acceſſiſſe. 7. *Wilhelmum* Ducem Bavariæ, audita confeſſione, humaniorem erga Proteſtantes ſe ſe exhibuiſſe. 8. *Georgium* Marchionem brandenburgicum obtuliſſe ſe ad defendendam, vel cum capitis periculo, puritatem doctrinæ. 9. *Henricum* Ducem brunſvicenſem, audita confeſſione, rigorem ſuum depoſuiſſe. 10. *Henricum* Ducem mecklenburgenſem libere faſſum eſſe, ſe religionem Proteſtantium pro vera habere. 11. *Ioachimum* Marchionem brandenburgicum ex prælecta confeſſione aliquot ſcintillas cognitionis puræ doctrinæ hauſiſſe: unde factum, ut poſtea eccleſias ſui territorii reformaverit.

EIVSDEM Caſſander euangelicus. Noribergæ 1631. Quo excerpta e Caſſandri Conſultatione ſive iudicio de Auguſtana confeſſione, exhibentur, quæ etiam germanice reddita ſunt, ut pateat, egregium hunc doctorem in multis Auguſtanam confeſſionem adprobaſſe. Sed & adiungitur Caſſander romano-catholicus, ut oſtendatur, quænam illa ſint, in quibus idem Eccleſiam romanam excuſat. Ex eodem p. 4. afferuntur XII. notæ ſeu remedia, ad concordiam reſarciendam utilia.

Io. *Saubertus*, altorfinus, fabri lignarii filius, in adoleſcentia ob facultatum inopiam per ſemeſtre ad molendinum hagenhuſanum in Palatinatu ſuperiore protruſus, mox autem Ioannis *Beringeri* patrini ſui aliorumque favore & patrocinio inde retractus, & ſtudiis conſecratus, ſub *Sonero*, *Piccarto*, *Quiccio* & *Prætorio* Altorfii, ſub-

ſii, ſubque præclaris doctoribus tubingenſibus, gieſſenſibus ac ienenſibus in litteratura profana æque ac ſacra tantum profecit, ut in utraque alios poſtea quam optime informare, & ſpartas ſibi iniunctas cum honore ſuſtinere valeret: in patria enim conſtitutus fuit alumnorum Reip. noribergenſis inſpector, deinde catechiſta, mox diaconus Eccleſiæ, & theologiæ in gymnaſio profeſſor. Inde vocatus illuſtrem in urbem, quæ inter liberas S. rom. Imperii civitates caput effert, quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi, per diaconatum ægidianum, & paſtoratus marianum atque laurentianum aſcendit ad primarium, qui eſt ædis Sebaldinæ, pariterque curam ſuſcepit bibliothecæ publicæ. Ipſe vero bibliotheca erat viva & obambulans, multiſque ingenii monumentis reconditoria librorum auxit & locupletavit: eius enim ſunt Anti-*Smalcius*, ſive Vindiciæ pro Theſibus D. Iacobi *Schopperi* de SS. unitate divinæ eſſentiæ, & perſonarum trinitate, Prodromus philologiæ ſacræ, Epiſtola ſub nomine Iuſti *Barrai* ad Abr. *Scultetum* de maieſtate omnipræſentiæ, carni Chriſti communicata, Hiſtoria bibliothecæ Reip. noribergenſis, II. orationibus expreſſa, Schola crucis, Amica & ſolida declaratio atque defenſio Vinariam transmiſſæ, atque a Bartholdo *Nihuſio* impugnatæ ſchedæ, Præſervativum ſpirituale, Libellus diſciplinæ eccleſiæ euangelicæ, Pſychopharmacum, Iudicium de recto uſu librorum Io. *Hobburgii* & Bernhardi (qui unus idemque eſt) *Baumanni*, atque alia, quæ legi poſſunt in *Witti* Memoriis theologorum p. 2156. Sicuti autem multa egit bona, ita & multa paſſus eſt, cum ab adverſariis, clam palamque ei obſtantibus, tum in primis a quotidiano tortore, tandemque truculento occiſore, calculo X. unciarum: eo enim inter exquiſitiſſimos dolores, ſed & Chriſto fotus, roboratus & armatus, occubuit anno 1646. ætatis fere 55. vir dilectus, magnique æſtimatus non tantum a litteratis ſui temporis, & viris illuſtribus, ſed a ſereniſſimis etiam ac piis Principibus, *Erneſto* ſaxonico, & *Auguſto* brunſvicenſi. Io. Val. *Andrea* in Vmbra Sauberti, apud *Wittium* Memor. theologor. 629. *Kænig* 726. *Magirus* 728. & Chriſt. Adam. *Rupertus* Orat. hiſtor. p. 1112.

CX.

Pauli TARNOVII de SS. trinitate liber unus, oppoſitus

Refutationi libelli Iacobi *Wieki* de Divinitate Filii Dei & Spiritus ſancti. Roſtochii 1625. Auctor Refutationis illius eſt Fauſtus *Socinus*, ipſaque Refutatio illa hic interſeritur: In quo facto auctor, ſicut in Præfatione ſcribit, exempla antiquitatis ſuique temporis ſecutus eſt. Ne autem contenta huius operis tibi lateant, ſcito, ſcriptorem noſtrum, quantum in ſe eſt, defendere capite I. ea, quæ Wiekus in ſua Præfatione antagoniſtis obiicit. 2. ea, quæ in IV. prioribus capitibus a *Wieko* ſunt ſcripta. 3. argumenta pro divinitate Filii Dei & Spiritus S. ex V. & N. Tto ducta. 4. argumenta ex ſolo V. T. 5. argumenta ex ſolo N. T. 6. argumenta ex nominibus veri Dei, Chriſto tributis. 7. argumenta ex proprietatibus ſive attributis Dei. 8. argumenta ex divinis operibus. 9. argumenta ab auctoritate Patrum, Doctorum & Conciliorum, teſtimoniis Sibyllarum, & viſionibus ac miraculis divinis. 10. argumenta pro perſonali Spiritus ſancti divinitate.

Paulus *Tarnovius*, natus Greviſmolæ in Ducatu mecklenburgico, Alb. *Loniceri*, Lucæ *Loſſii*, Dav. *Chytræi* & Lucæ *Backmeiſteri* diſcipulus, primum rector ſcholæ in diœceſi parchimenſi, deinde theol. D. & profeſſor in academia roſtochienſi, hoc in munere non tantum legendo, ſed etiam ſcribendo prodeſſe voluit, atque ideo edidit Libros de coniugio, Orationem de vita & obitu D. Lucæ *Backmeiſteri*, Prælectionum de Sacramentis ἀποσπασμάτιον contra Bened. *Aretium*, Commonefactionem de S. miniſterio, Libros III. de eodem, &, ut Diſputationes, inter quas excellit illa de Novo euangelio, ſilentio prætercam, Commentarium in S. *Ioannis* euangelium, obiitque A. 1633. cum vixiſſet annos 71. vir ſolers ac bene meritus, cuiuſque vita & mores profeſſioni reſpondebant. *Witte* Memor. theologor. p. 361. *Von Seelen* Athen. lubec. P. II. 357. & *Spenerus* Præfat. in Io. *Henrici* Vindicias dicti Salvatoris noſtri *Luc.* 18, 8. qui eum theologis pietatis promovendæ ſtudioſis eximia cum laude adnumerat.

CXI.

Io. WIGANDI Oratio de doctrina & præcipuis certaminibus Lutheri. Ienæ 1571. Ex bibliotheca Io. Kaufmanni. Habita in academia ienenſi, in promotione trium doctorum theologiæ, Timothei *Kirchneri*, Ier. *Hombergeri*, & Caſp. *Meliſſandri*: quorum

quorum primus enodavit quæſtionem, Qualiſnam res ſit fidei iuſtitia, quæ peccatori in conſpectu Dei imputatur, & qua iuſtus apud Deum habetur; alter dictum *Iacobi* c. 2, 17. interpretatus eſt; & tertius gratias egit, atque colophonem actui huic impoſuit.

EIVSDEM Oratio de cauſſis, cur Catechiſmus *Lutheri* in ſcholis & eccleſiis chriſtianis fideliter ſit retinendus ac tradendus, ſuppoſiticii autem atque impuri catechiſmi fugiendi. Ienæ 1571. Per hoſce autem intelligit Catecheſes Sacramentariorum, ut vocat, & Wittebergenſem.

Diſputatio grammatica de interpretatione græcorum verborum Act. 3, 21. (Ἰησοῦν χριστὸν) ὃν δεῖ οὐρανὸν δέξασθαι, complectens ἠθολογίαν Reſponſionis, qua Collegium theologicum academiæ wittebergenſis uti poſſet ad Chartam de his verbis, ſuperioribus diebus editam, cui nomen eſt præſcriptum D. Nicolai *Selnecceri*. Wittebergæ 1571. Eſt & alia editio in 8. cum Refutatione Selnecceri. In Catecheſi doctrinæ chriſtianæ, edita Vitembergæ, probatur Chriſti aſcenſio etiam ex dicto *Actor. 3, 21. Oportet Chriſtum cælo capi.* Hanc verſionem adverſarius carpit, atque ſic reddendum ait: *Chriſtus ut cælum exciperet oportet.* Sed contra eum verſionem priorem ex grammatica defendit noſter, iſque, teſtibus Melch. *Adamo* in Vitis philoſophor. p. 372. & *Placcio* de anonymis detectis p. 17. 109. eſt Eſromus RVDINGER.

Eſromus *Rudinger*, pabepergenſis, philoſophiæ magiſter, præfuit ludo cygnæano, nec non portenſi, poſtque ea phyſicen docuit in academia vitembergenſi, vir pietate vera, virtute inſigni & eruditione rara: quibus etiam promeruit, ut Ioach. *Camerarius* filiam ei ſuam elocaret. Sed cum non vellet probare dogmata de carnis Chriſti omnipræſentia, de corpore in & ſub pane latente, de manducatione indignorum, & alia, fieri aliter nequibat, quin cedere deberet, atque ita in exilio vixit apud Fratres in Moravia; neque tamen apud eos mortuus eſt, ſed Norimbergæ, anno 1591. cum vixiſſet annos 68. Tranſtulit Hypotypoſin aſtronomicarum poſitionum *Procli*, & *Syneſii* cyrenæi Aegyptium, ſeu de providentia diſputationem, cum eiuſdem ad Orum Epiſtola, adnotationibus ſuis illuſtrata, ediditque ſoceri ſui *Camerarii* ἀριθμολογίαν ἠθικῶν, & paullo ante finem vitæ ſuæ Commentationem mortis condidit, editam ſub titulo Tunicæ funebris ex tela paradiſi. Melch. *Adamus*

mus in Vitis philoſ. 372. G. *Ludovici* Hiſt. ſchol. P. III. 163. *Kœnig* 706. *Schurzfleiſch* de meritis Germanor. in græc. litteras §. 5. *Crenius* Animadverſ. P. II. 195.

Nicolai SELNECCERI Epiſtola ad Theologos academiæ witenbergenſis 1571. Miſſa Io. Kaufmanno a *Meliſſandro*, ſicut eius teſtatur manus. In qua ſuam erga illam academiam, ac præcipue verordinem theologicum, amicitiam & venerationem teſtatur, verſionem autem loci Act. 3, 21. paſſivam, nec non Catecheſin wittebergenſem, & IIX. Poſitiones improbat. Atque ut curioſitati tuæ, Lector, ſatisfaciam, non pigrabor eas huc transſcribere: 1. Humana natura in Chriſto non poteſt eſſe, niſi tantum viſibilis & comprehenſibilis. 2. Exaltatio non de humana Chriſti natura, ſed de tota perſona eſt accipienda. 3. Aſcenſio Chriſti ad cœlos de corporali tantum locatione eſt intelligenda. 4 Chriſtum cœlo capi oportet. 6. Humana Chriſti natura ſive corpus Chriſti eſt & manet corporaliter in cœlo, & alibi nuſquam eſſe poteſt. 7. Chriſti corpus non eſt alia qualitate ornatum, quam quali noſtra corpora, in reſurrectione, ipſius glorioſo corpori conformia futura ſunt. 8. Chriſtus totus eſt in cœna, ſed non totum.

Miniſtrorum eccleſiæ HALLENSIS Index cinglianorum quorundam errorum in Catecheſi wittebergenſi nova comprehenſorum. 1571. Nimirum in articulis de Chriſto, baptiſmo, & cœna Domini.

Matth. FLACII Vera explicatio aſcenſionis Chriſti, & ſententiæ Petri *Actor.* 3, 21. Vrſellis 1572. Oppoſita ei, qui hac in materia ſcripſit contra Nicol. Selneccerum; in eaque ſtatuitur, verba illa Petri ſignificare, quod *Chriſtum oportuerit glorioſe occupare & poſſidere cœleſte regnum*, non autem contra, capi aut contineri a cœlo: contrariæ ſolvuntur rationes: atque ad 3. accuſationes, quas auctor calumnias vocat, reſpondetur.

Ioach. MORLINI Diſputatio de communicatione idiomatum. 1571. Cui adiuncta ſunt de eadem communicatione illuſtria Teſtimonia S. ſcripturæ, collecta per Ioachimum WESTPHALVM.

Ioach. *Weſtphalus*, hamburgenſis, diſtinguendus a tribus cognominibus, (quorum unus erat islebienſis, & paſtor ſangerhuſanus,

ſanus, alter ſuperintendens roſtochienſis, tertius, ſi *Koenigio* p. 867. credendum, conditor Sylloges iuris feudalis) in patria urbe conrector fuit ſcholæ iohanneæ, deinde paſtor ad S. Catharinæ, tandem ſuperintendens, obiitque anno 1574. ætatis 64. Scripta eius fere ſunt hæc: Epiſtolæ de religionis pernicioſis mutationibus, Recta fides de cœna Domini, Farrago confuſanearum & inter ſe diſſidentium opinionum de cœna Domini, Collectanea ſententiarum D. Aurelii *Auguſtini* de cœna Domini, Defenſio adverſus cuiusdam *ſacramentarii* criminationem, Epiſtola, qua reſpondetur conviciis *Calvini*, Confutatio mendaciorum eiusdem, Apologia ad ultimam *eiusdem* Admonitionem, Reſponſio ad ſcriptum Ioannis *a Laſco*, & Iuſta defenſio adverſus *eundem*, Explicatio verborum *Ioannis* cap. I, II. Argumenta de operibus, & Tractatus, cur in eccleſiis Dei ritus proceſſionum & circuitus abrogatus ſit. Vnde patet, multa eum bella geſſiſſe, nec invitum diſputaſſe: flagrabat enim zelo, atque in prœliis æſtuabat, & magna utebatur vehementia. Alii, præeunte Ioach. *Vagetio* in Præcidaneis de orbe habitabili p. 263. obſervant, celebrem quidem fuiſſe theologum, ſed famam per magni nominis adverſarios, quos ſcriptis provocabat, adeptum. *Lexicon univerſ. hiſtor.* T. IV. 678. *Friſius* Epit. Biblioth. Geſner 397. *Wigandus* in Dedicatione Iudicii de propoſitione, *Bona opera retinent ſalutem*, Io. *Moller* Iſag. ad Hiſtor. cherſon. cimbr. P. II. 579. & de ſcriptorib. homon. 730. ac *Micrælius* Syntagm. hiſtor. eccleſ. 790. qui eum vocat animoſis ſcriptis contra Zvinglianos celeberrimum.

Chriſtoph. PEZELII Apologia veræ doctrinæ de definitione Euangelii, oppoſita thraſonicis præſtigiis & indignis theologo luſibus Ioannis *Wigandi.* Witebergæ 1571. *Wigandus* ediderat Collationem veteris & novæ antinomiæ, & Commonefactionem, Spongiæ D. Pauli *Crellii* oppoſitam, in qua Euangelio negat tribui prædicationem pœnitentiæ. Hoc autem iam defendere nititur Pezelius, ſeque pariter ipſum contra calumnias, ut vocat, quibus fuerit oneratus.

Tilem. HESHVSII Propoſitiones de iuſtificatione hominis peccatoris coram Deo: de quibus, pro conſequendo gradu Doctorum in facultate theologica, reſponderunt M. Timoth. *Kirchner*,

M. Ierem.

M. Ierem. *Homberger*, & M. Caſp. *Meliſſander*. Ienæ 1571. Hic etiam eſt inſcriptio, a Meliſſandro ad Io. Kaufmannum facta.

Io. WIGANDI Iudicium de propoſitione, *Bona opera retinent ſalutem*. Ienæ 1571. Eam vero improbat ac damnat, utpote falſam & interimiſticam: nam in libro *Interim* procuſas eſſe iſtas propoſitiones, Bona opera ſunt ad ſalutem neceſſaria, Impoſſibile eſt abſque bonis operibus iuſtificari aut ſalvari, Nemo abſque bonis operibus ſalvatus, aut iuſtificatus eſt unquam; atque ex hiſce tandem natam eſſe præſentem, cum *Lutherus* docuerit, fide accipi & retineri ſalutem, ex gratia & potentia Dei: fidem autem fructus proferre, iiſque Deum celebrare, & proximo prodeſſe.

Matth. FLACII Evidentiſſimæ demonſtrationes, controverſiam de eſſentia originalis peccati determinantes 1571. Vlterius etiam hoc legitur in fronte huius Diſſertationis: Demonſtratio invicta. Vera primariaque radix, fons aut origo in homine omnium pravorum motuum, cupiditatum, & omnino peccatorum actualium eſt ille vetus Adam, caro concupiſcens contra ſpiritum, mens depravatiſſima, aut cor perverſiſſimum, lapideumque, theſaurus omnis mali, teſte Chriſto, & tota Scriptura. Peccatum originale eſt vera & primaria ſcaturigo, radix & origo omnium cupiditatum, motuum & omnino peccatorum actualium. *Rom.* 6, 7. Igitur peccatum originale eſt ipſemet ille vetus Adam, caro concupiſcens, mens depravatiſſima, aut cor, peſſimus theſaurus omnis mali.

Clara & perſpicua teſtimonia *Auguſtini*, hippon. epiſcopi, quod peccatum originis non ſit ſubſtantia, nec natura, ſed accidens malum, collecta per Tilem. HESHVSIVM. Ienæ 1771. Inde & vult probare, Manichæos idem cum Flacio ſenſiſſe.

Matth. FLACIVS de Auguſtini & Manichæorum ſententia in controverſia peccati, 1572. Hoc ſcriptum oppoſitum eſt priori, & auctor cum manichæo furore quidquam ſe commune habere negat, ſiquidem neque duos creatores ſtatuat, bonum & malum, neque dicat, malum creatorem condidiſſe peccatum originale, ita ut illud ante, quam naturæ humanæ tanquam venenum infunderet, fuerit quædam propria ſubſtantia, habens propriam materiam, & per ſe exiſtens. Hæc talia recte ab Auguſtino improbari; cetera vero ipſum Auguſtinum a ſuis ſtare partibus. De

quo

quo tamen obſervat, eum 1. in deſcriptione originalis peccati multum omnino urſiſſe defectum boni, parum vero poſitionem contrarii mali. 2. loqui in genere ſeu in abſtracto de peccato, non de ſolo originali, vel, quatenus eſt in ipſo homine, conſiderato. 3. oppugnantem Manichæorum errorem reſpexiſſe in illorum verba & ſententias, qui omnia peccata, etiam actualia, eſſe ſubſtantias contendebant. 4. non more Scripturæ, ſed more vulgi vocabulum *peccatum* accepiſſe.

Spiritus ſancti figuræ ſive typi, originale peccatum depingentes, & Refutatio pelagianorum ſpectrorum, per Matth. FLACIUM. 1572. In prioris ſcripti initio ſolicite format ſtatum controverſiæ, deinde vero typos ſive figuras XXXI. ex veteri partim, partim ex novo teſtamento enumerat & exponit, quibus Spiritus S. voluerit humano generi horrendam iſtam ruinam, lætamque reſtaurationem & vivificationem depingere. In Confutatione autem Spectrorum pelagianorum idem ſe defendit contra Io. *Wigandum*, qui VII. ſpectrorum Manichæorum recentium Diſcuſſionem formaverat atque emiſerat. Et huic Confutationi annectitur eiusdem *Flacii* Brevis cenſura de libro, qui inſcribitur Vnterricht, ſive Inſtructio.

Themata, quibus vera ac ſimplex doctrina de peccato originali & actuali perſpicue exponitur & demonſtratur. Islebiæ 1572. Ex Præfatiuncula Cyr. *Spangenbergii* cognoſcere licet, Propoſitiones iſtas collectas eſſe ab Henrico PETREO, neque eo invito iam edi in publicum, ne ſæpius deſcriptæ errores, uti fit, contraherent. Traditur autem in illis, ad mentem *Flacii* & *Spangenbergii*, doctrina de peccato originali.

Henr. *Petreus*, heredeſſianus, ſcripſit librum de vita aulica & privata, edidit Fran. *Balduini* Commentarios in libros IV. Inſtitutionum cum Præfatione ſua, in qua editionis huius ratio exponitur, atque adhuc in vivis fuit anno 1582. Vide *Friſium* Epit. Biblioth. Geſner p. 331

Caſp. MELISSANDRI Confeſſio de peccato originali, Ienæ 1572. Eſt oratio, recitata in academia ienenſi, cum D. *Wigandus* de hac quæſtione, *Sit ne peccatum originale ſubſtantia, an vero accidens vitium?* iuſſu Ducis Saxoniæ, publicam, anni 1572. menſe Mar-

tio, inſtituiſſet diſputationem. Quæ fuerit ſollemnis illa de peccato originis contra Manichæos, reſpondente Conrado *Schluſſelburgio.* Confitetur autem, ſibi non amplius placere Flacii ſententiam, utpote novam, & perplexam, verum toto ſe corde amplecti eam doctrinam, quæ in Propoſitionibus Wigandi præſentibus comprehendatur atque explicetur.

Tilem. HESHVSII Defenſio veræ & piæ ſententiæ Aurelii *Auguſtini*, quod peccatum originis non ſit ſubſtantia, ſed accidens vitium. Ienæ 1572. Conſtat hic tractatus II. Partibus, in quarum priore pertendit probare, Auguſtinum recte opponi Flacio; poſteriore, Flacium eſſe manichæum. Meo exemplari, quod e bibliotheca Io. Kaufmanni ad Io. Saubertum, atque ab hoc ad me pervenit, quidam, qui imbutus erat ſententia Flacii, annotavit: *Non eſt verum. Calumnia. Mendacium*: & alia.

Sim. MVSAEI Sententia de peccato originali. Ienæ 1572. Quod non ſit ſubſtantia, ſed extrema eius corruptio, tam iuxta materiam, quam formam: ut non minus pelagianiſmus, atque manichæiſmus excludatur & damnetur. Tilemannus *Heshuſius* miſit hoc exemplar Ioanni Pontano, Ioannis Wilhelmi Saxoniæ Ducis medico, ſicut ex propria eius inſcriptione patet.

Simon *Muſaeus*, alias *Meuſſel*, Vetſcha pago non procul ab urbe Cotwiz in Marchia oriundus, S. theol. D. & Io. *Muſaei* doctoris ienenſis proavus, pluribus in locis, ſed in nullo ultra triennium docens, paſtorem egit Furſtenwaldiæ & Groſſenæ, antiſtitem Wratislaviæ, Gothæ & Eisfeldiæ, & profeſſorem theologum Ienæ. Poſtea concionatus eſt Bremæ, Sverini, Geræ, Thorunii, Suſati, & Mansfeldiæ, ubi animam Deo reddidit A. 1576. ætatis 55. decemplici exilio nobilitatus dicam? an exercitus & afflictus. Quod ad ſcripta eius attinet, ſciendum, edidiſſe Conciones de S. cœna, Poſtillam euangeliorum & epiſtolarum, Diabolum melancholicum, Examen catecheticum, & Tractatum contra Iconomaehos. *Zeumer* in Vitis theologorum ienenſ. p. 40. & *Kindervater* Nordhuſæ illuſtris p. 29. 293.

CXII.

CXII.

Alberti GRAVERI Anti-Lubinus, ſeu Refutatio Phoſphori, hoc eſt, libri Eilhardi *Lubini* de prima cauſa & natura mali, eiuſdemque Apologetici. Magdeburgi 1607. In eo occupatur auctor, ut oſtendat, Lubinum, theologiæ in academia roſtochienſi profeſſorem, in ſcriptis ſuis calviniani dogmatis ſemina ſparſiſſe, & paradoxa attuliſſe. Et ne ſolus ita ſentire videatur, poſt Catalogum paradoxorum Lubini, teſtimonia producit aliorum theologorum, *Mylii*, *Hutteri*, *Schluſſelburgii*, Pet. *Piſcatoris*, Io. *Maioris*, Pauli *Wolfii*, & Nic. *Petrai*. Litis huius meminit etiam *Arnoldus* Hiſt. eccleſ. & hæret. P. II. 490.

Alb. *Grauerus*, natus Meſecoviæ in Marchia brandenburgica, rectorem ſcholæ egit primum Scepuſii, poſtea Caſſoviæ, demum Islebiæ. Inde Mansfeldiam ad Decanatum pervenit, mox in ſalana academia doctor & profeſſor theologiæ audiit, tandemque Vinariæ ephorus & ſuperattendens generalis conſtitutus, accurati theologi, & acuti philoſophi nomen adeptus eſt. Obiit A. 1617. ætatis 43. cum ex ſuggeſtu imbecillus domum deductus eſſet. *Witte* Memor. theol. 849. *Spizelius* Templ. hon. reſer. 39. *Zeumer* in Vitis theolog. ienenſ. p. 113. *Kœnig* 361. Multa eius exſtant ſcripta, præcipue polemica, ut, Colloquium cum Wolfg. *Amelingo*, Diſſertationes de ſatisfactione Chriſti contra Chriſt. *Oſterodum*, & Fauſtum *Socinum*, Diſpp. anti-*ieſuiticæ*, Illuſtres quæſtiones de Deo & eius attributis adverſus Conr. *Vorſtium*, Examen ſophiſticationum Fr. *Davidis*, Fran. *Blandratæ*, & Fauſti *Socini*, Expoſitio prophetæ Micheæ, & Prælectiones in Auguſtanam confeſſionem: de quibus tamen vide iudicium *Spizelii* l. c. p. 42. *Wendelinus* Chriſt. theol. lib. I. c. 6. p. 179. conqueritur, quod portentoſum dogma de Deo peccati auctore Eccleſiis reformatis impingat, & XV. illis argumenta, quibus utantur, affingat.

EIVSDEM Harmonia præcipuorum Calvinianorum & Photinianorum. Ienæ 1613. Propoſitum ipſi eſt in hoc ſcripto demonſtrare, recentiores Photinianos, ſalvis multis C. *Vorſtii* & aliorum Calvinianorum hypotheſibus & S. Scripturæ interpretationibus, ſolide & ſufficienter refutari non poſſe.

GRAVERI Antiparæanum propugnaculum. Ienæ 1611. Eſt defenſio argumentorum de proprio ſenſu verborum S. cœnæ, contra metonymiam Dav. *Parei*, quam ille iis tribuit in Libris V. de litera & ſententia verborum Domini in S. euchariſtia.

EIVSDEM Abſurda abſurdorum abſurdiſſima calviniſtica abſurda. Ienæ 1618. Editio tertia. Sunt autem 1) Demonſtratio logica & theologica horrendorum, ut auctor vocat, paradoxorum *calviniani* dogmatis in articulis de Perſona Chriſti, Cœna Domini, Baptiſmo, & Prædeſtinatione. 2) Bellum *Calvini* & Chriſti. 3. Analyſis quæſtionum theologico-phyſicarum de localitate & illocalitate corporis Chriſti, adverſus Barthol. *Keckermannum*.

EIVSDEM Libellus de unica veritate. Ienæ 1619. Editio nova, eaque emaculatior & auctior. Acceſſerunt enim 1) Epiſtola Corn. *Martini* ad Henricum Iulium, Ducem brunſvic. ac luneburg. 2) Eiuſdem *Martini* Refutatio ſcripti Io. Mulleri de ſtatibus controverſiæ primis & acceſſoriis. 3) Excerptum ex epiſtola Duncani *Liddelii* ſcoti, Med. doctoris. 4) Declaratio D. Dan. *Hofmanni*, ex decreto Principis publice facta; qua errorem agnoſcit ſuum, & abuſum philoſophiæ duntaxat, non uſum in theologia, improbat & condemnat. De modo autem diſputandi illis temporibus, quibus auctor & alii eius ſimiles vivebant, uſitato legi meretur egregius & moderatior theologus, D. Chriſt. Matth. *Pfaff* Theol. dogmat. & mor. p. 394.

CXIII.

Io. HIMMELII Collegium antienthuſiaſticum. Ienæ 1627. Quo matæologia enthuſiaſtica X. diſputationibus ex ſcripturis Enthuſiaſtarum ſingulari ſtudio (ſunt verba auctoris) collecta proponitur, & ſuccincte refutatur. Enthuſiaſtas dividit in veteres & recentiores: e veteribus nominat Thomam *de Kempis*, Io. *Taulerum*, auctorem *Theologiæ germanicæ*, *Anabaptiſtas*, eorumque choragum Thomam *Munzerum*, Caſp. *Schvvenckfeldium*, Philippum Theophraſtum *Paracelſum*, dictum Bombaſt ab Hohenheim, quibus etiam non nulli adnumerant D. Andr. *Oſiandrum* ſeniorem; e recentioribus Valentinum *Weigelium*, Ezech. *Meth*, Fratres *Roſeæ crucis*, & Eſa *Stifelium*.

Io.

Io. *Himmelius*, Stolpa-pomeranus, *Hunnii*, *Geſneri*, *Rungii*, *Hutteri* in academia leucorea, *Reudenii*, & Pet. *Piſcatoris* in ſalana, ac *Mentzeri* patris in gieſſena diſcipulus, primum Gymnaſii durlacenſis, deinde ſpirenſis rector, tum ibidem, impetratis prius Gieſſæ honoribus doctoralibus, eccleſiaſtes primarius, denique theologiæ profeſſor in Lyceo ienenſi, diſputator acer ac perpetuus, ſuperavit quidem, beneficio optimorum medicamentorum, catarrhum ſuffocativum; ſed cum paralyſis inferiorum partium, & maraſmus eum infeſtarent, viresque omnes plane proſtratæ eſſent, id, quod ſibi prædixit verbis ad filii præceptorem emiſſis, placido obitu conſecutus eſt, abiitque, & non excluſus eſt, anno 1642. ætatis 60. *Witte* Memor. theologor. p. 1462. *Spizelius* Templ. honor. reſerat. 140. *Zeumer* in Vitis theolog. ienenſ. 134. *Micralius* Syntagm. hiſtor. eccleſ. p. 758. Multa ei ſcripta debentur tam biblica, quam eriſtica, videlicet Oratio de fabula donationis CONSTANTINI M. Collegium auguſtanum theologicum, Memoriale biblicum, Paſſionale academicum, Poſtilla academica, Tractatus de ſcriptura ſacra, IV. trigæ in prophetas minores, *Ieſuita* phariſaizans, Tractatus de natura invocationis contra *Photinianos*, *Calvinianos*, *Pontificios*, & ſpeciatim adverſus Barth. *Nihuſium*, Anti-Maierus, ſive Diſpp. contra Chriſtoph. *Maierum*, Concordia concors papæo-calviniſtica, oppoſita Io. Andr. *Coppenſteinio*, *Calvino-papiſmus*, Collegium anti-*photinianum*, Solutio argumentorum pontificiorum, quibus Helfricus Vlricus *Hunnius* involutus fuit, Anti-*Alſtedius*, Apologia contra Io. *Bergium*. Laudatur ille a noſtratibus ob zelum, quo flagravit in Diſputationibus ac refutationibus ſuis; ſed Guil. *Forbeſius* in Conſiderat. controverſ. nimii eum rigoris accuſat, p. 14. 82. 128.

EIVSDEM Collegium irenicum ſeu pacificatorium. Ienæ 1634. Quo contra Ioan. *Duraeum* legitimus oſtenditur lutheranam cum eccleſia calviniana conciliandi modus, in eo conſiſtens, ut orthodoxiam ab ipſis agnitam nobiſcum retineant, & heterodoxiam, paſſim ab iiſdem publice diſſeminatam, reiiciant. Et in hunc finem omnes percurrit Locos theologicos, ac primo theſin orthodoxam proponit, deinde *ἀντίθεσιν* heterodoxam ſubiungit, denique epanorthoſin ſive heterodoxiæ refutationem ſubiungit.

Digitized by Google

Salomonis GLASSII Opuſcula, iterum edita a Thoma *Crenio.* Lugduni Batavorum 1700. Sunt autem illa, 1) Chriſtologia moſaica, e prioribus Geneſeos capitibus. 2) Chriſtologia davidica, e pſalmo 110. conſcripta. 3) Onomatologia Meſſiæ prophetica, qua nomina, Meſſiæ tributa, explicantur. 4) Explicatio capitis 63. *Eſaiæ.* 5) Explicatio capitis 17. *Iohannis.* p. 649. 6) Diſſertatio de ſcriptura S. p. 834. 7) Oratiuncula valedictoria, quum Iena Gotham migraret, p. 185. 8) Anniverſaria D. Io. Gerhardi Memoria. p. 869. Quibus accedunt 9) D. Mich. *Waltheri* Threnologia de ortu, vita, ſtudiis, ſcriptis, aliiſque rebus geſtis & obitu Glaſſii. In Prolegomenis p. 28. 10) Wolfg. *Franzii* Oratio de Immanuele. p. 511. 11) Matthiæ *Martinii* Oratio de nomine Ieſu. p. 555. 12) Cœleſtini *Mulenta* Programma de Happoretz e Mich. 2, 13. p. 542. 13) Chriſtoph. *Cellarii* Programma (quod eſt n. XXI. eorum, quæ Lipſiæ prodierunt anno 1689. in 8. p. 128.) de nomine *Filii hominis.* p. 588. 14) D. Wilh. *Lyſeri* Chriſti patientis *Eſa.* 63. deſcriptio. p. 621. *Crenius* toti operi Præfationem ſatis longam præfixit, in qua, occaſione dicti *Io.* 5, 39. argumentum tractat de Chriſto ex omnibus libris V. Ti cognoſcibili.

Cœleſtinus *Mulenta*, e nobili Polonorum genere, natus in vico Cutteno diſtrictus angerburgenſis, S. theol. doctor, atque, ut in Epitaphio dicitur, defenſor orthodoxias acerrimus, theol. & hebr. linguæ profeſſor, ſepties in academia regiomontana rector magnificus, aſſeſſor ſambienſis Conſiſtorii, & paſtor cathredralis eccleſiæ, obiit A. 1653. ætatis 65. Mortuum laudarunt D. Abr. *Calovius*, & M. Chriſt. *Colbius.* Vide præterea Henn. *Wittium* in Memor. theologor. p. 1057. Præter multas diſputationes, cum Regiomonti tum alibi locorum habitas, ſcripſit contra *Rathmannum, Movium, Bergium*, & Mich. *Behmium*, item Diſcuſſionem Diſquiſitionis M. Caroli *Sachſii* de communicatione idiomatum, Defenſionem Demonſtrationis de communicatione hypoſtaſeos, naturæ & idiomatum, Diſſertationem de ſtatu religionis in Pruſſia, & Explicationem Manualis prutenici.

Wilh. *Lyſer*, brunſvicenſis, Polycarpi filius, *Mentzeri, Finckii, Oſiandri*, atque in primis Io. *Gerhardi* diſcipulus, ingenio, iudicio, & theologica eruditione iuxta atque prudentia ut paucos habuit

buit pares, ſic de eccleſia & academicis ſtudiis, paternæ avitæque gloriæ veſtigiis inſiſtens, non ſine efficaciſſimæ induſtriæ exemplo illuſtri, optime clariſſimeque meritus eſt. Annorum 18. adoleſcens, philoſophiæ magiſter creatus, pleraſque Germaniæ academias adiit, præcipuas inſedit. Hinc Belgio, Gallia, Britanniaque luſtratis, cum nondum 30. annorum eſſet, ſummo theologiæ gradu ornatus, ſimulque torgenſi eccleſiæ datus eſt antiſtes. Ex ea provincia ſexto poſt anno in academiam wittebergenſem venit, interque profeſſores adſcriptus 25. annis ſacras litteras cum magna laude docuit publice, eccleſiæ miſenenſi ingenuæ inter Canonicos annum 1. decanus præfuit, diemque ſuum obiit A. 1649. ætatis 57. *Witte* Memor. theologor. 704. G. *Calixt.* in Refutat. Welleri, §. 2. 13. Inter ſcripta eius, ne quid de aliis dicamus, ſunt Diſputationum catholico-poſtillarium decas prima, Depulſio accuſationum *Ieſuitarum* contra Auguſtanam confeſſionem, Diſquiſitio de prædeſtinatione, Summarium locorum theologicorum, Aphoriſmi ex *epiſtola ad Hebræos*, Diſpp. exegeticæ in *euangelium Iohannis*, & Trifolium veræ religionis V. Tti, adamiticæ, abrahamiticæ & iſraëliticæ, iuxta unifolium religionis lutheranæ conſideratum.

Thomas *Crenius*, marchicus, qui & *Dorotheum Sicurum* aliquando ſe vocavit, poſt munus eccleſiaſticum, quod geſſerat, Gymnaſii eperienſis in Hungaria ſuperiore rector, iam vero diu ſine ſparta, ſed non ſine incredibili diligentia & ſtudio iuvandi bonas litteras vivens, (quis enim inter eruditos merita viri ignorat?) dedit Animadverſionum philologicarum & hiſtoricarum Partes XIX. Libellum de prudentia theologica, Exercitationes IV. de libris ſcriptorum optimis, Diſſertationem epiſtolicam de ſingularibus ſcriptorum, Diſſertationes III. de furibus librariis, & Conſiderationes paſſionis Chriſti. De aliorum ſcriptis, quorum bene multa edidit, variisque illuſtravit anotationibus ac præfationibus ornavit, ne quid dicam. Io. Conr. *Zeltner* de Correctoribus eruditis p. 137. Laudatur paſſim ab auctoribus *Actorum eruditorum*, atque in *Narrationibus innocuis*. Quibus adde G. H. *Goetzium* diſp. inaugurali de Cornelii *a Lapide* commentariis p. 16. & *Informationem* de Ephemeridibus p. 14.

CXIV.

CXIV

Cornelii MARTINI Theologiæ Compendium, cum Henr. Iul. SCHEVRLII Theologia naturali. Welferbyti 1650. Non quidem ad finem perductum eſt iſthoc Compendium, ita tamen ſe habet, iudice *Scheurlio*, ut eo res theologicæ non admodum paucæ ex ſolidiſſimis fundamentis, egregia methodo, facundia vero in hoc genere propemodum inuſitata explicentur. Et editor hunc ſcripto titulum deſtinaverat, *Corn. Martini Epitome theologiæ quantum exſtat, aut haberi potuit*; ſed chalcographus, non explorata prius editoris voluntate, eum, qui iam in fronte libri cernitur, formavit & confecit. Subiungitur p. 310. gravis & elegans *Martini* Epiſtola de uſuris, qua docet, licitum eſſe, ut ultra ſortem aliquid accipias, ſi alter pecuniam tuam ſuum verterit in commodum; ſed ſi publicis privatisve calamitatibus afflictus ſit, pietatem & humanitatem in conſilium adhibendam eſſe, illudque identidem tibi cogitandum: Si ego ea eſſem conditione, qua hic eſt, quid mihi fieri vellem? Ita fore, ut ab uno & altero, qui miſer redditus eſt, urgendo abſtineas, eique non tantum uſuram, ſed etiam debitum gratis remittas.

P. 92. Spiritus S. *corporali ſpecie columbæ* deſcendit in Chriſtum baptizatum.	Sicut columbæ celeri volatu ex alto deſcendunt, ita & ille ignis, in quo erat Spiritus ſanctus, quique corpoream exhibebat ſpeciem, *celeriter deſcendit*. Matth. 3, 16. Luc. 3, 22. *Amelius* Eroerterung P. I. 100.
P. 155. Ne hoc quidem ratione aſſequemur, animam nos habere rationalem, quia eius id effectus in nobis arguat, cum aſina Bileam non tantum locuta ſit, verum etiam *ſyllogiſmum fecerit*.	*Hoc ſibi perſuadere non poteſt* illuſtris Politicus, & eruditorum ſuo tempore facile princeps, qui auctor eſt diſſertatiunculæ, quæ, inſcribitur *Hiſtoire de Bileam*. Quam vide p. 11.
205. Poteſt efficere Deus, ut *ex anima parentum emanet alia, qua*	Animæ humanæ *creantur*, non autem producuntur per emanationem ex animabus parentum.

iisdem ſit qualitatibus cum parentis anima.

Pag. 235. Quia (peccantes in Spiritum S.) diabolice peccant, diabolice quoque perſeverare ſolent, neque ad poenitentiam, niſi infrugiferam, Iudæ inſtar aut *Caini deſperationem* videlicet, perveniunt.

tum. Melch. *Zeidler* tract. de Orig. animæ rationalis p. 168. Niſi *Cain magnitudinem tantum, atque atrocitatem peccati ſui* indicare voluit. I. C. *Ortlob* diſp. de Caino non deſperante, eiusque Defenſ.

Corn. *Martini*, antverpienſis, philoſ. & theol. doctor, ac Logices in academia Iulia profeſſor ordinarius, interfuit, a ſer. Duce Iulio miſſus, colloquio ratisbonenſi, A. 1601. atque Gretſero, ægre philoſophi præſentiam ferenti, dicentique, *Quid Saul inter prophetas?* promte reſpondit: *Quærit aſinam patris ſui.* Quæ hiſtoria tecte hic narratur a Scheurlio p. 309. Neque vero ad ſummam ſenectutem vixit; ſed editis præclari ingenii monumentis hiſce, Analyſi logica, Commentario logico contra *Ramiſtas*, Commentario in librum περι ερμηνειας, Doctrina morali, Metaphyſica, Reſponſo ad Io. *Olearium*, Malleo impietatis *Hofmanniane*, Reſponſo ad vexatam quæſtionem Balth. *Meiſneri*, Scriptoque de ſtatibus controverſis inter D. Dan. *Hofmannum* & IV. Philoſophos helmſtadienſes, ad plures abiit A. 1621. ætatis 54. *Kœnig* 514. *Witte* Diar. biograph. R 2. Ioach. *Hildbrand* Hiſtor. concilior. 338. & vener. abbas I. A. *Schmidius* diſp. de proverbio, Quid Saul inter prophetas? p. 20. A Georg. *Calixto* laudatur in Apparatu theol. p. 57. quod cum Io. Caſelio fuerit optimarum litterarum & diſciplinarum decus & columen, atque ornamentum non huius modo academiæ, ſed univerſæ Germaniæ; & in Iterata ad colon. Academiam compellat. p. 351. ſalutatur vir ſummus, animi ingentis & plane heroici, cui præ ſtudio pietatis, virtutis & eruditionis vilia fuerint, quæ ſplendore ſuo plerorumque oculos ſolent perſtringere. Adde *Magirum* p. 571. *Conringiana* 101. & *Carpzovium* Theol. exeget. 57. 60.

Henr. Iul. *Scheurl*, latine *Scheurlius*, ſive, ut alii ſcribunt, *Scheurelius*, helmſtadienſis, theol. D. ac profeſſoris, itemque Superintendentis generalis filius, Moralium profeſſor in academia Iulia, philoſophorum acutiſſimus, atque πολλων αντaξιος αλλων, &

G. *Calixto* diſertus ille Scheurlius, prudentiæ fidus magiſter, & peritus abdita Stoæ & Lycei interpretari dogmata, dictus, præter Statuam mercurialem, ac Philoſophiam & Bibliographiam moralem, variaſque Diſputationes, reliquit Diſſertationum politicarum decadem, & ſupremum vitæ diem clauſit A. 1651. cum Servatori in terreſtri militia, plenus fidei & amoris, 52. annis ſerviſſet. *Witte* Memor. philoſ. T. II. 106. 109.

Henrici WIDEBVRGII Syſtema theologiæ poſitivæ. Helmeſtadii 1698. In quo univerſa chriſtianæ fidei doctrina, certis theſibus propoſita, ita pertractatur, ut ſingulis theſibus perſpicua veræ doctrinæ explicatio, & ſolida eiuſdem probatio ſubiiciatur. Opus poſt auctoris mortem editum ab eius fratre & ſucceſſore, D. Chriſtoph. Tobia *Wideburgio:* cuius etiam eſt Præfatio, qua dicitur, præſens opus non in doctorum, ſed auditorum gratiam, & methodo quidem mathematica ſcriptum eſſe, ut perſpicue & accurate res traderentur. *Acta erudit.* A. 1698. 509.

Pag. 155. Filius & Spiritus S. Deum Patrem non agnoſcunt, *tanquam veram cauſam.*	In quantum cauſa proprie dicit influxum in aliud, nempe in effectum, & eſſe peculiare producit, idque alteri largitur. Alias *Græci*, vocabulum cauſæ *latius* ſumentes, non dubitarunt Patrem vocare αἰτίαν ſive αἴτιον, Filium autem, & Spiritum S. αἰτιατούς. Io. *Fabricius* Syſtem. theol. 131. *Curcellæus* 838.
196. Quamvis hæc verba, *Filioque*, non extent in Symbolo Nicæno, extant tamen *in Conſtantinopolitano.*	Hoc non fuit additum in Concilio conſtantinopolitano, ſed ſequentibus temporibus, & quidem *multis poſt ſæculis* in Eccleſia latina Symbolo illi fuit inſertum. *Carpzov.* Iſag. in libros ſymbol. 64.
Ibid. *Athanaſius* in Symbolo.	*Incertiſſimum*, an ipſe Athanaſius

ſius Symbolum hoc adornaverit. *Carpzov.* l. c. p. 73.

Henr. *Wideburgius*, goslarienſis, primum Logices, deinde S. theol. D. & profeſſor in academia Iulia, vir valde induſtrius, & in quo nihil fuci, nihil fellis, plurimum autem candoris, multas ſcripſit diſputationes & philoſophicas & theologicas, interque has de Lumine ſalutifero omnibus hominibus congenito, de Imperfecta renatorum & iuſtificatorum in hac vita perfectione, de Non renatis quoque & impiis Scripturam S. legentibus verum eiuſdem ſenſum aſſequentibus, atque inter plurima Programmata unum de Præcipuis fanaticorum characteribus ex hiſtoria ſæculi ſuperioris, alterum de Methodo diſputandi cum fanaticis, & ſubitanea morte, quam pectoris anguſtia generabat, exſtinctus eſt anno 1696. ætatis 55. cum dimidio. *Pipping* Memor. theolog. 646. & D. Io. Andr. *Schmidius* Program. altero de Primitivæ eccleſiæ lectoribus illuſtribus.

Chriſtoph. Tob. *Wideburg*, halberſtadienſis, a Matheſeos profeſſione, quam in alma Iulia per plures annos ſuſtinuit, doctor renunciatus tranſivit ad theologicam, eamque cum honore geſſit uſque ad annum 1717. quo improviſa, ut frater eius, non tamen immatura morte abreptus eſt, cum vixiſſet annos 70. & menſes 4. Non laboravit multis famam ſcriptis extendere, ea tamen, quæ elucubravit, probæ ſunt notæ, videlicet Diſputationes de Obſervatione ſolis in paſſione dominica, & de Lumine lunari, de Tribus partibus hominis, corpore, anima & ſpiritu, de Peccato in Spiritum S. de Præguſtu vitæ æternæ, & binæ de Obligatione votorum monaſticorum. Vide *Programma* in funere eius poſitum A. 1717. d. 12. Decemb.

CXV.

Matthiæ Maximiliani a PARASIN Fels des heils, Petra ſalutis. Noribergæ 1639. Ex latino in germanicum tranſlata. In qua diſputat contra primatum Papæ, cultum ſanctorum, adorationem imaginum, diſcrimen ciborum, cœlibatum ſacerdotum, meritum bonorum operum, indulgentias papales, ſubtractionem calicis, & multitudinem cærimoniarum, ac probare nititur, Papam eſſe antichriſtum.

Matthias Maximilianus *a Parcſin*, antehac Prælatus & Provincialis Claremontii in Polonia, a romana ad lutheranam acceſſit eccleſiam, ac profeſſionem ſuam edidit Noribergæ anno 1638. die 4. Martii.

ERNESTI Ausſchreiben, Epiſtola invitatoria ad theologos in punctis religionis diſſentientes. 1651. Commemorat dubia ſua, quæ ipſum commoverint ad cogitationes de inſtituendo inter P. Valerianum *Magnum* & theologos quoſdam diverſarum religionum colloquio; refert excuſationes tam Principum, quam theologorum quorundam, ſequiturque tandem conſilium G. *Calixti*, ut collatio privatim fiat, non ore, ſed ſcriptis.

Erneſtus, Landgravius Haſſiæ, inferiorum Cattorum comitatum tenens, & Rheinfelſam incolens, anno 1652. religionem romanam cum reformata commutavit, Diſcretum catholicum ſcripſit, eiuſque Extractum, nec non Tractatum de perpetua luce & viſibilitate eccleſiæ, inſignem inter eruditos Principes locum meritus, & anno 1693. obiit, ætatis 70. *Imhof* Notit. S. R. Imp. Procerum p. 179. & *Raſevviz.* Delineat. cathol. eccleſ. 745.

Io. Georgii DORSCHEI Bedencken, Iudicium de Landgravii Erneſti Invitatione ad colloquium de rebus religionis. Argentorati 1651. Eſt nihil aliud, quam refutatio illius Invitationis. Additur etiam *Capuccinorum* Reſponſio ad quæſtiones ſereniſſimi Principis.

THEOLOGORVM RINTELIENSIVM Kurzer tractat, Brevis tractatus, quo demonſtratur, nullum chriſtianum, qui in euangelica eccleſia educatus eſt, ſalva conſcientia & ſine peccato tranſire poſſe ad pontificiam. Rintelii 1652. Altera editio. Conſtat II. Partibus, quarum priore ſtatus occidentalis eccleſiæ a principio chriſtianæ religionis uſque ad præſens tempus deſcribitur, atque ita inquiritur vera cauſſa, ob quam maiores noſtri permoti fuerint ad reformationem eccleſiæ ſuſpiciendam atque perficiendam; poſteriore Papiſtarum argumenta aliquot, in ſe quidem vetera, a D. Elia *Schillero* autem & Io. *Von der Recke* repetita & recocta, diluuntur & confutantur.

Henrici Martini ECCARDI Grundliche widerlegung, Solida refutatio vanarum obiectionum, & falſarum accuſationum, quas

quas Pet. *Wittfelt* S. I. in ſua Reckianorum motivorum defenſione Tractatui Rinteleienſium oppoſuit. Rintelii 1653. Traditur in ea, 1. eccleſiam lutheranam eſſe partem catholicæ chriſtianæ eccleſiæ. 2. Pontificiis iugum novorum aliquot articulorum fidei impoſitum a Concilio tridentino.

Gerhardi TITII Prüfung, Examen hildesheimenſis pontificii Lapidis lydii veræ & falſæ eccleſiæ, qui ſub nomine Conradi *Hennies* haud ita pridem editus. Helmſtadii 1653. Hennies ille erat M. Otto *Sonnemann*. Negat vero auctor, eccleſiam lutheranam 1. in multis articulis fidei diſcrepare ab eccleſia primitiva & chriſtiana. 2. multis adſtipulari hæreſibus antiquis. 3. veros non habere ſacerdotes, adeoque nec veram cœnam ſacram. 4. non eſſe partem eccleſiæ veræ catholicæ. Deinde examinantur IV. notæ, ex quibus antagoniſta veritatem eccleſiæ romanæ probare laborat, videlicet quod ſit una, ſancta, catholica, & apoſtolica. Additur etiam Appendix, comprehendens aliquot loca auctorum, quæ partim ad maiorem declarationem, partim ad confirmationem rerum propoſitarum facere poſſunt.

EIVSDEM Kurze heimſendung, Brevis refutatio M. Ottonis *Sonnemanni*. Helmſtadii 1654. Nimirum *Sonnemannus* prætenderat, Titium in ſuo Examine multos inſignes commiſiſſe errores.

IOANNIS, Comitis naſſovienſis, ad filium, qui ſe membrum fecit eccleſiæ romano-catholicæ, Epiſtola. 1654. In qua ei graviter exprobrat factum, hortaturque ut redeat ad priorem religionem, intercedens tamen, atque adfirmans, ſibi neque in his, neque in prioribus litteris animum fuiſſe, Imperantes romanæ eccleſiæ addictos propter ipſorum religionem invadendi, traducendi, & ſugillandi.

Diſquiſitio theologica inter M. Io. SOETEFLEISCH & P. HONORATVM de legitima vocatione & ordinatione paſtorum lutheranorum. Hildeſiæ 1654. Quam hic negavit, ille defendit. Et hæc diſputatio habita eſt Hildeſiæ anno 1646. Pag. 47. alleganti Capuccino *Optatum* milevitanum lib. I. contra Parmenianum, dicentem, Petrum *ſolum* accepiſſe claves, reſpondet Sœtefleiſch, ſe Optatum non habere ad manus, & tamen cupere

eius videre verba. Verum de *ſolo* nihil habet Optatus, ſed hæc eius ſunt verba: *Bene revocaſti claves ad Petrum.* Et pag. 290. exhibetur tractatus Matth. *Flacii* de electione Epiſcoporum, quod videlicet illa non ad ſolos eccleſiaſticos, ſed & ad laicos, ut vocant, pertineat.

Io. *Sœteſleiſch*, mundenſis, philoſ. magiſter, paſtor eccleſiæ S. Andreæ in urbe hildeſienſi, quod mortale habebat, depoſuit anno 1652. *Witte* Diar. biograph. T. II. 68.

Ioannis MVSAEI Vertheidigung des unbeweglichen grundes, Defenſio immobilis fundamenti, quo auguſtanæ confeſſionis ſocii ad demonſtrationem eccleſiæ ſuæ utuntur, præcipue contra Iodocum *Keddium*. Ienæ 1654. Primarius quidem ſcripti huius ſcopus eſt, oſtendere verum fundamentum, e quo vera probetur eccleſia, & quam ſophiſtice Keddius agat ſub poſtulato ſingularis fundamenti, & per commixtionem diverſarum quæſtionum; ſed, poſtquam D. Elias *Schiller* varia emiſit ſchediaſmata, & noſtram de eccleſia catholica doctrinam oppugnavit, etiam hac de materia doctiſſimus auctor ſibi agendum, ac præcipua adverſariorum argumenta refutanda eſſe exiſtimavit.

CXVI.

Georgii CALIXTI Epitome theologiæ, cum Declaratione Gerhardi *Titii*. Helmſtadii 1661. Eſt noviſſima editio, prioribus, quarum prima anno prodiit 1619. longe accuratior. Præmittuntur Prolegomena, quæ maximam partem conveniunt cum contentis Apparatus theologici, p. 162. ita ut tractetur de ſtudio theologico exquiſite formando; & ſubiungitur Diſputatio de principio theologico, demonſtrans, Pontificios in probationibus ſuis theologicis circulum committere, & principium petere. Quam materiam etiam *Kortholtus* proponit in Tractatu de proceſſu diſputandi papiſtico. *Acta eruditor.* A. 1687. p. 208. Quamquam & Proteſtantibus circuli vitium obiicere audeat *Becanus* in Appendice Manualis p. 812. De Epitome autem theologiæ ſciendum, auctorem eam nec recognoviſſe, nec edidiſſe, (vide ipſum *Calixtum* in Refut. Buſcheri P. II. 23. in Refutat. Welleri Dd. in Digreſſ. de Arte nova §. 10. p. 130. & *Titium* in Declaratione p. 2. 12.) ſed nec retra-

retractaſſe. De quo legendus Frid. Vlr. *Calixtus* in Reſponſ. ad Theſes antiſyncretiſt. p. 97. Et quamvis Balth. *Mentzerus* in epiſtola ad Henr. Wideburgium multorum eam errorum accuſet, (de quo agunt *Narrat. innoc.* A. 1708. 203. & *Hartnaccius* in Continuat. Syntagmatis Micræliani p. 978.) tamen non ſolum Ioach. *Hildebrandus* Syſtem. theol. p. 41. magno diſcentium fructu legi poſſe iudicat, ſed & *Hulſemannus* Methodi ſtudii theolog. p. 298. ſcribit, cum *Formula concordiæ*, *Hutteri* Compendio, & *Seberi* Hortulo biblico conferri a diſcentibus poſſe Locos *Haſenrefferi* & Epitomen Georgii *Calixti*; uti quidem legitur, ad quam I. M. *Langius* in Diſſertatione prooemiali in Clerici Concordiam euangelicam §. 22. provocat, in editione anni 1635. nam in editione quinta, Wittebergæ anno 1667. facta, ultima illa de Calixti Epitome verba neſcio quo ſpiritu inducta ſunt, & ſubſtituta hæc: *Et Epitome credendorum D. Nic. Hunnii.* Vt taceam, laudari etiam a *Boineburgio* Epp. p. 184.

Pag. 138. Iohannes *Scotus.*	Iohannes *Erigena. Leibnitius* Introduct. in Collect. ſcriptor. rerum brunſvic. 12.
Scotum excepit *Bertramus* temporibus CAROLI Calvi.	*Ratramnus.*
143. Nos, *omnes Chriſtianos*, qui panem edunt, mandato teneri, ut etiam e calice bibant, aſſeveramus; & quoniam noſtra eſt affirmativa, eam hoc argumento probamus: Quibus eſt aliquid a Chriſto mandatum, illi hoc facere debent. At *ipſis illis, qui panem edunt*, a Chriſto eſt mandatum, ut e calice bibant. Ergo ipſi illi, qui panem edunt, e calice bibere debent.	Eſt *petitio principii* apud nos; *nec concluſio*, quæ inferenda ſumebatur, *infertur*, ſed præſupponitur in Minore. *Nihuſius* Apologetici p. 80.
221. Omnino *perinde eſt*, quaſi argumentum ita conciperetur: Quicquid rom. Pontifex defi-	Quis *tibi perſuaſit, perinde eſſe*, ſi argumentum ita conciperetur? *Sic* autem, *quod ad formam attinet*,

Digitized by Google

nit, eſt infallibiliter verum. Sed roman. Pontifex definit, quod infallibiliter ſit verum, quicquid rom. Pontifex definit. Ergo infallibiliter eſt verum, quicquid rom. Pontifex definit.

attinet, concludere debuiſſes: Q. a rom. Pontifice eſt definitum, eſt infallibiliter verum. Sed omne id, quod Pontifex ille definit eſſe infallibiliter verum, eſt a Rom. pontifice definitum. Ergo omne id, quod Pontifex ille definit eſſe infallibiliter verum, eſt infallibiliter verum. Quamquam, *ratione materiæ, viliſſime nugax* eſt ea argumentatio. Ceterum in altero illo argumento *concluſio infertur prorſus eadem cum Maiore.* Idem l. c. p. 28.

EIVSDEM Epitome Theologiæ moralis. Cum digreſſione de Arte nova, ad omnes Germaniæ academias, romano Pontifici deditas & ſubditas, in primis Colonienſem. Helmſtadii 1662. Sed Epitome eſt imperfecta, differens tantum de fine, ſubiecto theologiæ moralis, principiis actionum hominis renati, & legibus: laudata tamen a *Conringio* de Orig. iuris german. 244. ut aureus libellus, & Lud. *Crocio* in Epp. Voſſii p. 197. ut ſalivam movens, & ſpem faciens reparandæ doctrinæ, altercationibus ultimi ſeculi nimis labefactatæ & implicatæ. Bart. autem *Nihuſius* ſcripſerat librum hoc cum titulo: *Ars nova* dicto S. Scripturæ unico lucrandi e Pontificiis plurimos in partes Lutheranorum, detecta non nihil & ſuggeſta Theologis helmſtetenſibus, Georgio *Calixto* præſertim, & Conr. *Horneio:* qui monentur, immo etiam atque etiam rogantur, ne Compendium hoc negligant. A. 1632. in 4. Huic libro oppoſuit *Calixtus* anno 1634. Digreſſionem de Arte nova, *Digreſſionem* vocans, quod a Theologia morali ad refutandam Artem novam digrederetur: quam *Nihuſius* excepit Apologetico pro Arte nova, Coloniæ Agrippinæ (potius Amſtelodami) 1640. 8. & contra eandem Digreſſionem ſcripſit *Veronius* A. 1638. in fine I. Tomi Opuſculorum. De eadem Digreſſione vide iudicia Lud. *Crocii* in Epiſtolis G. I. Voſſii p. 197. & Hug. *Grotii* Epp. præſtant. viror. p. 788. Ecquis vero unus ille, primario loco ſedens, cuius

cuius mentio fit in §. 8. Digreſſionis p. 127? Videtur eſſe Baſilius *Satler*, ſi conferes Nihuſii Apologeticum p. 82. Primam Digreſſionis editionem inſcripſerat Calixtus ſereniſſimo Brunſvic. & Luneburg. Duci Friderico Vlrico, alteram filius inclytæ Reip. francofurtenſis ad Mœnum Ordini ſenatorio; in eaque patrem contra ſyncretiſmi, & indifferentiſmi notam defendit, pariterque integram illius ad celſiſſimum Principem epiſtolam dedicatoriam, in qua rationes incrementi papatus ex reconditis hiſtoriarum monumentis depromuntur, inſerit.

In Digreſſ. de Arte nova p. 124. Cavendum mihi eſſe ab homine (*Nihuſio*) quem aliquid monſtri alere, & de me in vincula coniiciendo vel deportando conſilia inire e non nullis *eius* de me in eodem ſcripto verbis *coniicerent.*	*Teſtimonium Lutheranorum*, & quidem *mere ſuſpicantium*, tanquam hi *maxum eius* conſpexiſſent. *Nihuſius* in Scholio, Apologetico ſubiuncto, L 2.
227. Emergit Nova ars, *per quam* ſcilicet, *qui affirmat, non teneatur orationi ſuæ fidem facere.*	*De reo ac reſpondente* dixi id ſolum in libello meo; de actore autem & opponente aſſerui ſemper apertiſſime contrarium. *Idem* in Apologetici corollario p. 121.
241. Summa (Veronii,) ut puto, huc redit: *Proteſtantibus non eſſe permittendum, ut conſequentiis utantur.*	Reiiciuntur conſequentiæ, *quæ vitiis laborant.* Vide ipſummet hic *Calixtum* p. 239.
374. Per *vere* mereri, (Patres tridentini) intelligunt ſine dubio *proprie & condigne.*	*Non ſunt idem*, Vere mereri & Condigne mereri. Sed nec *meritum digni* aliud eſt, quam *meritum ex promiſſo gratuito.* *Helvvich* in Rationib. ſelectis p. 181.
381. Quæſtiones ad moribundos, quæ exſtabant in Sacerdotali romano, *deleri iuſſerunt Indices*	Ob ambiguitatem verbi *Credere: non negantes* interim, nos meritis Redemtoris noſtri, &

expurgatorii, romanus & hiſpanicus. Sic & in Refutat. Buſcheri P. II. 44.

Pag. 382. Hi ſunt fructus *Tridentina Synodi*, & *Pontificia expurgationis* librorum, & *Sancti officii inquiſitionis.*

399. §. CCLXII. Catalogus *credendorum* inter Pontificios. Et p.' 416. *Veſtra* ſunt, & veſtrorum. Sic & in Reſponſo ad Moguntinos p. 180.

non propriis, ad gloriam pervenire. *Nibuſ.* Suſcitabuli p. 43.

Non ut oſtenderent, *nolle ſe*, ut animam agentes iſta & ſimilia (ſe Ieſu Chriſti, non propriis meritis ſalvari, neque in hiſce, ſed in illis fiduciam ponendam) crederent, ſed ut ambiguitatem tollerent. *Idem* p. 52.

Multa eorum non ſunt Eccleſiæ rom. placita, ſed opiniones & *doctrina Scholaſticorum*, vel *Canoniſtarum*, aut aliorum *particularium Doctorum*, fatente ipſo *Calixto* in Reſp. ad Moguntinos p. 180. *Nibuſius* Apologet. 93. 97. & in Wecker ſeu Suſcitabulo p. 53. 58. 60. *De Raſcvvitz* Delineat. cathol. Eccleſiæ 246. 251. *Andradius* Defenſ. fid. trid. 400.

EIVSDEM Summa capitum religionis chriſtianæ, e Corpore doctrinæ Iulio excerpta, & diſputanda propoſita. Helmſtadii 1661. Præfatio eſt Frid. Vlr. *Calixti*, filii, in qua de auctore & contentis Corporis doctrinæ Iulii differit, & ſummam eius a parentis auditoribus in latinum translatam eſſe coniicit.

EIVSDEM Reſponſum, Moguntinorum pro rom. Pontificis infallibilitate, præceptoque ſub una Vindiciis oppoſitum. Helmſtadii 1672. Recenſitum, atque ex auctoris exemplari locupletatum a filio, F. V. *Calixto.* Et II. quidem conſtat Partibus, quarum prima de ſtudio concordiæ eccleſiaſticæ agitur, altera de infallibilitate romani Pontificis. Gerh. Io. *Voßius* Reſponſum hoc in Epp. p. 390. appellat doctiſſimum; ſed *Hartnaccius* in Continuatione Syntagmatis hiſtor. Micræliani p. 980. Theologos in eo plures

plures refert errores notaſſe ; immo *Erbermannus* in Præfat. Animadverſion. in Titii Oſtenſionem ſummariam p. 5. audet ſcribere : *Calixtum palmam calumniatoria maledicentia in Catholicos aliis præripuiſſe.*

CXVII.

Theologorum Helmſtad. Grundliche widerlegung, Solida refutatio Statii *Buſcheri* Crypto-papiſmi novæ theologiæ helmſtadienſis. Luneburgi 1641. Refutatio hæc II. abſolvitur Partibus, in quarum priore tractatur de norma chriſtianæ doctrinæ, & quomodo præcipue ex SS. litteris, deinde etiam ex conſenſu veteris eccleſiæ contra Pontificios & alios ſolide ſit diſputandum ; in poſteriore de chriſtiana eccleſia, de poteſtate & ſuperioritate Papæ romani, de iuſtificatione & bonis operibus, de peccato originis, de cœna Domini & ſacrificio miſſæ pontificio, de quæſtionibus annatis, videlicet Cauſa peccati per accidens, Chriſtiana libertate, Prædeſtinatione, Neceſſitate bonorum operum, Partibus fidei, Deſcriptione peccati originis, Modo præſentiæ Dei apud creaturas. Auctores huius operis ſunt G CALIXTVS, & Conr. HORNEIVS, qui non conſilio & ſponte ſua, ſed iuſſu & auctoritate ſereniſſimorum Principum ſuorum manum ei admoverunt, ita inter ſe penſum diſtribuentes, ut *Horneius* capita tria elaboraret, nempe 1. de Auctoritate & uſu antiquitatis eccleſiſticæ, 2. de ſtudio bonorum operum. 3. de ſtudio concordiæ ſeu tolerantia inter diſſidentes in eccleſia ; *Calixtus* duo reliqua, videlicet 4. de Myſterio ſanctiſſimæ Trinitatis ex V. T. ſequeſtrata Novi auctoritate non probando, & 5. de Apparationibus Dei in V. Tto. De quo legi poteſt *Calixtus* in Refutat. Welleri 𝔇 iiij. 𝔜 3. A partibus autem Buſcheri, utut mendacis ac fugitivi, ſtat *Hülſemannus* in Dialyſi apologetica, atque ex ea clariſſimo lubuit *Crenio* dare excerptum in Animadverſion. Parte XIII. p. 19. Reperies quoque in I. Parte huius Refutationis p. 80. contenta Corporis doctrinæ Iulii, p. 81. Theologorum helmſtadienſium iusiurandum profeſſorium, p. 27. rationem docendi philoſophiam in academia Iulia; in Parte II. p. 22. Catalogum primorum ſcriptornm G. *Calixti*, p. 30. doctrinam de Iure patriarchali, p. 22. doctrinam de antichriſto, p. 236. rationem tractandi ſtudia theologica in academia Iulia.

Digitized by Google

Georgii CALIXTI Widerlegung, ſeu Refutatio D. Iac. *Welleri*, & Apologia adverſus ea, quæ ipſi in ſereniſſimi *Electoris Saxoniæ*, eiuſque eccleſiaſtæ ſupremi, D. *Welleri*, ad Duces Brunsvicenſes litteris imputata erant. Cum Reſponſione ad D. Io. *Hulſemanni* Meiſterliches muſter, ſive Specimen bonorum operum Calixtinorum. Helmſtadii 1651. Acceſſit Appendix, continens 1) Expoſitionem ſeptimi & ſequentium verſuum capitis XXXIX. Geneſeos de Ioſephi continentia. 2) Catholicæ eccleſiæ & œcumenicorum conciliorum Symbola & confeſſiones. 3) Deſiderium & ſtudium concordiæ eccleſiaſticæ. Hæc ſcripta inſigne elogium reportarunt a *Pruſchenckio* in Actis literariis Struvii, Faſce V. p. 49. & tertium a *Conringio* in Conringianis p. 407. *Wellerus* autem oppoſuit Deterſionem, Dreſdæ 1652. & duplex Examen Apologiæ calixtinæ, ibidem anno eodem, & D. Io. *Scharfius* Proteſtationem adverſus G. *Calixti* ſcandala, & fallaciſſima eius crimina, cavillationes & iniurias, Wittebergæ 1652. & Examen Epiſtolæ exegeticæ M. Oſwaldi *Stumpfii*, ad D. Io. *Scharfium* ſcriptæ, A. 1651. In Refutatione quidem D. Welleri agitur de probatione myſterii Trinitatis ex V. T. § 44. de fide Iudæorum in V. T. 87. de probatione divinitatis Chriſti ex V. T. 88. de apparationibus Filii Dei in V. T. 99. de Formula concordiæ. 124. de fabula Reverſalium a Calixto datarum. 135. de dignitate abbatiæ Regiæ Luteræ. 136. Et quod ad Apologiam adverſus imputationes tam Electorales quam Wellerianas attinet, ſcriptum hoc, ſed non nullis additis, & aliquibus detractis, exſtat in fine Refutationis Buſcheri. In eaque defenditur *Grotius*, ſcribens, non omnem culpam homini adimere acceptum ius veniæ, ſtatumque gratiæ apud Deum, ſed illas tantum, quas deſcribat S. Paulus 1. Cor. 6, 9. 10. Gal. 5, 19-21 1. Tim. 1, 9. 10. Porro agitur de neceſſitate bonorum operum ad ſalutem, unione hominis fidelis cum Chriſto ſecundum ſubſtantiæ ſuæ peculiarem adproximationem. Deſiderium autem & ſtudium concordiæ eccleſiaſticæ eſt diſputatio, ſcripta & publice habita anno 1650. reſpondente M. Ioach. *Hildebrando*, additaque Conſultationi de Tolerantia Reformatorum. Oppugnatum quidem fuit hoc Deſiderium ſive Conſilium a D. Io. *Hulſemanno*; ſed de fundamentis eius legendus eſt D. Ger. *Titius* in Pleniore repræſentione conſilii Calixtini de reducenda concordia §. 36. laudatur-

daturque a Lud. *Le Blanc* Theſium theolog. p. 814. & *Pruſchenckio* qui & germanice illud reddidit, in Actis Struvii literariis, Faſce V. 46.

In Refutatione Welleri §. LVIII. H iiij. Ego puto, verba *Danielis* 9, 26. Et Chriſtus exſcindetur, & non ipſi, ſic transferenda eſſe : *neque hoc ipſius cauſſa*, i. e. non propter ſuum ipſius delictum.	Hæc interpretatio nec *idiomati* hebræo, nec *Patribus* eccleſiæ, nec *aliis interpretibus* eſt conſona. *Glaſſius* in Iudicio de controverſ. Saxonicorum cum Helmſtad. p. 136.
§. LXXI. K iij. Non poteſt negari, particulam את non tantum eſſe notam accuſativi, ſed etiam ſignificare *cum*, *a*, *per*; ſicut ſane *omnes interpretes*, chaldæus Onkelos, Græci, latinus, & recentiores reddiderunt.	Contrarium patet e verſione R. *Ionathan*, MSta quadam *ſyra*, & interpretatione *Clarii*, *Fagii*, *Forſteri*, *Schindleri*, *Oſiandri*, & Lud. *de Dieu*. Abr. *Calovius* Diſp. de fide veterum in Chriſtum §. 30. (in Crenii Faſce V. p. 215)
In Apologia §. III. Dd. In Aug. Confeſſione art. VI. dictum aliquod tribuitur *Ambroſii commentario in Epp. Paulinas*, qui tamen non eſt eius.	*Tunc tamen habebatur pro Ambroſiano*. Io. Georg. *Dorſcheus* Latronis theol. & Theologi latron. p. 285. Et *Mylius* Diſpp. in Aug. Confeſſion. p. 108. dictum illud Chryſoſtomo tribuit.

CXVIII.

EIVSDEM Apparatus theologicus, & fragmentum Hiſtoriæ eccleſiaſticæ, ex autoris MSto aucta a F. V. *Calixto*. Helmſtadii 1661. Editio altera. Apparatus ille eſt introductio ad ſtudium theologicum, ſed imperfecta, cum privatis curis, publicisque tumultibus, laborem operoſiorem ſubinde interrumpentibus, (ut ipſe auctor ad Voſſium ſcribit in Epp. Voſſii p. 134.) finem non viderit, in eoque agitur de variis acceptionibus vocabuli *Theologia*, p. 1. de theologo proprie dicto, eiusque officio. 6. de requiſitis ſtudioſi theologiæ. 12. de litterarum & diſciplinarum exiſtimatione apud priſcos Eccleſiæ Patres, 35. de famulatu Philologiæ &

Philoſophiæ. 45. de diverſis mundi religionibus. 58. de ſtatu, ſtudiis, & doctoribus eccleſiæ. 112. de theologia ſcholaſtica. 139. de partitione ſtudiorum theologicorum. 162. de Imperatoribus romanis. 199. de Pontificibus romanis. 208. Fragmentum autem Hiſtoriæ eccleſiaſticæ, de ſtatu rerum in eccleſia occidentali ſæculis IIX. IX. X. & deinceps, quando pontificius dominatus & corruptelæ invaluerunt. Atque hic tractatus hiſtoricus eo nobis gratior eſſe debet, quo excellentius auctoris in hiſtoria eccleſiaſtica & antiquitatibus ſtudium fuiſſe novimus: quod etiam laudibus celebratur a *Schurzfleiſchio* Epp. ſelectar. p. 356. & *Kriegkio* in Conſtitutione rei ſcholaſt. ilfeldenſis p. 254. De hoc Apparatu ludicrum quid profert *Nihuſius* Suſcitabuli p. 101. ſed nos malumus ſerium iſthoc petere ex *Morhoſio*, qui in Polyhiſt. Tomo III. p. 51. ſcribit: Calixtus vaſtius argumentum animo complexus erat: nec tantum de ſcriptoribus theologicis agere in animo habuit, ſed de omni apparatu theologico in univerſum. Magnam certe fecimus iacturam in huius libri defectu: paucula enim tantum attigit, ſed profecto eruditiſſima, & profundam antiquitatis & hiſtoriæ, tam ſacræ, quam civilis, cognitionem ſpirantia.

Pag. 133. פרשכדתה	פרשנדתה Parſchandata.
Moſis Maimonidis inſigne exſtat opus, quod *Iad* vocant.	*Iad chaſaka*, *Wolfius* Biblioth. hebr. 839.
181. Nicolaus, oriundus Lira, oppido *Brabantiæ*.	Oppido *Normanniæ*. *Sainjore* Biblioth. crit. T. IV. 252. *Wolfius* Biblioth. hebr. 912.

EIVSDEM de tolerantia Reformatorum circa quæſtiones inter ipſos & Auguſtanam confeſſionem profeſſos Conſultatio. Helmſtadii 1697. In qua diſſeritur de diſcrimine errorum circa res fidei, de terminorum varia acceptione, prædeſtinatione, unione perſonali, ubiquitate, præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in S. cœna, & modo tolerantiæ Reformatorum. Præmittitur 1) Frid. Vlrici *Calixti* Mutuæ Chriſtianorum in S. romano Imperio, publico & libero religionis exercitio gaudentium, citra omnem religionum miſcellam, preſſior declaratio. In qua agit de ſtatu controverſiæ præſentis, (quem ait hunc eſſe: An ſtantibus erroribus, cum Pontificiorum, tum Reformatorum, fundamentum fidei non everten-

evertentibus, noſtra interim non ceſſante contradictione, illi nihilominus, ut chriſtiani, tolerari poſſint ac debeant?) de ſymbolo apoſtolico, ut fidei fundamento, de *Calixto* patre, ultra tolerantiam non progreſſo, de communionis virtualis ab actuali differentia, de ſanctitatis neceſſitate, de fidei fundamento in III. ſymbolis cardinalibus conſiſtente, (vide *Conringiana* 289.) de auctoritate ſymbolorum, de diſtinctione errantium ſive ex ignorantia & ſimplicitate, ſive ex pervicacia, de coniugiis inter perſonas diſparium religionum, & de applicatione dictorum ad Pontificios & Reformatos. 2) Catalogus operum G. *Calixti*. Conſultationi autem ſubiungitur Deſiderium & ſtudium concordiæ eccleſiaſticæ: de quo ante diximus.

EIVSDEM de præcipuis chriſtianæ religionis capitibus Diſputationes XV. Helmſtadii 1658. Et hæc eſt tertia editio, prima autem anni 1611. quo & habitæ fuerunt. Sed opus eſt iuvenile, fatente ipſomet *auctore* de Arte nova p. 127. 128. quidquid dicat *Nihuſius* Apologet. p. 81.

Pag. 321. Euſebius *Emiſſenus*.	Euſebius *Emeſenus*.
360. IOANNES Papa XXII. *erravit*, docens, animas beatorum non viſuras Deum ante reſurrectionem.	Sic erraverint, quotquot cum *Luthero* & *SS. Patribus* docent creduntque, animas hominum a corpore ſeparatas eſſe in Scheol uſque ad diem reſurrectionis.

Gerh. TITII Diſputatio de Gratuita iuſtificatione hominis peccatoris coram iudicio Dei. Helmſtadii 1650. Erat diſputatio inauguralis, pro conſequendis ſummis in theologia honoribus præſide G. *Calixto*.

§. XXV. in fine: Illi, qui Biblia germanice interpretati ſunt, excuſa Norimbergæ anno 1483. hoc modo exponunt: Wir wiſſen, daſs der menſch *nicht* wird *gerechtfertiget aus* den wercken der Ehe (legis,) *nur* durch den Glauben *Ieſu Chriſti*.	Proprie ſic legitur: *Nit* wird *gerechtvertiget* aus den Wercken der *ee*. nur durch den *Gelauben ibeſu Chriſti*.

EIVS-

EIVSDEM Annotationes & Animadverſiones in Confeſſionem Reformatorum, Thorunii in Colloquio anno 1645. oblatam. Wolferbyti 1655. Hæc editio poſt Batavam minus emendatam eſt correctior. Atque in Annotationibus & Animadverſionibus hiſce doctrina de peccato originis, auxiliis divinæ gratiæ & prædeſtinatione, ac præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in S. cœna, breviter quidem, ſed, uti titulus promittit, nervoſe explicatur: capitaque ipſius *Confeſſionis* ad calcem adiecta ſunt. De Colloquii iſtius apparatu agit *Comenius* in Duplici iudicio de Regula fidei p. 604. & Hieronymus *a S. Hyacintho* dedit Ideam Colloquii thorunienſis.

SCRIPTA facientia ad Colloquium thorunienſe A. 1644. indictum, deinde autem uſque in annum ſequentem, diemque 28. Auguſti dilatum. Cum Georgii CALIXTI Conſideratione & epicriſi. Helmſtadii 1645. Scripta illa hæc ſunt: 1) VLADISLAI IV. Regis Polon. Edictum. de Colloquio fraterno, Torunii inſtituendo. 2) Aliud de prorogando colloquii termino in annum ſequentem, videlicet 1645. 3) Synodi provincialis Poloniæ, anno 1643. Varſaviæ celebratæ, Epiſtola ad diſſidentes in rebus fidei, ab Epiſcopo vilnenſi, Abr. *Woyna*, viro aſpero & inſolente, propoſita & publicata, cum Programmate, quod diſſidentes iniurioſum interpretabantur. 4) *Euangelicorum vilnenſium* Manifeſtum ſive Proteſtatio contra iniurioſum illud Programma. 5) Excerpta ex informatione de negotio collocutionis Torunii indictæ, tradita delegatis, qui Romam miſſi fuere ad Pontificem. 5) Exemplum literarum, quibus *Curlandiæ Princeps* Regis polon. ad Colloquium caritativum invitatoriis reſpondet. 6) Reſponſoriæ *Regis Polon.* ad priores. 7) *Ordinum euangelicorum* ad Epiſtolam Synodi varſavienſis, & ad Regis Polon. Diploma Reſonſio. 8) *Eorundem* ad invitationem Regis Polon. Ita quidem Rex ſereniſſimus optimo, & nunquam ſatis laudando animo colloquium caritativum, Barthol. *Nigrini* conſilio, concordiæque eccleſiaſticæ ſarciendæ cauſſa inſtituit; ſed Pontificii (ut Lud. *Crocius* in Epiſtolis Voſſianis p. 385. ſcribit) Reformatis parum caritatis, Lutheranis vero etiam minus oſtenderunt; & ipſe *Voſſius* ibidem p. 390. ad Calixtum his utitur verbis: *Valde multis dolet, non plus effectum eſſe torunienſi Colloquio. Cuius licet culpa imprimis ſit penes adverſarios, plus tamen ſperare licuiſſet, ſi ex noſtris*

noſtris etiam ceteri eam animi moderationem attuliſſent, quam tum cum clariſſimo Bergio. Vide Abbatem *Schmidium* Continuat. Introduct. Sagittarianæ in Hiſt. eccleſiaſt. p. 1592.

Io. HVLSEMANNI Refutatio Calvinianæ relationis de colloquio torunienſi. Germanice. Lipſiæ 1646. Relatio illa edita fuerat Liſſæ, etiam germanice, A. 1645. Additur quoque euangelicorum in Polonia, Pruſſia & Lithuania Statuum Confeſſio, latine & germanice: & p. 57. annectuntur Articuli non nulli, qui Auguſtanæ confeſſionis Eccleſiis immerito a Romano-catholicis tribuebantur atque imponebantur.

CXIX.

Georgii CALIXTI Tractatus de Pactis, quæ Deus cum hominibus iniit. Helmſtadii 1654. Publice fuit ad diſputandum propoſitus, reſpondente Samuele *Voß*, nobili mekelnburgico.

EIVSDEM Tractatus de coniugio clericorum. Francofurti, (& quidem optime, ſecundum *Crenium* Exercit. I. de libris ſcriptor. opt. p. 31.) 1653. Prius Helmſtadii A. 1631. Eo oſtenditur, pontificiam legem, qua ſacris miniſtris coniugium univerſim & ſimpliciter interdicitur, S. ſcripturæ, rectæ rationi, iuſtarumque legum naturæ, & eccleſiaſticæ primævæ antiquitati prorſus adverſari; in primis autem *Baronii*, *Bellarmini* & *ſociorum* ſententiam (quod videlicet Apoſtoli eam ſanciverint) abſurdam novitatem eſſe. Sub finem agitur de hæreſi Hildebrandina, & additur Appendix, qua continentur 1) B. *Vdalrici* auguſtani pro coniugio clericorum Epiſtola. 2. & 3) Georgii *Caſſandri* & Georg. *Wicelii* de cœlibatu & coniugio clericorum Sententia. 4) *Supremæ Curiæ pariſienſis* in librum Bellarmini (de ſummi Pontificis poteſtate in temporalibus, adverſus Guil. *Barclaium*) Sententia. 5) *Facultatis theologicæ & Vniverſitatis pariſienſis* in librum Ant. *Sanctarelli* ieſuitæ Cenſura & decretum. De coniugio clericorum ſcripſerunt etiam Andr. *Hyperius* in Parte II. Opuſculorum theologicorum, & Ioan. Chriſtoph. *Koch*, de quo *Narrat. innoc.* A. 1714. 361. Tractatum hunc Calixti, optimum eius librum eſſe iudicat *Crenius* l. c. idemque Animadverſ. P. I. 75. ſcribit, Calixtum *in luculento iſto tractatu, in quo fracturi potius ſint dentes, quam impreſſuri hæretici, optime diſpu-*

diſputaſſe. Neque ſilentio prætereundum, quod *Hildebrandus* de Nuptiis veterum Chriſtianorum B 4. glorietur, eundem Tractatum ab adverſariis quarumvis partium fere ſolum intactum permanſiſſe. At tamen eum vellicant *Priorius* Annotat. in caput X. Tertulliani de Exhortatione caſtitatis. p. 522. & *Nihuſius* in Arte nova, & Apologet. c. 15. p. 84.

Pag. 338. *Antiquiſſimus* ſane (*Marianus* Scotus) eſt ſcriptorum omnium, apud quem hodie quidem Papiſſæ mentionem invenias.	*Antiquior eſt Anaſtaſius.* I. H. *Bœcler.* Bibliograph. crit. p. 429. *Sagittarius* Introduct. in Hiſt. eccleſ. P. I. 676.
340. Anaſtaſium *omiſiſſe.*	Non ipſe Anaſtaſius omiſit, *ſed ii, qui eum excudendum curarunt*; neque in omnibus, ſed *in pleriisque exemplaribus. Bœcler* l. c.

Georgii CASSANDRI de Communione ſub utraque ſpecie Dialogus. Cum G. CALIXTI de hac ipſa controverſia Diſputatione, eaque recognita & aucta, & ad Academiam colonienſem Iterata compellatione. Helmſtadii 1642. In Epiſtola ad ſereniſſ. Ducem Auguſtum agit *Calixtus* de Cærimoniis eccleſiaſticis, Articulis fidei, Sacramentis, Mandatis divinis, Papæ romani ambitione, Concilio tridentino, Modis ſive mediis controverſias religionis componendi, Pontificiorum Arte nova, modumque tandem triplicem diſputandi offert Pontificiis. Adduntur & alia, ſæculo XVI. ſcripta & acta, ad doctrinam de communione ſub utraque ſpecie facientia: nempe 1) FERDINANDI I. Imp. Edictum. 2) Oratio Legati bavarici (Auguſtini *Baumgartneri*) in Synodo tridentina. 3) Relatio de Bulla PAULI III. P. R. qua Epiſcopis Germaniæ conceſſit poteſtatem admittendi populum ad communionem ſub utraque ſpecie. 4) Excerptum ex *Sleidano* de conceſſione calicis, ab *Alberto* Bavariæ Duce facta. 5) Excerptum ex Petri *Suavis* Polani Hiſt. concilii trid. 6) *Conditiones*, quibus uſus calicis concedi poſſe videtur. 7) *Caſſandri* Epiſtola de conceſſione calicis, ſubditis Imperatoris & Electorum eccleſiaſticorum a Pontifice facta. 8) Alia *Caſſandri* non trunca, ut in Operi-

Operibus, ſed integra, contra communionem ſub una. 9) *Idem* contra Miſſas ſolitarias. 10) *Wicelius* contra eaſdem. 11) Formula Carolina *Interim* de communione ſub utraque. 12) Petitiones Oratoris cæſarei ad Concilium tridentinum. 13) Poſtulata Reginæ, gubernatricis Galliæ. 14) MAXIMILIANI II. Imper. litteræ ad Ducem meklenburg. de Dav. Chytræo. 15) Excerptum e Wilhelmi *Lindani* Panoplia euangelica de communione utriuſque ſpeciei. 16) PII IV. litteræ ad Henricum iuniorem, Ducem brunſv. ac luneburgenſem, pontificiarum partium tum temporis ſtudioſum, de uſu calicis, quem, tantopere urgente FERDINANDO I. Imperatore, ſub certis conditionibus conceſſerit. Confer cum hiſce eas, quas maxime venerabilis abbas *Schmidius* in dias luminis auras produxit Helmſtadii anno 1720. In Appendice ad Iteratam compellationem calamus ſtringitur contra *Nihuſii* Triumphum Catholicorum de Georg. Calixto, aut potius contra *Sierſtorpfium*, impreſſionis libri Nihuſiani adprobatorem.

CXX.

Georgii CALIXTI liber de Immortalitate animæ & reſurrectione carnis, ex autographo auctoris emendatus & auctus a Frid. Vlr. *Calixto*. Helmſtadii 1661. & antea A. 1627. ſcriptus in honorem ac memoriam Petri *Overbequii*, ad fratrem eius Matthiam, ſtudiorum pietatis & ſapientiæ cultorem & patronum eximium, ita, ut utraque doctrina ex Scriptura & Antiquitate illuſtretur.

EIVSDEM liber de Supremo iudicio. Helmſtadii A. 1635. Conſecratus memoriæ celſiſſimæ Dorotheæ anhaltinæ, ſereniſſimi Ducis Brunſvic. & Luneburg. Auguſti coniugis. Vide *Conringiana* p. 204.

EIVSDEM liber de Bono perfectæ ſummo, ſeu æterna beatitudine. Helmſtadii 1643.Glorioſæ memoriæ Georgii, Ducis Brunſv. ac Luneb. conſecratus.

Pag. 50. Peracto iudicio ſuos fines habebunt civitates duæ, una Chriſti, altera diaboli; una bonorum, altera malo-

Non admittit hanc expoſitionem evidens apud Auguſtinum voluntatis & facultatis oppoſitio; quæ vult, ſalvatos

rum. --- Iſtis voluntas, illis facultas non poterit ulla eſſe peccandi. Subintellige, *ita peccandi, ut Dei gloria tenebras offundant, vel beatis noxam inferant, eorumve felicitatem & gaudia turbent aut minuant.*

tos neque velle neque poſſe, damnatos autem velle quidem, ſed *non poſſe ullo modo peccare.* Io. *Fecht* in Faſciculo Theſium ſelectar. P 4.

EIVSDEM Conſideratio doctrinæ pontificiæ, iuxta ductum Concilii tridentini, & reformatæ, iuxta ductum Confeſſionis, Thorunii A. 1645. exhibitæ. Helmſtadii 1659. F. V. *Calixtus* e MSStis eruit, & edidit; eandemque denuo publicavit D. Henr. *Muhlius*, cum Introductione. Conſideratio hæc proponit ſummam diſſenſus nos inter ac Pontificios & Reformatos; ita tamen, ut, ubi conciliationi aut tolerantiæ locus eſſe poſſit, ubi non poſſit, ſubinde commonſtret. Quod autem ad Pontificios attinet, de conciliatione deſperandum eſſe aſſerit, niſi anathemata pontificia mitigentur, aut potius aboleantur. p. 5. Notandum etiam, verba hæc p. 112. 113. *Modum autem inexplicabilem --- id eſt, paſſionis & mortis Domini*, in editione anni 1654. non legi.

Pag. 2. Schiſma exortum irreconciliabile reddidit Concilium tridentinum, dum multa talia, hactenus indifferentia, *ſub anathemate* determinavit.

Nos non condemnamus ullum hominem, quicunque ſit, ſed doctrinas erroneas. Immo quamvis doctrinam erroneam condemnemus, non tamen illos condemnamus, qui talem profitentes doctrinam, dum modo chriſtiana ſit, & ab homine baptizato pro vera habeatur, moriuntur. Etſi enim doctrina in ſe ſit erronea, fieri tamen poteſt, ut is, qui eam tenet, ex animo credat eſſe veram, dum de eius falſitate non eſt convictus. Talem hominem propter ipſius errorem non iudicamus æter-

næ

	næ damnationis reum, quin potius re ipſa membrum eſſe catholicæ eccleſiæ agnoſcimus. Quirin. *Kunckel* in Lilio inter ſpinas p. 897. Cui addi poteſt *Le Proteſtant pacifique* p. 50. *Carpzov.* Iſag. in libros ſymbol. p. 25. *Calovius* Proœm. in Auguſt. confeſſ. p. 44. Valerianus *Magnus* (in Actis inter ſeren. Erneſtum & G. Calixtum 292.)
Pag. 6. 7. 8. Verſionem latinam veterem ſive vulgatam hebræo textui V. T. & græco Novi *æquare vel præferre:* Romanum Pontificem numerum credendorum vel dogmatum neceſſariorum *augere poſſe:* eundemque poſſe Reges & Impp. --- *dominatu privare*, ſubditos *a ſacramento fidelitatis* abſolvere, & *imperium ad alios* transferre.	Hæc dogmata non ſunt Concilii tridentini, ſive Eccleſiæ romanæ; ſed *Doctorum particularium. I C.Wagenſeil* Confutat. Carminis Lipmanniani p.523. *Auctor Compendii* Regulæ fidei catholicæ Veronianæ p.14. 23. 131.
25. Confeſſio *vvittenbergica* Tridentinæ Synodo oblata.	Confeſſio *vvirtembergica.*

Acta inter ſereniſſimum Haſſiæ Landgravium ERNESTVM & Georg. CALIXTVM. Helmſtadii 1681. Ex auctoris exemplari recognita & aucta a Frid. Vlr. *Calixto.* Suntque 1) ſeren. *Erneſti* litteræ ad theologos, D. Georg. *Calixtum*, D. Io. *Crocium*, & D. Pet. *Haberkornium*, ut veniant ad Collationem francofurtenſem. p. 3. 2) *Eiusdem* litteræ ad Principes, ſub quibus degunt Calixtus, Crocius & Haberkorn, ut eis ad Collationem francofurtenſem cum P. Valeriano Magno, eiuſque duobus ſociis inſtituendam, eundi dent facultatem. p. 4. 3) *Eiusdem* Epiſtola latina ad G. Calixtum. p. 9. 4) Alia *eiusdem* ad Calixtum, in qua ſe

Digitized by Google

eum omnium proteſtantium theologorum doctiſſimum moderatiſſimumque habere confitetur. p. 21. 5) Reſponſio P. Valeriani *Magni*, eiuſque ſociorum, ad IV. quæſtiones. p. 22. 6) G. *Calixti* Reſponſum. p. 25. eiusque Appendix duplex. p. 67. 87. 7) Ser. *Erneſti* litteræ ad G. Calixtum, ex germanico in latinum ſermonem traductæ. p. 193. 8) Valeriani *Magni* eiuſque ſociorum Actio III. IV. V. VI. p. 205. 9) G. *Calixti* Reſponſum ad iſtas Actiones. p. 253. Hæc ſcripta laudat *Raſevvizius*, quamvis romano-catholicus, in Delineatione eccleſiæ cathol. p. 748.

CXXI.

Conradi HORNEII Defenſio diſputationis ſuæ de ſumma fidei, non qualis libet, ſed quæ per caritatem operatur, neceſſitate ad ſalutem. Helmſtadii 1647. Adverſus Programma, verſu ſcriptum, eoque nec elegante, nec comto, & typis excuſum ac publicatum a V. CL. in vicina academia, qui & Prælectionibus illam Diſputationem oppugnavit. Vir ille clariſſimus erat D. Io. *Maior*, theol. prof. in academia ienenſi ipſumque Programma refutationi huic per partes interſeritur, & adduntur Teſtimonia Io. *Arndii* ex Vero eius chriſtianiſmo, itemque Io. *Gerhardi* ex Schola pietatis de ſumma neceſſitate chriſtianæ ac piæ vitæ, ſi quis aliquando promiſſam ſalutem æternam per Chriſtum & fidem in eo collocatam obtinere velit. Plura autem *Gerhardi* Teſtimonia reperies in Horneii Repetitione doctrinæ de Bonorum operum neceſſitate ad ſalutem, §. 6. De Horneii inſtituto meretur legi *Boineburgius* in litteris ad Pruſchenckium, quæ exſtant in *Struvii* Actis litterariis, Faſce V. p. 24. ſcribens, Horneium neutiquam ſtatuiſſe merita operum, inſtitutum autem eius ſanum, ac, prout hodie mores ſunt, neceſſarium fuiſſe.

TESTIMONIA recentiorum eccleſiæ Doctorum pro pietatis & bonorum operum neceſſitate ad ſalutem. Helmſtadii 1648. Sunt autem *Lutheri*, *Melanchthonis*, *Matheſii*, *Brentii*, *Rhegii*, auctoris Brevis ſimplicis & neceſſariæ inſtructionis in Corpore doctrinæ Iulio, qui eſt Mart. *Chemnitius*, *Selnecceri*, Dav. *Chytræi*, Iac. *Andreæ*, Balth. *Meisneri*, *Stegmanni*, Conr. *Dieterici*, *Hoepfneri*, *Franzii*, *Thummii*, *Hiï*, & Io. *Schmidii*.

EIVS-

EIVSDEM Refutatio Paſquilli, ſub titulo: Breve extractum aliquot dictorum Lutheri, Corporis doctrinæ Iulii, & Articulorum luneburgicorum contra Teſtimonia Arndii & Gerhardi, atque ſub larva M. Ioannis *Lotſchmanni* evulgati. Germanice. Helmſtadii 1648. Iam vero auctor noſter doctrinam ſuam probat ex dictis Scripturæ, Patrum, & recentiorum Doctorum, atque ad obiectiones, ex Luthero, Corpore doctr. Iulio, & Articulis luneburgicis petitas, reſpondet.

EIVSDEM Iterata adſertio, qua fidem non qualemlibet, ſeu otioſam aut mortuam, ſed vivam ac per caritatem operantem ad ſalutem neceſſariam eſſe oſtenditur, adverſus D. Io. *Rothmalerum*, mortuam & otioſam ad eam ſufficere diſputantem. Helmſtadii 1648. *Rothmaleri* Diſputatio de neceſſitate bonorum operum, non qualibet, ſed quæ ad ſalutem eſſe dicitur, edita fuit Arnſtadii, ac propoſita in conventu Paſtorum dioeceſeos Rudelſtadio--ſchwartzburgicæ eccleſiaſtico, A. 1648. Laudatur hoc ſcriptum Horneii a CL. *Strimeſio* in Critica concionator. p. 82. & *Veluſio* in Aurora pacis relig. p. 108. ita ut hic ſcribat, Horneium hoc tractatu utilem operam impendiſſe.

EIVSDEM Repetitio doctrinæ veræ de neceſſitate bonorum operum ſeu ſtudii pietatis, ſi quis ſalvus per Chriſtum eſſe velit, & novæ eius vindiciæ. Helmſtadii 1649. Qua ad obiectiones adverſariorum reſpondetur, & in fine producuntur teſtimonia Io. *Weberi*.

Io. MVSAEI Iudicium de controverſia, An bona opera ſint ad ſalutem neceſſaria. Germanice. 1650. Editum quidem inſcio auctore; (vide Theologorum ienenſium præfat. des grundlichen berichts contra Stengerum g 2.) ex eo tamen patet, *Muſæum* ſtatuiſſe, theſin iſtam non eſſe in ſe ſcandaloſam.

Alethophili LIBERII Querela cauſſæ moralis & conditionis ſine qua non, contra aliquem, qui ex duabus unam vult facere. Etiam germanice, ſed ſine nomine auctoris, loci, ubi impreſſio facta, & anni. Auctor eius, niſi memoria me fallit in eo, quod in adoleſcentia audivi, eſt Paulus *Slevogt*; pugnat autem ille contra D. Io. *Hülſemannum*. docens, ex Horneii ſententia bonis operibus minime adſcribendam eſſe cauſalitatem.

Geor-

Digitized by Google

Georgii CASSANDRI Tractatus de officio pii viri, in hoc eccleſiæ univerſæ, occidentalis in primis, diſſidio, cum præfatione Io. *Latermanni*, eiusque ad Tractatum Notis. Regiomonti 1650. In Præfatione breviter oſtenditur, quanti moderatum Caſſandri de controverſiis religionis iudicium, ac indefeſſum in reſtauranda concordia eccleſiaſtica ſtudium & ſummi Imperatores, & magni Regum conſiliarii, & theologi denique, tum proteſtantes, tum pontificii, fecerint.

Io. LATERMANNI Declaratio apologetica. Thorunii 1648. In qua graviſſimæ quæſtiones ventilantur 1) de converſione hominis. 2) de mitioribus modernorum Reformatorum ſententiis. 3) de condemnatione Reformatorum. 4) de certitudine ſalutis. 5) de ſtudio & conſenſu antiquitatis eccleſiaſticæ. 6) de neceſſitate bonorum operum. Latermanno lis fuit facta a D. Cæleſt. *Mislenta* ob diſputationem de æterna Dei prædeſtinatione ſub D. Io. Behmio ante biennium ferme a Latermanno habitam. Et quamvis ille fateretur, huius Declarationem orthodoxam eſſe, non deſiit tamen de verbis contendere: ideoque monſtrat *Latermannus* in Præfatione, non quæſtionem eſſe ſe inter & antogoniſtas de articulo aliquo fidei, ſed de phraſibus in Diſputatione ſua, num tales ibi occurrant, quæ ad errorem ſive Pelagianorum, ſive Synergiſtarum, ſive Pontificiorum, ſive aliorum denique trahi poſſint? In Epiſtola vero dedicatoria loquitur de certamine *Staphyli* cum Gnapheo, *Wigandi* cum Heshuſio, *Finckii* cum Behmio, varia talium certaminum utilitate, & *Mislenta* cum ipſo contentione.

EIVSDEM Grundliche ablehnung, ſive Solida depulſio errorum, a quibusdam paſtoribus regiomontanis ex ſua de prædeſtinatione Diſputatione ſibi imputatorum. Cum Iacobi *Andreæ* Iudicio, quo modo controverſiæ, inter Euangelicos ortæ, componi queant. 1648.

Io. *Latermannus*, Coburgo-francus, *Calixti* & *Hornei* diſcipulus, theol. doctor, paſtor fuit derenburgenſis, & ſuperintendens in Principatu halberſtadii; ſed poſtea ob caſtitatis violationem datamque inde offenſionem a munere iſto remotus, paſtorem egit militarem, & infra Vindobonam Auſtriæ calculo exſtinctus eſt anno circiter 1662. *Cranio* Animadverſ. P. XIV. p. 45. dicitur vir

forma,

ſorma, quam mente melior; at nobiliſſimus *Pruſchenckius* in Struvii Actis literar. Faſciculo V. 50. doctum vocat, pium, & in mitigando religionis odio cordatum pariter ac moderatum, fidei denique fundamentalis aſſertorem maxime ſtrenuum, ſibique vel propterea carum, qui magno Calixto ſuo carum ſemper caput fuerit. Vide etiam Teſtimonia *Theologorum* pro eius orthodoxia.

Brevis epicriſis, qua quaeſtiones XXIV. inter theologos euangelicos controverſae, ab *anonymo* diſcuſſae, auctori eidem domum remittuntur. Helmſtadii 1680. Auctor Epicriſeos eſt D. Frid. Vlr. CALIXTVS, anonymus autem D. Abr. *Calovius*.

Fridericus Vlricus *Calixtus*, Georgii filius, helmſtadienſis, primum medicinae, deinde ſacris addictus ſtudiis, *Titii*, *Parentis* & *Horneii* diſcipulus, peragratis bona Germaniae parte, Bohemia, Moravia, Hungariae tractu, Carinthia, Italia, Gallia & Belgio, S. theol. D. & profeſſor in in academia Iulia, ad haec abbas Regiae Luterae, & Conſiſtorii wolfenbuttelenſis conſiliarius, multis ſcriptis, iiſque dogmaticis, polemicis contra *Calovium*, *Deutſchmannum*, *Strauchium*, *Fellerum*, *Hartnaccium*, *Rechenbergium*, Pacificum *Verinum*, qui H. L. *Benthemius*, *Mülmannum* & *Chiliaſtas*, nec non irenicis (quorum omnium ultima erant Annotata ad Pacifici *Verini* de reuniendis Proteſtantibus conſilii conſiderationem, & Via ad pacem, A. 1700.) inclytus, vir humanus, affabilis, veri, moderati, rectique amantiſſimus, & in meditatione mortis, quam vehemens & graviſſimus morbus indicabat, renuncians, ut olim fecerat Io. Conr. *Dürrius*, rixoſis controverſiis, ac ſimplicitate chriſtiana, quae paucis abſolvitur, contentus, ad metam vitae contendit, eamque aſſecutus eſt anno 1701. aetatis fere 79. Vide *Programma* eius funebre, & Memoriam, quam *ipſe* condidi, quaeque etiam inſerta eſt Memoriis theologorum CL. *Pippingii* p. 881. De eo intelligendum eſt, quod *Spenerus* Conſilior. theol. latinor. p. 715. ſcribit: D. *Calixtus helmſtadienſis inconſulto in Pietiſmum, quem vocant, zelo totus ardet, & ſenii ſui omnes vires adverſus illum impendere videtur.* Vide hic p. 314.

CXXII.

Frid. Vlrici CALIXTI Demonſtratio liquidiſſima contra Conſenſum repetitum fidei vere lutheranae. Helmſtadii 1667.

In ea, auctoritate publica conſcripta, oſtenditur, nec Conſenſum illum, quem D. A. *Calovius* ſuperiore anno in vulgus ſparſit, Conſenſus fidei vere lutheranæ nomen mereri, nec G. *Calixtum*, & Conr. *Horneium* fidei lutheranæ contraria docuiſſe. In Præfatione ait, parentem ſuum propoſito concordiæ eccleſiaſticæ, aut ſaltem tolerantiæ multos ſibi hoſtes excitaſſe, eundemque nec nihil, nec omnia a G. *Caſſandro* & M. Ant. *de Dominis* accepiſſe, ac per calumniam dici a libris eccleſiarum noſtrarum ſymbolicis prorſus defeciſſe, adverſarium autem technis uſum eſſe, & ſymbolicorum librorum, immo etiam Præfationum & Appendicum verba nihil probantia corraſiſſe, iiſque etiam ſua (ne fraus pelluceret) eodem characterum genere infarſiſſe. Et inclyta Academia Iulia in *Pietate* p. 38. editionis germanicæ, laudat hoc ſcriptum Calixti, eo quod liquidiſſime evicerit contra Calovium, nec Conſenſum eius fidei lutheranæ conſenſum eſſe, nec bene meritos viros, Calixtum & Horneium, a conſenſu eccleſiarum receſſiſſe. Cui encomio adde illud, quod adfert auctor Vindiciarum veritatis & innocentiæ, quæ in Speneri binis tractatibus (de libertate filiorum Dei ab auctoritate humana, & Victoria veritatis & innocentiæ) continetur, c. 5. §. 6. Qui autem p. 224. *celeberrimus* vocatur *theologus*, eſt D. Wilhelmus *Lyſerus*.

EIVSDEM Reſponſiones ad D. Abr. *Calovii* Theſes antiſyncretiſticas. Helmſtadii 1668. Theſes illæ agunt de Theologia in genere, Religione, Verbo Dei, Articulis fidei, DEO, Statu integritatis, Peccato, Chriſto, Converſione, Prædeſtinatione, Iuſtificatione, Fide, Bonis operibus, Pactis, Sacramentis, Pœnitentia, Eccleſia, & Noviſſimis. Huic libro Carolus Ludovicus *Stromeyer* oppoſuit Dialyſin; *Academia* vero *Iulia* in Pietate ſua eum vocat bene elaboratum librum, p. 34.

EIVSDEM Pietatis officium erga optime meritum parentem ſuum, contra D. Abr. *Calovii* portentoſum Programma. Helmſtadii 1675. Cum viri cuiuſdam in ſcriptis calixtinis probe verſati (is autem eſt D. Ger. *Titius*, teſte F. V. *Calixto* in Refutatione Harmoniæ calovianæ, p. 317. & Via ad pacem 101. *Placcio*que de Anonymis p. 86.) Pleniore repræſentatione Conſilii calixtini de ſtudio concordiæ eccleſiaſticæ. Sicut iunior *Calixtus* in Præfatione,

ne, ita *Titus* in pleniore repræſentatione commemorat iniurias & ſophiſticas perverſiones, quibus bonus ille vir, quem defenſum eunt, ab hoſtibus ſuis oneratus fuit.

EIVSDEM Diſcuſſio nebularum, quibus *Calovius* iniquitatis myſteria, Officio pietatis erga patrem revelata, Diſputatione nupera obumbrare tentavit. Helmſtadii 1676. Adcalcem p. 79. adiecta eſt ipſa *Calovii* Diſputatio.

EIVSDEM Refutatio Harmoniæ calixtino-hæreticæ *Caloviana*, oppoſita Hulderico *Gottfriedo* & Vlrico *Raitern*. Helmſtadii 1679. Hi unus idemque ſunt *Calovius*. Præfatio auctoris, infauſti certaminis, G. *Calixtum* eiuſque filium inter & Abr. *Calovium* nati, & ultra XXX. annos agitati hiſtoriam complectitur, & conficto Hulderico *Gottfriedo* larvam detrahit. Appendix vero ſcurrilitatem & improbitatem libelli, quem Vlricus *Raitern* ſive Abr. *Calovius*, cum inſcriptione, Fides catholica omnium temporum V. & N. Tti, in ſanguine Meſſiæ iuſtitiam & ſalutem quærens, in publicum emiſerat, non nihil detegit, perſtringit & reprimit. Quodſi etiam noſſe cupis, de quibuſnam rebus in Refutatione præſente agatur, eam tecum communicabo conſignationem, quam in uſus meos ipſe formavi. Agitur nimirum de Meriti Chriſti ſufficientia. p. 1. Fiducia in Chriſtum, cum peccatis mortalibus conſiſtente. 31. Iuſtificationis cauſſa formali & organica. 35. Neceſſitate bonorum operum ad ſalutem. 82. Naturali hominis mortalitate. 106. Corpore Chriſti, an fuerit natura mortale? 129. Promiſſionibus pacti moſaici. 146. Fine legis primario. 159. Conſpiratione cum Papalibus circa transſubſtantiationem. 162. Formali peccati originis, An ſit mera privatio? 173. Promiſſionibus, Patriarchis factis. 192. Significatione vocis עני 202. Senſu verborum Pſal. 139, 7. *Quo ibo a ſpiritu tuo?* 209. Permutato nomine *Zachariæ* cum Ieremiæ, Matth. 27, 9. p. 220. Significatione verborum Moſis, Gen. 4, 26. p. 236. Beatitudine, ſeu ſine hominis ſupernaturali. 241. Multivolipræſentia. 249. Identitate numerica corporum reſuſcitandorum. 253. Merito & ſatisfactione Chriſti. 268. Modo adverſus prævaricantes procedendi ſub pacto euangelico V. & N. Tti. 272. Areæ, tentorii, & ſacrificiorum præcipuo ſcopo. 281. An omne, quod dicit hæreticus, ſit

ſit hæreticum? 298 de Iniurioſa inſcriptione *Harmonia Calixtina hæretica.* 304. Atrocibus criminationibus Calovii. 315. Reformatos in Præfatione *Formula concordiæ* non condemnari hæreſeos. 316. Neque Pontificios in Libris ſymbolicis Proteſtantium. 333.

CXXIII.

ACADEMIAE IVLIAE Schutzrede, Pietas, contra ipſius calumniatores, in primis D. Aegidium *Strauchium*, profeſſorem wittebergenſem. Helmſtadii 1668. Qua G. *Calixti*, Conr. *Hornei*, & F. V. *Calixti* innocentia & orthodoxia vindicatur. Auctor huius ſcripti eſt Herm. *Conringius*, interpres autem eius germanicus, Chriſtoph. *Schrader*. Vide *Placcium* de pſeudonymis p. 401.

Grundliche WIDERLEGVNG, ſive ſolida Refutatio Abominationis calixtinæ (des Calixtiniſchen greuels) D. Aegid. *Strauchii*. Helmſtadii 1688. Auctor quondam erat diſcipulus theologorum helmſtadienſium, ut ipſe indicat. p. 11. ſeque doctrinam apud eos longe aliam ait audiviſſe, quam a Strauchio deſcribatur.

Frid. Vlr. CALIXTI Ablehnung, ſive Depulſio aliquot noviter emiſſarum iniuriarum & calumniarum, cum Proteſtatione, ſe non amplius cum illo ſcriptis certaturum. Helmſtadii 1669.

Viri in Calixtinis ſcriptis probe verſati (D. Ger. TITII) Vorſtellung des Bedenckens, Repræſentatio Conſilii D. Georg. *Calixti* de concordia & tolerantia diſſentientium Chriſtianorum. Helmſtadii 1677. Germanica hæc verſio, docente *Placcio* de Anonymis p. 86. & 419. auctorem agnoſcit Zach. *Pruſchenckium*, conſiliarium Saxo-vinarienſem.

Timothei FRIEDLIEBII Erörterung der frage, Solutio quæſtionis, cur non vis fieri romano-catholicus, ut erant maiores tui? A. 1669. Eſt Dialogus de hac quæſtione: An euangelicus, ſive Auguſtanæ confeſſioni addictus, ſalva conſcientia, atque ita, ut Deum non offendat, eiusque gratia excidat, tranſire poſſit ad Eccleſiam romanam, eiusque doctrinam & cultum acceptare, quidque eum inde retrahere debeat? Auctor, etiamſi concedat,

inter

inter Pontificios retineri fundamentum, dum V. partes habeant catechiſmi, reſpondet negando, quia talis homo contra meliorem agat ſcientiam. Partes huius colloquii ſunt III. in quibus Profeſſio fidei catholica, a PIO IV. præſcripta, & Concilio tridentino inſerta, per ſingulas partes examinatur & confutatur; & ſpeciatim quidem in Parte I. diſputatio eſt de ſenſu horum verborum: *In papatu manſiſſe fundamentum chriſtianiſmi, atque in eccleſia romana etiam dari ſalutem.* p. 3. de læſione conſcientiæ eorum, qui ab Euangelicis tranſeant ad Romano-catholicos. 55. de traditionibus. 61. de ſacramentis Confirmationis, Extremæ unctionis, & Ordinationis clericorum. 82. de ſacramento Coniugii. 104. de ſacramento Pœnitentiæ, & peccato originis. 129. de peccato originis & iuſtificatione peccatoris coram Deo. 133. 182. de certitudine iuſtificationis noſtræ. 211. In Parte II. de ſacrificio miſſæ, & transſubſtantiatione. p. 3. de repoſitione, circumgeſtatione, & adoratione hoſtiæ, item de communione ſub una 25. de purgatorio 43. de invocatione Sanctorum. 64. de cultu reliquiarum, & imaginum. 80. de indulgentiis. 100. de eccleſia romana, An ſit mater & magiſtra omnium chriſtianarum, adeoque eccleſia catholica & univerſalis, extra quam non detur ſalus. 139. cur Romano-catholica eccleſia noſtram pro vera non agnoſcat? 162. de auctoritate eccleſiæ, & notis veræ eccleſiæ, ac differentia inter viſibilem & inviſib. eccleſ. 210. de eminentia ac poteſtate Papæ. 235. 264. 286. In III. Parte, de confuſo ſtatu eccleſiarum euangelicarum, quem P. *Sevenſtern*, & P. *Kirchvveg* noſtratibus obiiciunt. p. 3. de iactata concordia Doctorum in eccleſia romano-catholica, item de cauſa ſchiſmatis, quod eſt inter Pontificios & Euangelicos, deque quæſtione: An ex multis particularibus eccleſiis naſcatur univerſalis & catholica eccleſia? 23. de Lutheri & Euangelicorum excommunicatione, de duplici fundamento religionis, de impedimentis chriſtianæ religionis, & gravibus erroribus, qui iuxta fundamentalem doctrinam chriſtianam introducti ſunt. 36. de traditionibus. 65. 88. de interpretatione S. ſcripturæ, eccleſia viſibili & inviſibili, & an, ſi omnes eccleſiæ, quæ V. partes Catechiſmi aſſumunt, pro eccleſia verſicolor? partibus catholicæ eccleſiæ reputantur, inde exſurgat item de claritate & obſcuritate S. ſcripturæ. 127. de VII. ſacramentis. 147. 160. de ordinatione clericorum, & an Euangeli-

ci veros habeant ſacerdotes? 160. de ſacramento Matrimonii. 180. de cœlibatu clericorum. 198. 220. de pœnitentia. 242. de aqua benedicta, placentulis, quæ *Agnus Dei* appellantur, de transſubſtantiatione, & num Euangelici eo, quod eam negant, receſſerint ab Auguſtana confeſſione? 266. de iuſtificatione, obſervatione præceptorum Dei, ac diſcrimine iuſtificationis & renovationis. 291. de imputatione iuſtitiæ ſeu meriti Chriſti, & fide, quod ſola iuſtificet. 313. de certitudine iuſtificationis, & bonis operibus. 333. ac tandem reſpondetur P. *Stevenſternio* ad V. exceptiones. p. 351. Ecquis autem latet ſub larva Friedliebii? Nemo alius, niſi Iuſtus GESENIVS, qui eo tempore hoc ſcriptum compoſuit, cum sereniſſ. Dux *Io. Fridericus* ad ſacra Romanenſium acceſſiſſet dicam? an accedere meditaretur. Obſervare etiam licet ex multis huius operis locis, auctorem eius non conſveviſſe orare Vater unſer, ſed *Vnſer Vater*.

P. I. p. 70. Omnes libros V. & N. Tti nec non traditiones ipſas (quamvis *humanas*) pari pietatis affectu ac reverentia ſuſcipit ac veneratur Concilium tridentinum Seſſ. IV. Decreto de Canonicis ſcripturis, pag. 8.	Traditiones, quæ *ipſius Chriſti* ore ab Apoſtolis acceptæ, aut *ab ipſis Apoſtolis*, Spiritu ſancto dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos uſque pervenerunt. Ibidem p. 7.
P. II. 46. Purgatorium, ut aiunt, adeo vehemens tamque horribiliter ardens *ignis eſt*, ut ignis infernalis. Pro animabus inde liberandis non tantum orare te debere, ſed etiam *ieiunare*, te ipſum *flagellare*, & *alia opera facere*.	*Non eſt de fide*, verum & proprium eſſe ignem purgatorii; nec certam gravitatem pœnarum ibi ſuſtinendarum; nec ſuffragia certa lege illis prodeſſe; nec remiſſionem, quæ fit, fieri per applicationem ſatisfactionum aliorum ad animas purgatorii; nec indulgentias animabus aliter prodeſſe, quam per modum ſuffragii. *Compendium* Regulæ fidei catholicæ veronianæ p. 38. 39.

Concil.

Pag. 86. Papa PIVS IV. & Concil. tridentinum non expreſſe & perſpicue ordinant, *quo modo* imagines Chriſti & Sanctorum ſint venerandæ.

Concil. tridentinum Seſſ. XXV. p. 507. ſancit, imaginibus illis *debitum honorem & venerationem* impertiendam, non quod credatur ineſſe aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ, vel quod ab eis ſit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus ſit figenda; ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa. *Walenburchii* T. II. 255. 257. *Compendium* Reg. fidei Veron. 64. & *Reſvvix* Delineat. 718.

304. Pontificii oderunt nos, quod eorum ſuperaddita non acceptamus; quod non credimus, *Mariam ſine peccato conceptam & natam eſſe*; quod non credimus, *Deum nobis peccata remittere ob opera noſtra iuſtitiæ.*

Neutrum eſt de fide. Compend. Reg. fid. cathol. Veron. p. 27. & auctor *Præfat.* illius p. 11.

190. Vulgata verſio *ſine ulla exceptione* authentica declaratur a Concilio tridentino.

Inter omnes latinas editiones, quæ circumferuntur. *Seſſ.* IV. p. 8.

295. Cornelius Muſſus, Epiſcopus *Bipontinus.*

Epiſcopus *bitontinus.*

334. Demonſtravi, *nos ſcire poſſe* quod, dum ſumus iuſtificati, ſimus in Dei gratia.

Non negant hoc adverſarii, ſed negant nos ſcire *certitudine fidei*, quæ nitatur ſola Dei auctoritate, & excludat non ſolum omnem dubitationem, ſed etiam formidinem & timorem de oppoſito, id eſt, in verbo Dei non eſſe revelatum, *mihi*, *tibi*, *illi* factam eſſe remiſſionem peccatorum. *Concil.*

Digitized by Google

	cil. trident. Seſſ. VI. c. 9. *Bellarm.* lib. 1. de Poenit. c. 2. p. 378. P. *Suavis* Hiſt. concilii trident. l. 2. p. 342.
337. Si univerſalis propoſitio a Deo formaliter & immediate revelata eſt, omnes ſub ea comprehenſæ particulares *pro virtualiter & mediate revelatis* habendæ ſunt.	Sed *certitudo fidei nititur expreſſo Dei verbo.* Mart. *Becanus* Operum p. 268.

Iuſtus *Geſenius*, natus Esbeckæ in Ducatu brunſvicenſi, Doctorum helmſtadienſium & ienenſium diſcipulus, eccleſiaſtes primum in urbe Brunſviga, deinde, cum prius via regia honores doctorales Helmſtadii obtinuiſſet, per Ducatum hanoveranum ſuperintendens eccleſiarum generaliſſimus, concionator aulicus primarius, & conſiliarius eccleſiaſticus, non ſolum aliis & voce & ſcriptis, (inter quæ, poſt Diſſertationem de igne purgatorio, eminent Parva ſchola catechetica, Quatuor hominis noviſſima, Libellus de reſurrectione mortuorum, Praxis devotionis, Biblia parva, & varii generis Homiliæ) viam monſtravit cœli, ſed & ipſe comitem ſe ac ducem præbuit. Hinc in orando ſedulus, vanitatum mundi contemtor, in proſperis moderatus, inque adverſis vere patiens exſtitit, in vita communi luxum fugere ac ſuperbiam, rixas cane peius & angue evitare, egenis ſuccurrere, tegenda reticere, a fuco abſtinere, ſinceritati ſtudere, iniurias perferre, cunctiſque prodeſſe mortalium allaboravit, ac vitæ ſatur, poſtquam perſonam ſuam in hoc mundi theatro 72. annos decenter ac laudabiliter egiſſet, Creatori, a quo acceperat, animam tradidit, atque inter mortales eſſe deſiit anno a Chriſti nativitate 1671. *Witte* Memor. theologorum p. 1721. A Gerhardo *Titio* vocatur vir magnus, nullis ſat loquendus vocibus, atque a *Conringio* vir magnus idem & optimus, nec non in Præfatione in Mulmannum de Purgatorio, vir & pietate & doctrina non minus, quam dignitate & munere ſanctiſſimo reverendus.

Digitized by Google

CXXIIII.

Frid. Vlrici CALIXTI Hiſtoria immaculatæ conceptionis B. Mariæ virginis. Helmſtadii 1696. Acceſſit ALEXANDRI Papæ VII. Conſtitutionis Examen. Natus eſt hic liber ex colloquio, quod auctor habuit cum illuſtri viro, Erneſto Leopoldo *a Bockenvorde*, dicto *Schungel*, canonico hildeſienſi, & decano ac ſatrapa peinenſi, cumque ille affirmaret, Immaculatam B. Mariæ conceptionem eſſe articulum fidei in eccleſia romana hodierna, eumque a ſummo Pontifice iam definitum ac præſcriptum, hic autem negaret, factum eſt, ut ille ſponſione hunc provocaret, atque interim, ſimulata hominis pontificii perſona, a Theologis colonienſis & herbipolenſis academiæ informationem peteret. Quid autem illi, quaſi arbitri? Reſponderunt non eſſe articulum fidei, neque ab ALEXANDRO VII. aut ullo alio Papa definitum; ſanxiſſe ſolummodo ALEXANDRVM prædictum, ne quis piam de immaculata conceptione ſententiam, eiuſque cultum & feſtum in diſputationem revocet, aut contra eam quoquo modo, directe vel indirecte, aut ſub quovis prætextu ſeu occaſione, ſcripto vel voce, loqui, concionari, tractare, & diſputare audeat, niſi in graviſſimas incurrere velit cenſuras. Vide pag. 148. & 154. Calixtus autem hæc etiam reſponſa, immo ipſam quoque Conſtitutionem ALEXANDRI VII. in favorem ſententiæ ſuæ interpretans, non dubitavit manum operi admovere, atque hanc ſcribere Hiſtoriam, qua evincere ſe poſſe exiſtimabat, doctrinam de immaculata B. Mariæ conceptione eſſe hodie articulum fidei apud Romano-catholicos, & ſingulos oportere eum profiteri. Vide *Acta erudit.* A. 1698. 285. ubi liber hic recenſetur. Sed errare eum, nec id, quod demonſtrandum erat, attuliſſe, quin potius teſtimoniis illis theologorum academicorum, propria cæcidiſſe vineta dicunt Pontificii: interque eos eruditus P. Balthaſar *Alff*, Societatis Ieſu in Collegio hildeſienſi, ut ipſe in Apologia pro Beata Maria virgine pag. 161. ſcribit, animum habuit refutandi. In Dedicatione auctor non pacem, ait, ipſam, ſed præparatoria ad pacem ſe promere, neque huic exitioſius quid eſſe, quam inconſultam hæretificationem: cum hæreticis enim Chriſtianis non licere paciſci aut concordiam inire, tolerantiamve exercere,

deinde Aulæ brandenburgicæ ſtudium & favorem erga pacem eccleſiaſticam inter Proteſtantes, multis effert laudibus. In Præfatione autem in Epicriſin agit de induciariis ſive Interimiſtis, de Schiſmatis inter Proteſtantes cauſſa efficiente, & conſervante, de motivis ad agnoſcendam realem in S. cœna Chriſti corporis præſentiam, de notis & nominibus religionum diſcretivis, & exercenda ad invicem, ceſſante actuali reconciliatione, tolerantia.

Pag. 41. In Auguſtini *libri* VII. de Natura & gratia cap. 36.	Eſt *liber* I. exſtans in Tomo VII. operum S. Auguſtini,
Inde enim ſcimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum.	*Vnde* enim ſcimus?
84. *Duratus* de Ritibus eccleſiaſticis.	Io. Steph. *Durantus*.

EIVSDEM Via ad pacem inter Proteſtantes præliminariter reſtaurandam, cum Epicriſi editoris. Helmſtadii 1700. Strata illa eſt per colloquia ſollemnia, atque alia pacificorum ſcripta, quæ hic collecta exhibentur, ſuntque 1) Colloquium marpurgenſe anni 1529. deſcriptum a Phil. *Melanchthone*. p. 2. 2) Formula concordiæ wittebergenſis A. 1536. p. 13. 3) Colloquium lipſienſe A. 1631. p. 17. 4) Idem latine. 49. 5) Decretum *Ordinum euangelicorum* in Conventu Imperii francofurtano. 73. 6) Ioan. *Matthiæ*, Epiſcopi ſtregnenſis, ad Regem Sueciæ Epiſtola. 78. 7) Iudicium *Synodi Gallo-belgicæ* de Io. Duræi Irenico. 87. 8) Timan. *Geſſelii* Catalogus irenicorum ſcriptorum. 92. 9) Collatio G. *Calixti* cum Io. *Duræo*. 97. 10) Calixtini conſilii de concordia eccleſiaſtica reducenda Preſſior repræſentatio, auctore Ger. *Titio*. 11) Thomæ *Smith* Henoticon. 157. 12) Bened. *Picteti* Diſſert. irenica. 191. In Epicriſi autem id agit Calixtus, ut oſtendat, Pontificios æque ac Reformatos non eſſe hæreticos, neque a Maioribus noſtris hæreſeos fuiſſe accuſatos, ſed iuxta errores ſatis graves, hiſque non obſtantibus, retinere fundamentum fidei, Symbolo apoſtolico, aut V. partibus Catechiſmi chriſtiani contentum, theſinque iſtam non modo poſitive adſtruit, ſed etiam contra diſſentientium argumenta maſcule defendit. Et ex hoc, utpote omnium ultimo

ultimo ſcripto, non autem ex Hiſtoria immaculatæ conceptionis B. Mariæ virginis, eiusque pag. 259. ubi in fervore diſputationis & confuſe ſcripſit, ſententia eius de negotio irenico haurienda & iudicanda eſt. Recenſionem autem huius libri invenies in *Actis erudit.* A. 1702. 175. *Extractis menſtruis* A. 1700. 743. iudiciumque de eo in *ICti christiani* Cogitationibus de pace eccleſiaſtica, §. 5.

Pag. 9. In Via ad pacem. Art. marpurg. X. Baptiſmus eſt ſignum & opus Dei, in quo fides noſtra *requiritur*, per quam regeneramur.	In quo fides noſtra *excitatur*, vel: *requiritur & confirmatur*. Lutherus, qui germanice illos Articulos ſcripſit: Die Tauffe iſt ein werck Gottes, darin unſer glaube *gefodert*, durch welchen wir wiedergebohren werden. *Narrat. innoc.* A. 1707. 290.
157. Thomæ *Schmith* Ευστιχον.	Thomæ *Smith*.
248. Talis fuit etiam ſententia Chriſtophori *Donacenſi*.	*Donaueri*,
In Epicriſi, p. 250. P. Athanaſium *Kirgerum*.	*Kirckerum*,
300. 301. Chriſtophorus *Danbavverus*.	*Donauerus*.
360. *Quare vero a negotio* (irenico) *mere theologico arcendi profeſſione Theologi*?	Non arcet eos Pictetus; certe non a conſiliis: ſed optandum eſſe ait, ut *res per Politicos potius*, quam Theologos tractaretur: nam modum tractandi melius illi, quam hi, noverint.

CXXV.

Gerhardi TITII Oſtenſio ſummaria. Helmſtadii A. 1663. Editio ſecunda, priori, quæ prodiit anno 1658. correctior, & inſertis paſſim teſtimoniis & argumentis auctior. Vocatur *Oſtenſio*, ad imitationem M. Ant. *de Dominis*, qui Oſtenſionem ſcripſit errorum Fran. *Suarezii*, adiiciturque vox *Summaria*, e foro petita, ut indice-

Digitized by Google

indicetur, compendio & in brevi quaſi ſumma hic tradi rem proponendam. Scopus eius eſt oſtendere, quod Pontificii dogmata ſua ſibi peculiaria non poſſint unanimi Scriptorum eccleſiaſticorum, e V. prioribus poſt natum Servatorem ſeculis ſuperſtitum, conſenſu probare. Conſtat XVI. capitibus, in quibus agitur de S. ſciptura, Pontifice romano, Transſubſtantiatione, nec non adoratione & circumgeſtatione hoſtiæ, Sacrificio miſſæ, Communione ſub una ſpecie, Septenario ſacramentorum numero, Sacramento confirmationis, Sacramento ordinationis, Sacramento matrimonii & coniugio clericorum, Sacramento pœnitentiæ, Enumeratione delictorum in confeſſione privata, Satisfactione, Igne purgatorio, Indulgentiis, Cultu & invocatione ſanctorum, & Meritis operum. Et in Epilogo remittit auctor ad eos ſcriptores, qui de Cultu imaginum, Monachatu, Immaculata conceptione B. Mariæ virginis, Iubileis, & Diſcrimine epiſcoporum ac presbyterorum egerunt. Mox autem ſurrexit Vitus *Erbermannus*, ieſuita, & contra hoc ſcriptum edidit Animadverſionem: ut adeo auctori onus imponeretur, Caſtigatione eam excipere, ſicut iam ſequetur.

Pag. 24. Prohibetur *in Concilio tridentino* (*Seſſ.* XXII. *cap.* 8. & *can.* 9.) ne paſſim omnibus ſine diſcrimine concedatur eiuſmodi (Bibliorum in vernaculas converſorum) *lectio*, & ne in publico & communi uſu eccleſiæ, ſcripturæ *legantur* vel canantur vulgaribus linguis.

Nihil ibi *de lectione* S. ſcripturæ in lingua vernacula, ſed de hac ſermo eſt *in Regulis* PII IV. quæ Concilio tridentino quidem additæ, non autem eius pars ſunt. Autor *Compendii* Reg. fid. cathol. Veronianæ, p. 45.

83. Nihil utique de *adoratione & cultu latria ad ſymbola etiam panis & vini pertinente.*

Non eſt de fide, imo *falſum* eſt, duas adorationes poni a Tridentino: *falſiſſimum eſt*, Catholicos adorare, vel cultu latriæ, & eodem, quo ipſe Chriſtus colitur, colere ſpecies ſacramentales, ſeu ſymbo-

Digitized by Google

ſymbola euchariſtiæ. *Idem* p. 97.

Pag. 89. Matth. Galenus *Catech.* 143.

Catech. 134.

EIVSDEM Caſtigatio Animadverſionis Viti *Erbermanni* in Oſtenſionem ſummariam. Cum Herm. *Conringii* Epiſtola, qua ipſius ad Caſſandrum Præfatio ab eiuſdem *Erbermanni* obiectionibus vindicatur. Helmſtadii 1660. Adiungitur ipſa *Erbermanni* Animadverſio.

EIVSDEM Tractatus de Phraſibus ſive locutionibus veterum eccleſiæ Doctorum, quibus pro fucandis novitatibus ſuis romano-pontificiæ eccleſiæ Doctores hodie abutuntur. Helmſtadii 1676. *Molinaus* in Novitate papiſmi lib. I. c. 46. p. 173. videtur auctori occaſionem dediſſe ſcribendi hunc librum. Qui quidem agit de Traditionibus, Voce *canonicus*, Iudicis aut arbitri controverſiarum fidei appellatione, Pontifice romano, Eccleſia romana, Concupiſcentia, Legis impletione, Iuſtificatorum iuſtitia inhærente, Iuſtificatione ſolius fidei, Bonorum operum meritis, VII. ſacramentis, Transſubſtantiatione, Sacrificio miſſæ, Enumeratione peccatorum in confeſſione privata, Satisfactione, Indulgentiis, Purgatorio, Precibus pro defunctis, Invocatione ſanctorum, Cultu reliquiarum, & Imagine crucis, ac ſigno crucis. In Præfatione autem docet, ſchiſma inter Proteſtantes & Romano-catholicos ortum eſſe ex doctrinæ corruptelis & Pontificis excommunicatione ac ſævitia, multum tamen boni chriſtiani eſſe ſub papatu, nec ibi eccleſiam deſiiſſe: diſtinguendum eſſe inter Eccleſiam romanam & Curiam romanam: Reformationis ſcopum non fuiſſe, omne illud, quod Rom. eccleſia profitetur, procul abiicere, quaſi in ea chriſtianiſmus plane fuiſſet exſtinctus, ſed ut errores & corruptelæ abſtergerentur: examen dogmatum fieri debere ad normam verbi divini, eique adiungendum teſtimonium antiquæ eccleſiæ chriſtianæ: Eccleſiam ab initio habuiſſe regulam fidei, & inde Symbolum fluxiſſe apoſtolicum; nec ſubſecuta Symbola alia ab illo eſſe, ſed illius tantum repetitionem & declarationem: Controverſias aptiore medio non poſſe componi, quam iuſta, ſeria, ſedata, & veritati innixa diſputatione; qualis fuerit Auguſtana illa, anno 1530. inter partes diſſidentes inſtituta, qua ex XXI.

Digitized by Google

Articulis exiguo tempore conciliati fuerint XV. ex reliquis III. ad Concilium generale remiſſi, & ſoli III. in manifeſto diſſenſu relicti: denique Helmſtadienſes nullius ſibi conſcios eſſe novitatis.

CXXVI.

Iuſti VINDICII Severiani Telum defenſivum pro Vincentio *Ambriſetto*, A. 1670. Vindicius idem eſt, qui Ambriſettus, & ſub utroque latet D. Io. Wolfg. *Textor*, qui ſe defendit contra Io. Ioach. *Zentgrafii* Iteratam ſyncretiſmi detectionem & confutationem, pro defenſione Diſputationis Georg. Bartholdi *Schragmulleri*, ſub titulo Syncretiſmi non neminis detecti & enecti, ſubque præſidio D. Seb. *Schmidii* A. 1669. Argentorati habitæ, ſcriptam, & ibidem evulgatam. Nimirum in diſputatione illa refutatum ibant ſententiam *Textoris*, in libro de Vera & varia ratione Status Germaniæ modernæ c. 21. de revocandis ad concordiam III. religionibus in Imperio romano-germanico receptis expreſſam.

Alicuius *Auguſtanæ Confeſſioni addicti* ſuper Tractatu Adriani & Petri *de Walenburch* de Articulis fidei neceſſariis, eſſentialibus ſeu fundamentalibus Conſideratio generalis, & ſpecialis Wolfenbytelii 1666. Horum ſcriptorum auctor eſt Andreas OVERBECK, & prioris refutatio exſtat T. I. operum Walenburchiorum p. 618. Overbeckius autem in rubro Conſiderationis ſpecialis, quæ XVII. priora examinat capita, promittit Vindicias Conſiderationis generalis, a Walenburchiis iam impugnatæ.

Andr. *Overbeck*, Boenemia-hildeſienſis, philoſ. magiſter, ſereniſſimi Brunſvic. ac Luneburg. Ducis *Auguſti* a concionibus aulicis & conſiliis ſacris, poſtea abbas amelunxbornenſis, & ſuperintendens in dioeceſi weſerana generalis, emiſit Diſputationem de ſpontaneo & invito, aliquot Conciones, & Scriptum germanicum de controverſiis ſui temporis, obiitque Holzmindæ A. 1686. *Witte* Diar. biograph. Tomo II. S

Petri MVSAEI de fugiendo ſyncretiſmo liber I. Kilonii 1670. Agitur in eo de Syncretiſmi voce, ſignificatione, definitione, fundamento, ſubiecto & termino, principiis, mediis, fine, proprietate, fructibus, eiuſque & Syncretiſtarum damnatione; item diſtinctio-

ſtinctionibus neceſſariorum ad ſalutem, & errorum. Non autem ſponte, ſuoque concilio acceſſit auctor ad ſcribendum hunc librum, ſed iuſſus a ſereniſſimo ſuo Hero, quum doceret in academia kilonienſi, & invitus; nec tam diſputatorem aut refutatorem vult agere, quam narratorem & recenſitorem: immo, quamvis ex academia rinthelienſi in helmſtadienſem tranſiens, ea, quæ cum Reformatis tranſegerat Caſſellis, retractaverit, ut aiunt, vel declarationem ediderit; non potuit tamen ſive Declaratione iſta, ſive libro de fugiendo Syncretiſmo, omnem animi in heterodoxos iuſto æquioris ſuſpicionem (verba ſunt Io. *Molleri* Introduct. in Hiſtoriam cimbricam P. II. 199) a ſe amovere. Superſtitem ſubinde vellicarunt Mich. *Siricius*, Frid. *Rappoltus*, & alii ſuperioris Germaniæ theologi. Poſt exceſſum autem ipſius, librum de Syncretiſmo fugiendo cenſoria virgula notavit Ant. *Reiſerus*, theologus hamburgenſis, in peculiari, quam Conr. Tyburtii *Rangonis* Hæreticorum & Syncretiſtarum obici, ſeu ſcripto de Libro concordiæ vernaculo A. 1683. præfixit, Epiſtola, ac *de Syncretiſmo incruſtando* potius inſcribi debuiſſe pronunciavit. Hæc Molleri verba repetit *Crenius* Animadverſion. P. VII. 167. & inde occaſionem ſumit excurrendi in locum de retractationum paucitate, & candore in ſcriptis adhibendo. Quibus adde D. Albertum *Zum Felde*, in Analectis diſquiſitionum p. 219. qui, in cathedra ſucceſſor, librum Muſæi laudat, ut doctum nitideque ſcriptum, in quo tamen ſimul moderationem ſuam abunde teſtetur, prudentia duce ac comite, ut nihil in quemquam amari, nihil in fratres duri, nihil acerbi pronuntiaverit, ſed pacis ſtudio rem ipſam duxerit illuſtrandam.

Pag. 378. Vtrique (*Pontificii & Reformati*) de nobis perſuaſum habent, errare nos in fundamento fidei, ſi non ipſis verbis, tamen per conſequentiam.	*Neque omnes* Pontificii, *neque omnes* Reformati. *Boſſuet* Doctr. cathol. expoſit. c. 2. *Crenius* l. c. p. 171.

Petrus *Muſæus*, cuius proavo Simoni cognomen erat *Menſel*, Langenwieſa- ſive Longoprato- ſchwartzburgicus, Ioannis frater, *Stahlii*, *Dilherri* & G. *Calixti* diſcipulus, primum philoſophiæ, deinde & theologiæ in academia rinthelienſi profeſſor & doctor, anno 1663. in academiam Iuliam conceſſit, & poſt biennium in

in novam kilonienſem, ubi primus fuit prorector, primarius theologus, procancellarius perpetuus, & convictorii ducalis inſpector, vir multis animi ingeniique dotibus ornatus: fuit enim, ut χαριεστατ@ ac πολυμαθεστατ@ Io. Nic. *Pechlinus* in Programmate funebri apud *Wittium* in Memor. theologor. p. 1841. & 1845. eum deſcribit, theologus conſummatiſſimus & accuratiſſimus, philoſophus acutiſſimus, diſputator ſubtiliſſimus, orator diſertiſſimus, ac polyhiſtor ſcientiſſimus. Vide *Wittium* l. c. *Lexicon univ. hiſt.* P. III. 581. & *Mollerum* de Homonymis p. 797. atque Introduct. in Hiſt. cimbr. P. II. 198. E ſcriptis eius, quorum catalogus exhibetur a *Wittio* p. 1852. eminent Inſtitutiones metaphyſicæ, Introductio in theologiam, Tractatus de perſona Chriſti, Diſſert. contra Edoard. *Herbertum*, qua nova eius methodus de inveſtiganda veritate examinatur, Theſes theologicæ in univerſam theologiam, & Diſputat. de capite eccleſiæ, Pontificiis, & nominatim *Becano* oppoſita. Tandem vero, pluribus morbis, ut calculi, colicis, & podagricis defatigatus, nihilo tamen minus pridie ante letalem morbum (ut dicto ſuo, quo frequenter utebatur, *Profeſſorem oportere laborantem mori*, ſatis faceret) duas adhuc lectiones domi peragens, mundique depravati pertæſus, non miſerabili mortis genere abreptus eſt, ſed pie placideque, inter adſtantium preces, & ſolatiorum ſuggeſtiones, exſpiravit, ſanctamque Deo animam reddidit anno 1675. ætatis 55.

EIVSDEM de æterna beatitudine, damnatione, morte & reſurrectione Libellus. Kilonii 1675.

Melchioris ZEIDLERI Notæ & animadverſiones in Scrutatorem veritatis. Helmſtadii 1689. Opus poſt mortem auctoris editum, in quo veritas doctrinæ Eccleſiæ proteſtantium contra ſophiſticas technas auctoris illius (qui quidem onus probandi in nos vult devolvere, videlicet ut probemus, nos eſſe veram Chriſti eccleſiam, quique, ut in fronte legimus, Tubam pacis incentivam Matthæo *Pratorio* ſubminiſtraſſe creditur) egregie defenditur. Poſtea autem Scrutatorem iſtum compertum eſt ieſuitam eſſe Io. Fran. *Hackium*, Iod. *Keddii* Poſtulata leviter interpolata A. 1680. recoquentem; idemque oppoſitam *Schelgvigii* Detectionem veritatis, adſcito ſibi Lucæ *Marckievvicæii* nomine, virulento excepit ſcripto.

ſcripto, quod Trutinam vocavit, anno 1683. Ceterum in præſenti noſtro libro præmiſſa eſt vita *Zeidleri*, eiuſque operum catalogus, & III. ad eum datæ Epiſtolæ, nimirum Guern. *Rolſinckii*, Ioach. *Hildebrandi*, qui inter alia ita ſcribit: Garriant alii de Syncretiſmo, quicquid velint. Fraterna inter nos amicitia, ſit ſyncretiſmus noſter) & *Arſenii* metropolitæ Tiberiopolis, ac XII. Scrutatoris Poſtulata. Quæ quidem ſunt Iod. *Keddii*, interpolata a Ioan. Fran. *Hackio* ieſuita. Vide *Placcium* de Anon. 153. 171.

Melch. *Zeidler*, pruſſus, *Wichelmanni* & Lud. *Volbrechti*, præſtantiſſimorum ſcholæ moderatorum, diſcipulus, in philoſophia græca nec minus in theologia ſolidiſſime doctus, ac primum philoſophiæ, deinde S. theol. profeſſor & doctor in academia regiomontana, pariterque cathedralis eccleſiæ paſtor, & Conſiſtorii ſambienſis aſſeſſor, antiquitatis eccleſiaſticæ poſt Scripturam ſacram (quarum hanc Menſæ aureæ, illam vero aureo Candelabro comparabat) ſtudioſiſſimus, ad hæc devotus in orationibus & precibus, amore Dei & proximi flagrans, in officio ſolers, induſtrius, ſedulus, ſchiſmatis inter partes chriſtianas oſor, idque pro virili tollere laborans, perpetuis lucubrationibus tabem ſibi contraxit, cum multis aliis ſymptomatis coniunctam, ita ut umbræ videretur ſimilis eſſe, quæ tandem, pia & elegantiſſima anima Chriſto reddita, a morte facile ſuperari ac diſpelli potuit; idque factum anno 1686. quum inter mortales verſatus eſſet annos 56. Scripta eius bene multa ſunt, varia, & probe elaborata omnia, eorumque IIX. claſſes numerantur, videlicet 1. adverſus diſſidentes a religione lutherana, 2. circa diſſidia regiomontana. 3. circa agenda. 4. ſcholaſtica. 5. homiletica. 6. hermeneutica, ſive explicationes dictorum Scripturæ. 7. miſcellanea theologica. 8. miſcellanea philoſophica. Inter edita vero caput extollunt Diſputatio inauguralis de Succeſſione epiſcoporum, an ſit nota eccleſiæ? & alia de Peccato actuali infantum, Rhetorica eccleſiaſtica, de definitione hæretici Exercitationes VII. *Keddius* refutatus, *Lutherus* defenſus, & Refutatio Tubæ pacis. *Witte* Diar. biograph. Zzzz iij. & auctor *Programmatis* in funere Zeidleri poſiti. Neque reticendæ ſunt laudes, quas Zeidlerus noſter apud eruditos obtinuit: nam a *Ræſchelio* ne, an *Schurzfleiſchio*, in Bibliothecæ Schraderianæ Parte II. c 3. præfertur Nunneſio, ſi quis philoſophiam peri-

Digitized by Google

pateticam veterem voluerit cognoſcere; ab *Helvvichio* Præfat. in Manuduct. regiomontanorum theol. profeſſorum dicitur *Dreieri* veſtigiis inſiſtens, labore & diligentia ſua id conſecutus eſſe, ut præceptorem in cognitione philoſophiæ ſuperaret, in theologia feræ æquaret; & a D. Io. *Berent* vir appellatur eximia doctrina & pietate inter ætatis ſuæ theologos poſt Dn. *Dreierum* ſeniorem facile princeps.

EIVSDEM Tractatus de Polygamia, & Diſquiſitio de matrimonio cum ſorore uxoris defunctæ. Helmſtadii 1690. In illo docetur, polygamiam, qua unus vir ſimul habet plures uxores, non adverſari iuri naturæ, nec a Deo proprie in V.T. prohibitam, prohibitam tamen eſſe ſub novo teſtamento; in hac, matrimonium eiuſmodi nec eſſe contra ius naturæ, nec contra leges divinas poſitivas, nos abſolute obligantes, adeoque in eo, ob rationes prægnantes, diſpenſari poſſe. Et hic etiam reperitur p. 213. reſponſio ad III. quæſtionem: An in matrimonio, cum defunctæ uxoris ſorore contracto inter perſonas Principes, vinculoque amoris ita colligatas, ut ſine graviſſimo præſentiſſimoque periculo disiungi amplius nequeant, diſpenſationi locus ſit, nec ne? Quæ in *Colloquio* ſeu Actis oettingenſibus omiſſa eſt.

CXXVII.

Statii BVSCHERI Cryptopapiſmus novæ theologiæ helmſtadienſis. Non additur quidem locus & annus, neque etiam nomen typographi; novimus autem, cum Francofurti ad Mœnum diſſimulato auctoris nomine, famoſus hic libellus hoc titulo, *Abominatio deſolationis ſtans in loco ſancto, Greuel in der Iulius Univerſitat zu Helmſtedt, geſetzet an die hei'ige Stet der reinen euangeliſchen lehr*, typographum non inveniſſet, impreſſa eſſe Hamburgi apud Tobiam Gundermannum anno 1639. & quidem ſub ficto nomine Chriſtiani *Petri* 478. ſub vero autem Buſcheri, attamen ſine huius præſcitu & conſenſu, 900. exemplaria. Vide *Placcium* de pſeudonymis p. 495. Pietatem *Academia Iulia*, & ea, quæ præmiſſa ſunt *Helmſtadienſium* Apologiæ ſeu refutationi ſcripti Buſcheriani c. Interim favent huic libro *Dorſcheus*, *Hulſemannus* & alii apud Crenium Animadverſion. P. XIII. p. 198. & *Narrationum innoc.* auctores ad annum 1716. p. 991. Accuſat vero *Buſcherus* Helm-

Helmſtadienſes novitatum, & diſcrepantiarum, atque errorum adverſus Corpus doctrinæ Iulium, cui ſe iureiurando adſtrinxerint, ſpeciatim in doctrina de S. ſcriptura, 2. de peccato originis, 3. de iuſtificatione & bonis operibus, 4. de chriſtiana eccleſia. 5. de poteſtate & ſuperioritate Papæ romani. 6. de cœna Domini & ſacrificio miſſæ. Quibus addit alias, ut vocat, corruptelas.

Statius *Buſcherus*, paſtor hanoveranus ad S. Aegidii, huius libri cauſſa vocatus bis ad Conſiſtorium, non comparuit, ſed infirmitatem corporis ſimulans forum illud evitavit, cumque ſuis clam aufugit, ſcriptis ad Senatum hanoveranum litteris, paratum ſe eſſe ad agendum cauſſam ſuam coram iudice legitimo & incorrupto: quaſi Conſiſtorium illud principale non foret iuſtus, atque a Deo conſtitutus ipſius index, aut iam ſatis probatum, alteri illud parti favere, ac iuſtitiam violare. Quid? ne Iudicium hoc poſſet, vel per calumniam, iniquitatis ſuſpicionem incurrere, non tantum ex univerſo Senatu aulico pariter & eccleſiaſtico, ſed etiam ex Ordinum provincialium delectis, ipſoque adeo Hanoveræ urbis conſule primario & ſyndico, theologis item ex terris non nullis, optimus Dux *Georgius* illud formavit. Vbi autem, & quando obierit, non habeo dicere; neque etiam opus eſt: hoc poſſum dicere, eum paullo poſt captam fugam obiiſſe. Vide Pietatem *Academiæ Iuliæ* p. 3.

Chriſtiani DREIERI Grundliche Erœrterung, Solida deciſio aliquot difficilium quæſtionum theologicarum. Regiomonti 1651. Nimirum de Scriptura ſacra, Deo & S. Trinitate, Perſona Chriſti, Imagine Dei in homine, Peccato originis, Converſione hominis ad Deum, Iuſtificatione & bonis operibus, S. cœna, & Symbolo apoſtolico. Et huic ſcripto oppoſita eſt *Calovii* Harmonia Calixtino-hæretica, & Syncretiſmus calixtinus. In Dedicatione narrat Dreierus, quomodo per fidelem muneris ſui adminiſtrationem in invidiam, atque ex hac in calumnias & perſecutiones incidiſſet ideoque ſe ſe provocaſſe adverſarios ſuos (ſicut & G. *Calixtus* aliquando fecit verbis in dimidio folio, impreſſis) ad diſputationem publicam, omnique ad eam die paratum eſſe, illos autem pugnam declinaſſe. In Præfatione ait, non ſe ad defenſionem hanc deſcenſurum fuiſſe, niſi viri graves ſæpius id

monuiſſent, & ſereniſſimus iuſſiſſet Herus ſuus: optimos enim ac præſtantiſſimos viros, e.g. Baſilium, Gregorium nazianzenum, Hieronymum, iniuriarum, & calumniarum ſcopum fuiſſe: diſcrimen faciendum eſſe inter quæſtiones, neque diſſenſum ſuum vel ſe debere a religionis ſociis, vel illos ab ipſo ſeparare: eum, qui non habet ſpiritum caritatis & pacis, multo minus habere ſpiritum veritatis, quamvis per totum diem & ubique illam crepet: Tripolitanos in Africa fuiſſe ſchiſmaticos: D. *Mislentam* multos errores commiſiſſe in Manuali prutenico, & Behmio ineptiente: & iuxta veritatem, etiam pacem eccleſiaſticam ſectandam eſſe.

Pag. 40. *Neceſſe eſt* interdum adhibere terminum cauſſæ per accidens, ad exponendas duriores locutiones ſacrarum litterarum.

Scriptura adæquata norma eſt ſacræ ſapientiæ. Io. *Brunnemann.* Iuris eccleſ. l. 1. c. 6. p. 272.

Chriſtianus *Dreier*, Stetino-pomeranus, theol. D. & profeſ. in academia regiomontana primarius, concionator aulicus, & Conſiſtorii ſambienſis aſſeſſor, totius academiæ ſenior, vir foecundi ingenii, nec minus iudicii accurati, philoſophus ariſtotelicus inſignis, ac in lectione SS. Patrum egregie verſatus, paciſque & concordiæ eccleſiaſticæ ſtudioſiſſimus, edidit Sapientiam ſive philoſophiam primam, Vindicationem ſanctitatis Dei, variasque Diſputationes & Conciones, ac finem laborum utriusque cathedræ, in quibus per dimidium fere ſeculum docuerat, fecit anno 1688. ætatis. 78. *Witte* Diar. biograph. T. II. p. 155. *Helvvich* Præfat. in Manuduct. regiomont. theologor. Ioach. *Hildebrand*, a quo in epiſt. ad Zeidlerum appellatur ſæculi ornamentum, & *Berent* Regii Euangelicor. philadelphianiſmi p. 94. qui egregiis dotes ac merita eius extollit laudibus.

Guſtavi ab ERSKHEIN Relatio de paſquillis. Germanice. 1680. Paſquillus ſive famoſus ille libellus erant Scholia aliquot in Præfationem Frid. Vlr. *Calixti*, Refutationi Harmoniæ calovianæ præfixam, ſine auctoris, loci & typographi quidem nomine, anno 1679. quo & Calixti Refutatio prodiverat, ut poſtea patuit, Onoldi impreſſa, auctore D. Godofredo *Haendelio*, Plavia-variſco, Eccleſiarum in

Digitized by Google

in inferiori Principatu brandenburgico ſuperintendente generali, ſereniſſimi Principis onoldini a conſiliis eccleſiaſticis & concionibus aulicis primariis, & confeſſionibus ſacris, nec non ad S. *Gumberti* antiſtite. Et hæc ſcilicet cimelia, quod non duntaxat Calixtum iniuriis, conviciis & calumniis peterent, verum etiam *Calviniſtis qua talibus* (ſic enim Reformatos conviciabantur) maxime impias & ſumme blaſphemas tribuerent doctrinas, eosque e numero Chriſtianorum atque heredum regni cœleſtis eiectum irent, meruerunt, ut Berolini in foro publico, ſub patibulo, manu carnificis exurerentur, atque ad orcum, unde pervenerant, transmitterentur. Additur Appendix contra A. R. & mirum, ni ipſe F. V. *Calixtus* huius Appendicis & Relationis eſt auctor; immo auſim dicere, ipſiſſimum eſſe: ſtilus enim, commotio animi ex offenſione orta, & alia, prorſus eum ſapiunt, & alium neminem.

CXXIIX.

Chriſtiani & meritiſſimi doctoris Auguſtanæ confeſſionis Bedencken, ſive Iudicium de controverſiis inter Theologos electorales ſaxonicos & helmſtadienſes. 1662. Doctor ille erat Salomo GLASSIVS, tunc temporis ſuperintendens Saxo-gothanus, teſtibus *Placcio* de Scriptoribus anonymis p. 423. & Io. Iac. *Mullero* de Vnione myſtica 275: ſed qui moderate de iis iudicans, apud rigidiores parum gratiæ ſcripto hoc eſt promeritus. Interim ſcripſit, quod conſcientia ipſi dictabat, in nullius gratiam, iuſſu ſereniſſimi Heri ſui, qui de controverſiis iſtis, earumque momento informari cupiebat, atque id oneris *Glaſſio* ſuo impoſuerat. Neque etiam ipſe auctor ſcriptum hoc publicavit; ſed poſt eius obitum demum fuit editum, quum forte fortuna in M. Lucæ Frid. *Reinharti*, cum amico quodam, diſtributis inter ſe partibus, opus illud deſcribentis, atque iccirco inſomnem noctem ducentis, manus incidiſſet. Ex Iudicio autem hoc apparet, controverſias illas non fuiſſe capitales & fidem evertentes, ſed annatas, ac de talibus agentes rebus, in quibus ſalva fide licet diſſentire, atque in utramque partem diſputare. Vide iterum *Placcium* l. c. Et ſic etiam iudicavit D. *Rebhan*, ſuperintendens iſenacenſis, in litteris ad Ducem aliquem Saxoniæ, ut legimus in Io. Frid. *Felleri* Monumentis var. inedit. p. 370. & in *Narrationibus innoc.* A. 1716. 152. Ceterum de

Saxonicorum & Helmſtadienſium diſſidio legatur *Spenerus* in Conſiliis theologicis latinis P. III. 210. 220. 309. 366. 423. 540. 594. deque compoſitione & præcautione earundem illuſtris *Prüſchenck* apud prædictum Fellerum p. 625. 627. & *Spenerus* l. c. p. 538.

Pag. 15. Vbi maneret dictum Petri Act. 15, 11. Per gratiam domini noſtri Ieſu Chriſti credimus nos ſervatum iri, quemadmodum & *illos*; nempe *qui in V. T. ſalutem conſecuti ſunt?*	Nos, *qui ex Iudæis ſumus*, ſervatum iri, quemadmodum & illos, *qui ex gentibus ſunt*, nempe non per obſervationem legis cærimonialis, ſed fide in Chriſtum. Conr. *Horneius* in h. l. & *Gloſſa ordinaria.*
160. *Dogmata fidei* ſunt duplicis generis, alia thetica ſive affirmantia, alia *antithetica ſive negantia.*	Multa *id probatione indiget.*

Henrici Mart. ECCARDI Bedencken, Iudicium de Colloquio caſſellano anni 1661. Scopus auctoris eſt, evincere, quod per illud Colloquium neque auguſtanæ confeſſioni, neque unanimi Theologorum auguſtanorum conſenſui & doctrinæ ſit præiudicatum.

Henr. Mart. *Eccardus*, S. theol. D. & profeſſor in academia rinthelienſi, poſtque ea in Epiſcopatus hildeſienſis Conſiſtorio Auguſtanæ confeſſionis aſſeſſor, & paſtor alfeldenſis primarius, vicinarumque eccleſiarum ſuperintendens, edidit etiam Refutationem vanarum obiectionum falſarumque accuſationum, quas P. Pet. *Wittfeld* S. I. pro defendendis IX. Motivis Reckianis Tractatui theologico rintelienſi oppoſuit, ac denatus eſt Alfeldiæ A. 1669. ætatis 54.

Chriſtiani CHEMNITII Grund des Glaubens und der Seligkeit, Fundamentum fidei & ſalutis, ſive Oſtenſio & reſponſio ad H. M. *Eccardi* Iudicium. Ienæ 1664. Qua auctori animus eſt oſtendere, Calvinianorum doctrinam iuxta illud non poſſe conſiſtere, nec religionis ſyncretiſmum, illæſa veritate divina, cum illis poſſe iniri: nam Chriſtum ab ipſis non ita doceri, ut ab Apoſtolis. Atque hæc Refutatio mandato ſereniſſimi Ducis

cis Saxoniæ, Friderici Wilhelmi, iniuncta atque impoſita fuit au-ctori, ſicut ipſe refert in Dedicatione, obſcurius autem poſuit in rubro.

Chriſtianus *Chemnitius*, Kœnigsfelda-miſnicus, *Dilherri*, *Stahlii*, Io. *Gerhardi*, *Himmelii* & *Glaſſii*, diſcipulus, ſcholæ ienenſis primum rector, deinde diaconus vinarienſis, porro coadiutor Io. Maioris theologi ienenſis, ſimul &, impetratis honoribus doctoralibus profeſſor theologiæ, & poſt biennium paſtor illius eccleſiæ primarius, ac vicinarum ſuperintendens, magna fide, dexteritate & diligentia ſpartas ſuas ſuſtinens, multiſque ſcriptis nominis celebritatem conſecutus, atque ideo ab aliis Principibus & Civitatibus, quamquam fruſtra, ſolicitatus, ex hypochondriaci affectus ſymptomatis in hydropem aſcitem, atque ſic in manus mortis incidit A. 1666. ætatis 51. *Witte* in Memoriis theologor. p. 1553. qui etiam ſcripta eius enumerat, inter quæ ſunt Oratio in memoriam Io. *Kromayeri*, paſtoris & ſuperindentis generalis vinarienſis, Veritas religionis lutheranæ defenſa, & duo alia germanica ſcripta contra Io. *Schefflerum*, Defenſio Io. *Gerhardi* contra Io. *Vorſtium*, Prælectiones in Locos theologicos *Huttero-Cundiſianos*, Notæ in Conr. *Dieterici* Inſtitutiones catecheticas, & Diſputationes de vera & reali præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in S. cœna adverſus *Wendelinum*, & de tentationibus ſpiritualibus. Apud *Crenium* in Præfat. in Faſcem II. Exercitationum philologico-hiſtoricarum p. 27. hac ornatur laude, quod appellatur vir, ut indefeſſi laboris & ſtudii, ita etiam ſane doctiſſimus, &, quod caput erat, pietate nulli loci illius ſecundi.

Iac. TENZELII Kurzer bericht, Brevis oſtenſio de pace Lutheranorum eccleſiaſtica cum erroribus calvinianis, eorumque propugnatoribus. Wittebergæ 1665. Cum adprobatione Facultatis theologicæ wittebergenſis. Etiam hoc ſcriptum *Eccardi* Iudicio eſt oppoſitum: idque auctor hortatu eximiorum virorum ait ſe compoſuiſſe; Eccardum autem accuſat fundamenta ſua hauſiſſe ex Calvinianorum ſcriptis irenicis, aliorumque ſyncretiſticis.

Iac. *Tenzelius*, natus Greuſſenæ in Thuringia, bonam indolem & ſtupendam memoriam adeptus, philoſophiæ magiſter & adiunctus Facultati philoſoph. wittebergenſi, primum ad διακονίαν greuſ-

greuſſenſem, deinde ad adſeſſum Conſiſtorii ebelebienſis, inde ad inſpectionem eccleſiaſticam, porro ad paſtoratum urbis greuſſenſis, denique ad primarii antiſtitis ephorique arnſtadienſis munus accitus, & doctoris theologi honoribus exornatus, ſcripſit etiam Apologiam Oſtenſionis ſuæ contra eundem *Eccardum*, Fundamentalem defenſionem, contra Licentiatum Andr. *Frommium*, Agenda ſchwartzburgica, variasque Diſputationes, & continuis officii laboribus fractus in vitæ diſcrimen incidit anno 1683, & quamvis proſtratæ corporis vires redire inciperent, nunquam tamen in integrum fuit reſtitutus, quin letalis eum morbus invaſit, atque ex mortalium conſortio abripuit anno 1685. cum annos vixiſſet fere 55. *Pipping* Memor. theologor. p. 63.

Abr. CALOVII Iudicium de D. Chriſtiani *Dreieri* Oratione de ſyncretiſmo, eiusque Concione de una, viſibili & afflicta eccleſia Chriſti. Wittebergæ 1663. Germanice. Cum Leon. *Hutteri* & Bartholdi *de Krakevviz* Iudicio hac de quæſtione: An theologus ſit πολυπραγμων, ſi vel ore, vel ſcripto iudicium ſuum de falſis proferat prophetis, idque cum exteris communicet? Et hoc negant.

Bartholdus *de Krakevviz*, nobilis rugianus, S. theol. D. & profeſſor ac paſtor gryphiswaldenſis, ſuperintendens in anteriori Pomerania & Principatu rugienſi generalis, & Conſiſtorii eccleſiaſtici præſes, tanta præditus fuit memoria, ut quotannis, ſolemni paraſceves die, paſſionem domini noſtri Ieſu Chriſti per IV. horas cœtui eccleſiaſtico exponeret, cetera multis inclaruit ſcriptis, atque in primis Tractatione de coniugio contra *Bellarminum*, Illecebris *ſacramentariis*, Conſultatione theologica, (qua Principibus & Magiſtratibus lutheranis miniſterium conſiliariorum calvinianorum diſſuadetur) & Commentario in Hoſeam & Ionam, vitæque & bellorum finem fecit A. 1642. ætatis 61. *Witte* Memor. theolog. 303. *Micræl.* Syntagm. hiſtor. eccleſ. 762.

Ioach. HILDEBRAND de Variis apoſtolis & apoſtolicis traditionibus primitivæ eccleſiæ, contra Caſp. *Sevenſtern*. Cellis 1671. Oſtenditur 1. varia acceptio vocabuli *Apoſtoli*. 2. quod modis Patres quid vocarint *apoſtolicum*, reſpectu verorum XII. Apoſtolorum.

3. quot

3. quot modis antiqui *apoſtolicum* quid appellarint, reſpectu eccleſiæ chriſtianæ & apoſtolicæ. 4. Antiquitus id etiam dictum fuiſſe *apoſtolicum*, quod ſub nomine Apoſtolorum venditabatur. 5. SS. Patribus etiam id eſſe *apoſtolicum*, cujus anſam & occaſionem ſumſere ex ſcriptis Apoſtolorum; nec immerito tale quid cenſeri poſſe apoſtolicum. 6. S. *Auguſtinum* Apoſtolis adſcribere inſtitutionem feſtorum dierum principalium, qui tamen ab illis non habeant originem. 7. Patres multis in rebus, quæ debeant eſſe apoſtolicæ, ſibimet invicem contradixiſſe. 8. Eoſdem multa abrogaſſe, quæ Apoſtoli in ſcriptis ſuis ordinaverint. 9. Statim poſt Apoſtolorum deceſſum quædam conficta, & Apoſtolis attributa fuiſſe, quæ tamen nunc pro manifeſte falſis agnoſcantur. Equidem hæc non eſt formalis & ipſa refutatio Sevenſternii, ſed aſſertio & confirmatio theſeos Hildebrandinæ de hoc, quod SS. Patres id etiam vocarint *apoſtolicum*, ad quod aliquam, & ſæpe parvam ex Apoſtolorum libris occaſionem habuerint: quam ille in Continuatione colloquii ſui contra Timotheum *Friedliebium* oppugnaverat, atque Hildebrandum acerbe & immodeſte traduxerat.

Ioach. *Hildebrand*, natus in cœnobio walckenriethano, *Dilherri* & *Stahlii* atque *ienenſium* illius temporis *theologorum* diſcipulus, theologiæ doctor & profeſſor helmſtadienſis, ac tandem ſuperintendens eccleſiarum cellenſis Ducatus generaliſſimus, variis ſcriptis, iisque potiſſimum ad hiſtoriam & antiquitates eccleſiaſticas pertinentibus celebris, vegeta quidem ſanitate per multos annos uſus eſt; ſed per ſequentes lucubrationes & graviſſimas defatigationes decreverunt tandem corporis & animi vires, ita ut præcordiorum anguſtiis & frequentiſſimis obſtructionibus infeſtaretur, donec tandem hemiplexia acceſſit, quæ fatalem ei horam acceleravit, idque anno Chriſti 1691 poſteaquam hic in terris degerat 68. fere annos. E ſcriptis eius eminent Theologia dogmatica, Oratio de fundatione academiæ Iuliæ, Enchiridion de priſcæ eccleſiæ ſacris publicis, templis, & diebus feſtis, de Precibus veterum Chriſtianorum, Ars bene moriendi, de Nuptiis & natalitiis veterum, & Offertorium pro defunctis. *Pipping* Memor. theologor. p. 398. Cui adde *Fechtium* diſp. de præcipuis oratoris eccleſiaſtici virtutib. p. 16. & *Grabium* in Teſtimoniis & iudiciis de Vr-

Digitized by Google

bano Regio p. 40. quorum ille eum vocat doctiſſimum, cui multum antiqui eccleſiæ ritus debeant; hic, antiquitatis eccleſiaſticæ ſcrutatorem ſolertiſſimum.

CXXIX.

Caſp. Eraſmi BROCHMANDI Vniverſæ theologiæ Syſtema. Hafniæ 1633. II. volumina. Prodiit etiam Lipſiæ 1638. Francofurti 1658. & 1696. Vlmæ 1664. ſed omnibus hiſce editionibus noſtra eo, quod ab ipſomet correcta auctore, præferenda eſt. Ita autem omnes & ſinguli religionis chriſtianæ articuli pertractantur, ut 1. vera ſententia afferatur, & aſſeratur. 2. controverſiæ priſcæ ac recentes expediantur. 3. præcipui conſcientiæ caſus e verbo divino decidantur. Et ne ex novis inventis laudem videretur captare, ſecutus eſt auctor præſtantiſſimos Confeſſionis auguſtanæ theologos, *Lutherum*, *Chemnitium*, *Hunnium*, *Menzerum*, *Gerhardum*, *Hutterum*, *Balduinum*, *Meiſnerum*, Nicol. *Hunnium*, Paul. *Tarnovium*, *Quiſtorpium*, *Cluverum*, & Chriſtianum *Matthiæ*. Contraxerunt hoc Syſtema cum auctor ipſe in Epitome, tum Phil. Henr. *Friedliebius* in Medulla theologica, & Ianus *Bircherodius* in Synopſi LL. theolog.

Tomo I. pag. 307. Adamum cognitiſſimam habuiſſe omnium animalium propriæque coniugis naturam, *verbis planis tradit Scriptura*, Gen. 2, 19.

Secundum verſiones; ſed *an in textu primigenio*, dubitant eruditi. *Abarbanel* & *Sal. Iarchi* apud Hardtium Epiſt. ad Noltenium p. 30. *Luther*, *Chytræus*, *Selneccer*, Polyc. *Lyſerus* L. *Oſiander*, *Brentius*, Io. *Olearius* in Comment. *Hunnius* T. III. 1450. Iacob. Frider. *Reimmann* Tentam. Introduct. in Hiſtor. literar. antediluvian. 52. Io. Philip. *Heinius* (in Tomo II. Conlect. libror. rarior. 30. & in Præf. in Faſc. II. huius Tomi) *Heideggeri* Comp. theolog. 230.

Digitized by Google

Tomo II. L. de Pœnitent. p. 334. Pontificii volunt, Contritionem, Confeſſionem & Satisfactionem eſſe partes pœnitentiæ *eſſentiales*,	*Integrantes*, ſeu tres actus, ad integram & perfectam peccatorum remiſſionem peccatorum requiſitos, ut *Concilium tridentinum* loquitur Seſſ. XIV. can. IV. de Pœnit. p. 163.
L. de Bonis operib. p. 586. *Periculoſum eſt dicere*, Bona opera ad ſalutem ſunt neceſſaria.	*Aiens ſententia*, Scripturam S. omnia continere, quæ ad ſalutem creditu & factu ſunt neceſſaria, *veriſſima eſt*. Ita ipſe auctor noſter Tomo I. 48.
Pag. 596. Maioriſtæ docuerunt, opera bona eſſe *ad ſalutem efficiendam* plane neceſſaria.	E verbis Georg. Maioris, quæ auctor attulit p. 591. id non patet, quippe qui facit bona opera *cauſam ſine qua non* ſalutis, non autem cauſam proprie efficientem. Conr. *Horneius* Repetit. doctr. de neceſſitate bonorum operum, p. 187.

Caſp. *Brochmand*, Eraſmi filius, natus Coagii apud Danos, tantos iuvenis græca in lingua fecit profectus, ut Io. *Alanus*, profeſſor in academia hafnienſi, eum in laborum ſocietatem aſſumeret. Sed Brochmandus maluit ſtudiorum gratia Lugdunum Batavorum ſe conferre, & philoſophiæ ac theologiæ perfectius diſcendæ operam dare, quam immatura defungi informatione. Redux autem in patriam non academicis tantum, verum eccleſiaſticis etiam ornatus eſt honoribus, ita ut, quamvis invitus, epiſcopali in Seelandia dignitate condecoraretur: in qua ita ſe geſſit, ut vere eſſet illuſtriſſimum gregi exemplum. Atque in primis hoc laudem meretur, quod reditus epiſcopales pauperum atque egenorum neceſſitatibus ſublevandis conſecraverit, & bonæ indolis ſtudioſorum inopiæ ſubſidiis ac beneficiis occurrerit. Scripſit Commentarium in epiſtolam Iacobi, Λυχνον λογȣ προφητικȣ oppoſitum Speculo veritatis chriſtianæ, *Wilhelmi* March. brandenburgici, qui ad ſacra eccleſiæ rom. tranſierat, auſpiciis publicato, & Apologiæ Speculi veritatis Confutationem, Exercitationes V. de Scripto-

Digitized by Google

Scriptoribus eccleſiaſticis, Controverſias ſacras, & alia, tandemque doloribus calculi, languore ſtomachi, & ἀτροφία attritus, placidæ morti ſuccubuit A. 1652. ætatis 67. *Spizelius* Templ. honor. reſer. 189. Alb. *Bartholinus* de Scriptis Danorum p. 21. & Io. *Moller* in Hypomnem. p. 177. Atque hic vir ultimus, non tamen ultimus inter eruditos, opere nos ſublevat colligendi encomia Brochmandi, quippe quæ plena ſatura exhibet p. 179. ſilentio tamen præteriens ea, quæ *Seberzerus* in eo putavit animadvertenda. Quibus hoc duntaxat addo, Io. *Saubertum* patrem in Epiſt. dedicat. Epitomes Examinis Philippi, laudare Syſtema noſtrum, ut elaboratiſſimum.

CXXX.

Iulii Conradi OTTONIS Gali Razia, ſeu Occultorum detectio, h. e. monſtratio dogmatum, quæ omnes Rabbini recte ſentientes, ante & poſt Chriſti nativitatem, de unitate eſſentiæ divinæ, Trinitate perſonarum, ac Meſſia poſteritati reliquerunt. Noribergæ 1605. & Stetini 1613. Addita eſt Conſignatio nominum Rabbinorum qui ſcriptis claruerunt, cum annotatione temporum, quibus vixere, & quid in Talmud, vel etiam extra illud quid ſcripſerunt: quæ tamen, ut liber totus, inſulſiſſima eſt.

Iul. Conr. *Otto*, iudæus, aſſumtione baptiſmi chriſtianum præ ſe tulit, atque ut tali profeſſio hebrææ linguæ in academia altorfina concredita fuit; ſed poſt triennium eam deſeruit atque aufugit, conſcius nempe ſibi mendaciorum & fraudum in Gali Razia nequiter commiſſarum: quem librum non alium in finem videtur ſcripſiſſe, quam ut chriſtianam religionem Iudæis redderet contemtiſſimam. Cave igitur, ne mendaciis eius fidem præbeas. Si vero intimius hoc monſtrum hominis noſſe cupis, lege *Wagenſeilium* in Sota, qui p. 704. ſic eum deſcribit: *Otto*, pſeudoiudæus, pſeudorabbinus, & pſeudochriſtianus; atque ſic *verus fur, trifur, trifurcifer*. Vide etiam eundem in Telis igneis Satanæ p. 196. *Kœnigium* 595. *Placcium* de Anonymis, 677. *Mayerum* Biblioth. bibl. 23. & *Omeiſium* in Gloria academiæ Altorf. 12. 152.

Andreæ KESLERI Logicæ photinianæ Examen, ſeu principiorum logicorum, quæ in Photinianorum ſcriptis occurrunt, conſideratio. Witteberg. 1624. Cui præmiſſus eſt Tractatus de illegi-

illegitimo Photinianorum diſputandi modo, & legitima ratione pie philoſophandi. Hic liber refutatus eſt a Fran. *Iunio*.

Pag. 152. Ille reſpondendi modus, quo reſpondens ex ſua theſi diſtinguit, (e. g. ſi theſis duo attributa continet, opponens vero non niſi alterum ſubiecto ineſſe pertendit; huic autem reſpondens reponit, diſtinguendum eſſe inter duo illa attributa) & *rationi conveniens* eſt, & in dicto caſu *neceſſarius*, & in foro diſputatorio *uſitatus*.

Priora duo negantur, tertium admittitur, non quod probandum ſit, ſed quia per abuſum ſic introductum eſt. Daniel. *Zuvicker* in Appendice Speciminum inſel. pugnæ D. Abr. *Calovii* contra Crellii librum de uno Deo Patre p. 20.

Andr. *Keſlerus*, Coburgo-francus, humili loco natus, *Heideri*, *Stahlii*, *Reudenii*, *Graueri* & Ioannes *Gerhardi* diſcipulus, primumque profeſſor in gymnaſio patrio, deinde paſtor eiſfeldenſis, poſt amiſſa omni ſupellectile libraria ac litteraria ſuinfurtenſis, ac tandem ſuperintendens coburgenſis, philoſophus atque theologus inſignis, pariterque prudens, quem *Spizelius* in Templo honor. reſer. p. 155. ſacrati ordinis aureum florem, ocellum noſtræ eccleſiæ, ſeculique illuſtre ſidus appellat, A. 1642. e cathedra exceſſurus apoplexia correptus eſt; & quamvis corpore proſtrato ſanitas menti conſervaretur, malum tamen ex imo erui fundamento non potuit: æger iccirco aſſiduis precibus cœleſtiumque rerum meditationibus ad iter mortis ſe præparavit, eoque emenſo ad beatas ſedes pervenit, poſtquam annos 48. in hoc orbe exegiſſet. *Spizelius* l. c. *Witte* Memor. theol. 557. Nec pauca raræ doctrinæ reliquit monumenta, videlicet philoſophica, theologica, moralia: & inter illa quidem Examen Phyſicæ & Metaphyſicæ photinianæ, Tractatum de conſequentia, & Faſciculum ſelectarum diſpp. philoſophicarum, quas publice Wittebergæ habuit; inter iſta Methodum convertendi hæreticos, Reſponſionem ad Bellum ubiquiſticum *Fereri*, & Defenſionem Pupillæ euangelicæ contra eundem, item Bellum religioſum tam Petri & Papæ, quam Chriſti & Papæ, & Liberam vallem lutheranam contra Sim. *Schreinerum*; inter hæc

Digitized by Google

Caſus conſcientiæ, nec non Prudentiam, Patientiam, Pœnitentiam, & Cautelam chriſtianam. Atque ad commendationem Caſuum conſcientiæ, ab ipſo conſcriptorum, facit elogium D. Io. *Fechtii*, laudantis eum in Diſp. de præcipuis oratoris eccleſiaſtici virtutibus p. 32. ut virum magno pollentem in practicis iudicio.

Pauli SLEVOGTII Pervigilium de diſſidio theologi & philoſophi in utriuſque principiis fundato. Ganſanii 1623. Vbi duo pariter evolvuntur: 1. Sartis tectis perquam multis philoſophiæ principiis, ut hodie in noſtris docentur ſcholis, Pontificios, pro quibus ea faciunt, refutari non poſſe. 2. Cum veritas, pleriſque opinantibus, una ſit ac ſimplex, inter theologum autem & philoſophum nunquam non detur, neceſſario, ipſorum ſaltem iudicio, vel non haberi veram theologiam, vel non veram philoſophiam. Notari autem vult auctor in Peroratione p. 85. ſe non de philoſophia ſimpliciter loqui, ſed de ea, quæ hodie datur. Vbi & hoc addit, tutiores nos ab hoſte futuros, philoſophico agmine non ſtipatos; puriores a tenebris, philoſophico lumine non illuſtratos; firmiores a lapſu, philoſophico pedamento non ſuffultos. Et hoc voluiſſe *Lutherum*, quando puram theologiæ faciem coluit; eodemque collineaſſe theologorum ſeniores, qui philoſophicos arietes abegerunt, dicendo: *Eſt argumentum philoſophicum*. tandemque concludit: Horum exemplo ſic nos debere θεολογειν ſeu de divinis diſſerere, ut magis ſimus pii, quam ſubtiles, magis theoſophi, quam philoſophi. Neque vero ipſe auctor hoc edidit ſcriptum, ſed is, cum quo illud communicaverat, & in cuius gratiam compoſuerat.

Paulus *Slevogt*, natus Poſſendorfii, non procul a Vinaria diſſito pago, non minus philoſophiæ, quam linguarum orientalium & aliarum liberalium artium excellentem cognitionem conſecutus, atque ideo dignus habitus eſt, cui in academia ienenſi profeſſio linguæ hebrææ, ac poſtea logicæ primæque philoſophiæ imponeretur. Et ſicut utramque ſumma fide atque induſtria obiit, ita etiam ad theologicam cathedram vocatus fuiſſet, ni ipſe hanc ſpartam pro inſigni modeſtia ſua declinaſſet, ſatis ſe beatum reputans, ſi linguarum & ſobriæ philoſophiæ doctrina viam auditoribus ſuis ad altiorem ſterneret diſciplinam. Ceterum eas habe-

habebat dotes, quæ plurimum ad amicitias conciliandas faciunt, bonam mentem, pectus candidum, vultum gravem ſuavitate temperatum, ſermonem gratum, mores compoſitos. Dum autem bene meretur de ſtudioſa iuventute, reque litteraria & philoſophica, dumque academica ſua meletemata, quæ filius eius anno 1656. edidit, ſub limam revocare incipit, poſt diutinos dolores iſchiadicos inſultu apoplectico correptus, fortiusque poſtea ab eodem oppugnatus, cedere, & vitæ, curisque & ſtudiis colophonem imponere coactus eſt anno 1655. ætatis 55. *Spizelius* Templo hon. reſer. 373. *Witte* Memor. Philoſophor. P. II. 244. & *Magirus* 356. Cui adiungi poteſt Frid. Vlr. *Calixtus*, qui Demonſtrat. liquidiſſimæ p. 62. *Slevogtium* noſtrum vocat virum eruditione ſumma, & academiæ ienenſis profeſſorem celeberrimum.

Andr. KESLERI Quadriga diſcurſuum theologico-philoſophicorum. Witteбergæ 1624. Diſcurſus hi ſcripti ſunt pro defendenda philoſophi ac theologi concordia in utriuſque principiis, contra apparens eorum diſſidium, atque adeo contra præcedens *Slevogtii* Pervigilium, circa IV. quæſtiones: 1. An immortalitas hominis in ſtatu integritatis fuerit naturalis, vel ſupernaturalis? 2. an fides, relate conſiderata, ſit cauſa inſtrumentalis? 3. an aliquis de ſua ſalute certus eſſe poſſit? 4. an Deus ſit cauſa peccati per accidens? Diſputat autem *Keslerus*, tunc temporis profeſſor in Gymnaſio caſimiriano, modeſte & veritatis eruendæ cauſa, agnoſcens & laudans Slevogtium, ut virum doctiſſimum, cuius ingenium in theologicis pariter ac philoſophicis verſatum vel illud ipſum eius ſcriptum arguat, atque in fine oſtendit, ipſum *Lutherum* theologiæ ſtudioſis commendaſſe philoſophicas diſciplinas, earumque principiis contra adverſarios uſum, & theologum, peritum, ſufficientique ſcientia inſtructum non quidem ſimpliciter, in cœtu plebeiorum, & antagoniſtæ pertinaci, ex abundanti tamen, coram cœtu literatorum, & in auditorio publico, antagoniſtæ moderato & veritatis amanti, ad argumentum philoſophicum teneri reſpondere, neque illud, *Præſtare pium eſſe, quam ſubtilem*, ita accipiendum, ut philoſophicum acumen & officium diſputandi a theologo removeatur: theologum enim conſiderandum, non tantum, ut chriſtianum & eccleſiæ membrum, ſed etiam ut doctorem & eccleſiæ mili-

militem; nec tantum in munere erga eccleſiæ membra exercendo, verum etiam ſub officio adverſus contradicentes: præſentemque quæſtionem non eſſe de vita, ſed de fide; adeoque de inſtituenda cum adverſariis velitatione: cuius occaſio ſi detur, theologum peritum ac *πεπαιδευμένον* non poſſe, nec debere ſe ſubducere.

EIVSDEM Faſciculus philoſophicus exercitationum ſelectiorum. Wittebergæ 1623. Exercitationes iſtæ, numero VIII. conſcriptæ, atque ad diſputandum ab auctore ſunt propoſitæ, cum Facultatis philoſophicæ eſſet adiunctus, aguntque 1. de certitudine. 2. de magnanimitate. 3. de imagine. 4. de mundo. 5. de vita & morte hominis. 6. de norma. 7. & 8. de modo: atque in prima & ſexta diſputat contra *Bellarminum*, ut in ſecunda adverſus ea, quæ ex *Ariſtotelica* doctrina chriſtianiſmum videntur impugnare.

Theodori THVMMII, Impietas Wigeliana. Tubingæ 1622. Eſt, ut auctor in rubro exprimit, neceſſaria admonitio de 120. erroribus novorum prophetarum cœleſtium, quos a Valentino *Wigelio* appellant Wigelianos, in qua e Scriptura S. demonſtratur, hypocritas iſtos & religionis chriſtianæ principia, & ipſam fidem, & tres vitæ humanæ hierarchicos Status palam evertere, obtrudere autem doctrinam, e qua nec ſincere promoveri gloria Dei, nec plantari pietas, nec ullum afflictis conſcientiis accedere ſolidum ſolatium poſſit unquam. Atque illos errores ait hærere in doctrina Wigelii de SS. Trinitate, Deo Patre, Filio, Incarnatione, Carne Chriſti, Maria, Spiritu ſancto, Creatione, Statu inſtituto, & deſtituto, Libero arbitrio, Statu reſtituto, Pœnitentia, Confeſſione & Abſolutione privata, Sacramentis, Baptiſmo, S. cœna, Eccleſia, Extremo iudicio & Statu futuræ gloriæ, Scholis & univerſitatibus, Miniſterio, Magiſtratu, Coniugio, & Aureo Spiritus ſancti ſæculo. De quibus tamen etiam conſulendus eſt G. *Arnoldus* Hiſt. eccleſ. & hæret. T. II. 618. 638. Mirandum vero, M. Valent. *Weigelium*, qui non eſt confundendus cum Valent. *Vigelio* mansfeldienſi, frequenter ac fere ſemper, niſi quod p. 1. verum nomen exprimitur, Wigelium vocari.

Theo-

Theodorus *Thummius*, natus in pago agri wurtenbergici, Hauſen dicto, miram Dei providentiam in pueritia expertus eſt: nam prope vehiculum onuſtum præteriens delapſo nihil nocuit, quod rota ſuper ipſius cranio decurrerit. Liberatus a pulvere ſcholaſtico, cui non neminis invidia ac malevolentia eum mancipatum ibat, primum diaconatus munere functus eſt in eccleſia ſtutgardiana, eo quidem tempore, quo peſtis ſæviebat, ita ut bono viro ſtandum eſſet coram Domino inter vivos, & morientes, ac mortuos. Deinde promotus fuit ad paſtoratum kirchemienſem, eodemque anno revocatus Stutgardiam, ut parochiæ hoſpitalis & vicinarum inſpectioni eccleſiarum præeſſet; poſt quadriennium autem impoſitum ei fuit munus profeſſionis theologicæ & paſtoratus in urbe tubingenſi, quorum utrumque, doctoris honoribus condecoratus, ita adminiſtravit, ut nemo maiorem fidem, zelum atque induſtriam potuerit deſiderare. Excellebat in utraque cathedra, donumque habebat profundiſſima myſteria ſingulari verborum perſpicuitate explanandi. Ceterum erat humanus, miſericors, liberalis erga pauperes, & vel hoc uno peccabat, quod importunis vigiliis & lucubrationibus *ἀυπνίας* ſive inſomniam, & inde hydropem ſibi contraxiſſet: qua factum, ut præmature ei ex hac vita abeundum eſſet, videlicet anno Chriſti 1630. quum nondum expleviſſet annum ætatis 44. Multa ſcripſit, & acriter diſputavit contra Pontificios, Reformatos, Flacianos, Anabaptiſtas, Schwenckfeldianos, Enthuſiaſtas & Photinianos. Hinc ab eo habemus Μιξανθρωπίαν *calviniſticam*, *Scultetum* iconoclaſtem, Idololatriam *Lechnerianam*, Apologiam contra iniuſtas criminationes Laur. *Foreri* & Caſp. *Lechneri*, item Tractatus de bello, de bonis eccleſiæ, de hæreticis non occidendis, ſed coërcendis, de uſura licita & illicita, deque iuramentis & Ieſuitarum æquivocationibus, Amicam admonitionem ſuper quæſtione de IV. inter Auguſt. confeſſionis theologos controverſis capitibus de præſentia Chriſti θεανθρώπου ad creaturas, Repetitionem doctrinæ de exinanitione Chriſti, & Annotationes exegeticas in N. Ttum. *Witte* Memor. theologor. p. 968. & *Micraelius* Syntagm. hiſt. eccl. p. 786.

CXXXI.

Io. HVLSEMANNI Vindiciæ S. ſcripturæ per loca claſ-

ſica Syſtematis theologici, Prælectiones in Formulam concordiæ, Patrologia, Annotationes ad Breviarium theologicum, Animadverſ. in *Bellarminum* de Verbo Dei, & Diſſertatio de neceſſitate coniunctionis Euangelicorum cum Papatu romano. Omnia iunctim edita a Io. Ad. *Scherzero*. Lipſiæ 1678. Atque hic etiam præfatus eſt, ita, ut auctorem ab heterodoxia liberare nitatur, quæ aliis videbatur commiſſa in ſequentibus ſententiis, 1. effectum renovationis formalem eſſe bonos motus, ſive bona opera. 2. Dei eſſentiam non eſſe individuam. 3. Deum non poſſe contradictoria, materialiter talia. Negat etiam, ſtilum eſſe obſcurum, niſi illis, qui terminos ignorent ſcholaſticos. Notandum vero, 1) Polyhiſtorem illum, cuius mentionem Scherzerus facit in Præfat. c 2, quique Hulſemannum carpſit, eſſe *Reineſium*, eiusque verba legi in Epp. ad Io. Vorſtium p. 24. 2) Patrologiam eſſe catalogum Doctorum, qui Patres vocantur, a ſæculo I. uſque ad Bernhardum, qui vixit ſæculo XIII. 3) Animadverſiones in Bellarmini Tomum I. prout hic exhibentur, carere Præfatione: id quod etiam notavit *Crenius* Animadverſ. philol. P. I. 2.

In Vindiciis pag. 191. *Ex noſtris* Mollerus.	Henr. ille Mollerus erat unus *ex Cryptocalviniſtis*, uti vocabant. *Moller* Iſag. ad Hiſt. cherſon. cimbr. 101.
In Patrologia p. 985. Apollinaris, laodicæus epiſcopus, *integro ſeculo* iunior eſt Apollinario, epiſcopo hierapolitano.	*Duobus ſeculis*, *Idem* de Homon. 418.
Pag. 1006. Rivetus l. 2. Crit. S. c. 16. *ad annum Chriſti 166.* (ſcil. refert Gregorium thaumaturgum)	Verba illa *non leguntur* apud Rivetum. Habeo autem editionem lipſienſem A. 1690. 8.
1014. Euſebii Præparationis euangelicæ *libri* XIII. hodie ſuperſunt.	*Libri* XV.
1025. & 1090 Fatetur Vigilius *Tridentinus* l. 1. contra Eutychem.	Vigilius *Africanus*. Io. *Moller* de Homon. 638.

Sunt,

Digitized by Google

Pag. 1036. Catecheſes illuminatorum & myſtagogicæ, *non ſunt Cyrilli hieroſolymitani.* | *Sunt*, ex ſententia Guil. *Cavii* P. I. 115. & I. A. *Fabricii* Biblioth. gr. vol. VII. 544. & ſeq.

1091. Bellarminus in Catal. ſcriptor. eccleſiaſt. *Remigio Antiſiodorenſi* ad A. C. 890. tribuit Explanationes in Epiſtolas Pauli, quas lib. 2. de Euchar. c. 31. Remigio Rhemenſi ad A. C. 500. adſcripſerat. | In Remigio antiſſiodorenſi *nihil huius legitur*, ſed in Haymone ad A. 850. *Moller* de Homon. 617.

1101. Ado viennenſis, *non* martyrologus, *qui eſt Ado trevirenſis.* | Martyrologium non eſt Adonis (ſeu potius *Odonis*, vel *Vdonis*) trevirenſis, ſed *Adonis viennenſis. Idem* 530.

CXXXII.

Breviarium HVLSEMANNI theologicum, a *Scherzero* enucleatum atque auctum. Lipſiæ 1687. Ita autem illud diſpoſitum eſt, ut textus in ſingulis capitibus atque ſupplementis, ſeiunctus adhuc atque diſperſus, uniatur & explicetur, dicta S. ſcripturæ, olim excitata tantum, in formales & manifeſtas probationes reſolvantur, & errores adverſariorum, qui duntaxat nominati fuerant, expreſſe adducantur. Val. *Alberti* ornavit hoc opus Præfatione, qua in laudes it *Hülſemanni* & *Scherzeri*, idemque ſingulis capitibus Tabulas præmiſit, ut ex iis contenta eorum uno quaſi intuitu cognoſci queant.

Cap. XIV. §. 1. p. 904. *Subſtantia hominis fidelis unitur cum ſubſtantia totius SS. Trinitatis*, per iuncturam ſubſtantiæ ad ſubſtantiam. | *Nova haec eſt doctrina.* Io. Iac. *Müller* de Vnione myſtica p. 275.

Cap. XVII. §. 17. p. 1258. Adeo, ut *ne* Biblia quidem habere, *nedum* legere ſit capitale. | Vult dicere, *capitale eſſe Biblia habere, aut legere.*

§. 34. p. 1319. Cochlæus ſcribit, Pontificem libros tantum Lu- | *Vtrumque factum* in iſta Bulla: nam & hortatus eſt eum, ut ab

Digitized by Google

theri damnaſſe, auctorem vero librorum *ad reſipiſcendum paterne hortatum eſſe.* Quod falſum eſſe ipſa Bullæ inſpectio docet. In ea enim *ipſa Martini perſona hæreſeos diſerte damnata & excommunicata* legitur.

ab erroribus deſiſteret, converſionique terminum præfixit, & inobedientem in dicto termino hæreticum pronunciavit. *Cherubinus* in Compendio Bullarum p. 190.

Cap. XXII. §. 11. p. 1743. Si *Profeſſio fidei, in conciliabulo trident.* præſcripta, confertur cum Euangelio, Epiſtolis apoſtolicis, & Symbolis œcumenicis, nuſpiam horum reperias, *ſolum rom. epiſcopum eſſe univerſalem iudicem omnium controverſiarum fidei & morum.*

Neque etiam id legitur vel in Profeſſione fidei romanæ, vel in Concilio tridentino. Card. *Perronius* apud Richerium in Hiſt. concil. lib. I. 835. *Calixtus* Epicr. in Colloq. thorun. §. 55. & *Conſideratio noſtra* controverſiarum cum Pontificiis p. 151. 153.

Pag. 1744. Nuſpiam: Etiam ſanctorum imagines *adorandas eſſe.*

Nuſquam id præcipitur, ſed hoc: Eas, in templis præſertim, *habendas* & *retinendas*, eiſque *debitum honorem & venerationem* impertiendam. *Concil. trid.* Seſſ. XXV. p. 507. & Seſſ. XXIV. c. 12. de Reformat. p. 452.

Io. Adam *Scherzer*, egranus, *Erdrichii*, *Stahlii*, *Slevogti*, *Friſchmuthi*, Io. *Zeiſoldi*, *Cundiſii*, Io. *Muſai*, Io. Bened. *Carpzovii*, *Heinrici* & *Hulſemanni* diſcipulus, primum linguæ ſanctæ, deinde theologiæ profeſſor & doctor in academia lipſienſi primarius, Capituli ad D. Petri in urbe Budiſſa præpoſitus, Canonicorum ingenuæ miſnenſis, polonicæ item Nationis & Facultatis theol. ſenior, Synedrii electoralis & ducalis aſſeſſor, Maioris Principum collegii collegiatus, alumnorum electoralium inſpector, atque academiæ decemvir, in publicum emiſit Manuale philoſophicum, ſcripta polemica contra *Keddium*, *Holterum*, *Schillerum*, *Dörffelium*, *Schefflerum*, Antibellarminum, Collegium contra *Calvinianos*, Volumen orationum & programmatum, & Diſputationes plurimas, quantum famæ nactus eſt, tantum mœroris ſenſit ex liberorum ſuorum

ſuorum mortibus, indeque in morbum incidit, & ex morbo in manus mortis A. 1683. cum annos 55. & fere dimidium in his terris peregiſſet. *Witte* Memor. theol. 2127. *Baillet* P. I. d' Anti 89. *Biblioth. Schrader.* P. I. V 8. *Schurzfleiſch* Epp. arcan. P. I. 136. 137. *Alberti* hic in Præfatione, qui eum vocat acrem ingenio diſputatorem, iudicio validum, totum in Scripturis, inque Scholaſticis, omniumque generum hæreticis verſatiſſimum.

Valentinus *Alberti*, Lehna-ſileſius, in adoleſcentia paupertatem expertus, Dei providentia tamen & patronorum ope eluctatus, in litteris & ſcientiis ſub præceptoribus, Iac. *Thomaſio*, *Scherzero*, *Kromayero*, Io. Bened. *Carpzovio* & *Hulſemanno*, ita profecit, ut orator facundus, poëta in utraque lingua elegans, & theologus eximius fieret, & Dialecticæ atque Metaphyſicæ ordinarius in lipſienſi acroaterio, theologiæ autem extraordinarius prof. eligeretur. Quibus in muneribus non tantum ſingularem fidem & induſtriam adhibuit, ſed etiam multis variisque inter eruditos ſcriptis inclaruit, e quibus, præter Diſputationes tam philoſophicas, quam theologicas, Orationes, & Compendium iuris naturæ, ſunt ſequentia: Refutatio duorum *papiſticorum* libellorum, quorum alter eſt Chriſtiani *Conſcientioſi*, i. e. Scheffleri, Apologia adverſus *anonymum*, qui Sileſiorum orthodoxiam fraudulenter & periculoſe oppugnaverat, Albertus defenſus contra *calumniatorem viennenſem*, Tractatus de eccleſia preſſa, in quo larvatus ille *Conſcientioſus* ſimul refutatur, Refutatio *Franzii* apoſtatæ, ut vocat, vratislavienſis, Reſponſio ad *Peilſchmidium*, Expoſitio Aug. confeſſionis contra P. Io. *Dez*, Examen profeſſionis fidei tridentinæ contra Iac. Benignum *Boſſuetum*, *Antipufendorfiana*, Epiſtola apologetica contra Gerh. *Hagemannum*, Vindiciæ exegeticæ contra *Enthuſiaſtas*, eorumque viſiones & prophetias, & *Spenerus* idem atque alius. Tam ſtrenuus autem & varius bellator nec arma nec vires habuit, quibus ſe ab interno hoſte, chiragra videlicet & podagra, defenderet, ne dum ab ea ſe liberaret, ſed doloribus eius tam diu vexatus & excruciatus eſt, donec A. 1697. ætatis 62. ſuccumberet, mortique herbam porrigeret. *Pipping* Memor. theol. 669. In *Programmate funebri* p. 675. vocatur magnum academiæ decus, & eccleſiæ fulcrum. Cui adde *Quadium* in Bibliothecarii nulli parti addicti Iudiciis eruditorum p. 819.

Digitized by Google

CXXXIII.

Harmonia apoſtolica SS. *Pauli* & *Iacobi* de iuſtificatione, ab Hugonis *Grotii* corruptelis vindicata per Io. HVLSEMANNVM. Wittebergæ 1643. Eſt expoſitio verborum S. apoſtoli Iacobi a verſ. 14. capitis II. uſque ad verſ. 26. in qua fere per omnia Grotium refutat. Attamen fuit vir inſignis, qui titulo ſive fronti huius tractatus adſcripſit: *Diſpeream, ſi tu Grotio, Mart. lib. X, epigr. XI.* Adnotavit etiam ſequentia:

Pag. 20. Difficilis eſt quæſtio, (de diſtinctione peccati mortalis & venialis) *non expediunda ſola denominatione illorum delictorum*, quæ Apoſtolus commemorat 1. Cor. 6, 9. 10. Gal. 5, 19-21. 1. Tim. 1, 9. 10.	*Cum Grotio conſentit Menzerus*, Repetitionis Chemnitianæ diſp. XIX.
22. Pleraque ex iis delictis, quæ apoſtolus Paulus vocat mortifera, *non ipſa ſui commiſſione*, ſed commiſſionis modo dicuntur fieri mortifera.	De ebrietate, crapula, luxu, otio, licentia, petulantia, & graſſationibus nocturnis ex ebrietate ortis, docet exemplum Sodomitarum. Sunt enim *hæc peccata talia, quæ gratiam Dei, fidem & Spiritum S. excutiunt*, & auctores ſuos æternæ damnationis periculo involvunt. Gal. 5, 21. 1. Cor. 6, 10. *Rungius* Prælect. in XIX. caput Geneſeos.
23. Iſta hoc ſaltem evincunt, --- non ipſam commiſſionem ſingulorum peccatorum illic enumeratorum id efficere, ſed ſpectandas eſſe circa delictum, & ſpeciem & cauſſas nodosque agendi, proæreſin, habitum, durationem, *illico vel tarde ſequentem pœnitentiam*, aliasque circumſtantias, antequam	*Eſt plane contingens*, delictum commiſſum illico, vel tarde ſubſecuta pœnitentia excipi.

quis cenſeatur pro excluſo e regno gratiæ adoptantis.	
151. Saltem hoc obtineat pro Papiſtis, *Cyprianum*, Latinum Interpretem dictum illud ad Galatas V. Fides per charitatem operans, vertiſſe paſſive: Quæ per charitatem perficitur.	*Tertullianum.*
172. Neque ἰσοδυναμοῦντα ſunt, Obedire, ne damneris, & Obedire, ut ſalvari poſſis, quia prius dicit ſolam *remotionem* & abſentiam obicis: poſterius dicit cauſſam poſitivam.	Prius dicit ſolam *non-poſitionem* & abſentiam obicis.

Iacobi WELLERI Gottes heiligkeit, Sanctitas Dei. Brunsvigæ 1644. Librum hunc donavit Wellerus G. *Calixto*, & quanti eum tunc faceret, ſua ipſius manu teſtatus eſt: Theologorum præclariſſimo, optime merito, GEORGIO CALIXTO, Prof. in Acad. Iulia celeberrimo, Viro θεοφιλεστάτῳ, cum plur. ſal. offert Autor. Præterea in rubro dicitur, eſſe hunc librum ſolidam demonſtrationem, quod ſic dicti Reformati in ſcriptis privatis & publicis, veteribus & recentibus, ex Deo ſanctiſſimo (invitus commemoro) reddant non ſanctum & iniuſtum, in qua ſingulatim omnia, quæ *Maſſoniani* putent in ſui defenſionem afferre, eorumque inauditæ blaſphemiæ pro eo, ac decet, confutentur. Scilicet Wellerus oppugnat abſolutum decretum, & hoc vult evincere, etiamſi Reformati non dicant, Deum eſſe auctorem peccati, eos tamen eiuſmodi uti phraſibus, unde colligi poſſit, Deum eſſe auctorem peccati.

Iacobus *Weller*, a Molsdorf, Neukircha-variſcus, ex nobili & antiqua familia, ſed pauper, in litteris & ſacris ſtudiis tantum profecit, ut non ſolum adiunctus Facultatis philoſophicæ, & profeſſor S. linguæ, atque extraordinarius fieret theologiæ in academia wittebergenſi, verum etiam, poſt impetratos honores doctorales, coadiutor & ſuperintendens brunſvicenſis, tandemque Electoris Saxoniæ concionator aulicus ſupremus, & aſſeſſor Protoſynedrii. Vir

Vir magnæ fuit auctoritatis apud ſummos, æquales & inferiores, adeo ut propter merita beneficium toparchiæ karsdorfienſis a munificentiſſimo Hero ſuo conſequeretur; attamen defectus viribus atque exhauſtus laboribus exſpiravit anno 1664. ætatis 62. Mortuum laudarunt Io. Sebaſt. *Mitternacht* (cuius Oratio exhibetur a *Wittio* in Memor. theol. p. 1502) Geræ in Variſcia, G. C. *Kirchmajero*, Wittebergæ, & Iacobus *Thomaſius* Lipſiæ. His adde *Spizelium* Templo honor. reſerato 276. G. *Calixtum* Refut. Welleri Z z & Y y y 2. *Bibliothecam Schraderianam* P. I. C 4. Chriſtoph. *Cellarium* Orat. XVI. p. 349. *Narrat. innoc.* A. 1709. 626. & *Eccardum* Extract. menſtr. A. 1700. m. Mart. p. 18. E pluribus eius ſcriptis, quorum catalogus exſtat apud *Wittium* & *Spizelium*, ſunt Spicilegium quæſtionum ebræo-ſyrarum, Diſputationes de linguæ hebrææ ambiguitate contra *Huntlaum*, de vera religione adamitica primi mundi uſque ad Abrahami tempora, deque ritibus lugentium apud Hebræos antiquos, & quædam contra Mart. *Becanum*, Anatomiæ Chriſtoph. *Maſſonii* Refutatio, Tractatus de idololatria Pontificiorum, Commentatio de nominibus divinis, Pſalmi I. Capitis LIII. Eſaiæ, & epiſtolæ ad Romanos Explicatio.

Daniel. HEINRICI Chriſt-Lutheriſche lehre, Chriſtiano-lutherana doctrina de paſſione Chriſti. Dresdæ 1644. Qua contra *Bellarminum* traditur, Chriſtum in paſſione ſua pœnas dediſſe & privativas & poſitivas damnatorum, ſed poſitivas ratione materialis tantum, non formalis, h. e. non deſperaſſe de gratia Dei, uti faciunt damnati in inferno. Vide pag. 26. & ſeqq. Contra *Bellarminum* autem diſputat auctor p. 55. contra *Feuardentium* & *Gautetum* p. 70. contra Danielem *a S. Severo* p. 76. Occaſionem ad ſcriptum hoc formandum atque edendum dedit concionator quidam pontificius, qui & in ſuggeſtu dixit, & in chartis per domos diſperſis calumniatus eſt, Lutherum docuiſſe, quod Chriſtus deſperaverit.

Daniel *Heinrici*, ſive *Heinrich*, Chemnitio-miſnenſis, theol. doctor & profeſſor lipſienſis, canonicus cizenſis, (isque primus, qui, poſt intervallum XXX. circiter annorum lite compoſita, ſtallum, ut loquuntur, in choro, & locum in Capitulo, Maiorum negligentia perditum, rurſus obtinuit) & poſt miſnenſis,

nec non decanus, alumnorum electoralium inſpector, & Academiæ decemvir, Facultatis theologicæ & Miſnicæ nationis ſenior, & Conſiſtorii aſſeſſor, eius doctrinæ, quam a præceptoribus ſuis, *Scharfio*, *Sperlingio*, *Troſtio* in wittebergenſi, *Hœpfnero* in lipſienſi, & Io. *Gerhardo*, *Maiore*, *Himmelio* & *Glasſio* in ienenſi academia hauſerat, uberrimos & ſuaviſſimos fructus diſcipulis ſuis fideliter impertivit, atque in ſcriptis ſuis erga quosvis dilucide explicavit. Scripſit autem Tractatum de inſpiratione verborum S. ſcripturæ, Chriſtologiam orthodoxam, Synopſin doctrinæ de Meſſia, e ſolis V. Ti libris apertiſſime demonſtratæ, Librum de vitæ humanæ termino, Chriſtianum delineatum ſecundum ductum S. ſcripturæ, Hiſtoriæ eccleſiaſticæ & Auguſtanæ confeſſionis, & non nullas Diſputationes. *Witte* Diar. biograph. XXX 2. & in Memoriis theologorum p. 1560.

CXXXIV.

Io. Adami SCHERZERI Collegium antiſocinianum. Lipſiæ & Francofurti 1702. Editio tertia, prioribus emendatior & auctior. Sunt diſputationes, in quibus agitur de ortu, progreſſu & nominibus hæreſeos antitrinitariæ, de principio religionis ſocinianæ, de Deo ſecundum eſſentiam conſiderato, SS. Trinitate, Statu hominis ante lapſum, Lapſu primorum parentum & peccato originis, Libero arbitrio & viribus ſervandi legem, Lege divina, Perſona & officio Chriſti, eiuſque exinanitione & exaltatione, de Converſione, Regeneratione, Iuſtificatione, Electione, Bonis operibus, Pœnitentia, Sacramentis, Eccleſia, Miniſterio, diſciplina & ritibus eccleſiaſticis, Magiſtratu politico, Coniugio, Morte, Reſurrectione mortuorum, & Vita ac Morte æterna. Præmittuntur duæ Præfationes, vetus & nova; & in hac reſpondetur ad dubia quædam Chriſtophori *Sandii*, filii. Lucubrationes haſce Collectores *Actorum erudit.* A. 1684. p. 54. vocant elaboratiſſimas, pariterque laudant Collegium eius anticalvinianum, Antibellarminum, Lectiones antiſyncretiſticas, & Tractatum de catholico.

Pag. 9. Mich. *Servetus* Genevæ agnitus, & ex Calvini conſilio captus, *anno* 1557. exuſtus fuit.	*Anno* 1553.

Pag. 12. Ad Neo-Arianos a Calviniſtis defecit Adamus Neuſerus, eccleſiæ heidelbergenſis Paſtor, poſtea etiam *Turca factus*, quodque horrendo mugitu animam evomeret, Turcis Satam ogli, Satanæ filius, dictus.	Id hauſtum *ex aliorum relatione*, ſed probatione deſtituta. *Ruarus* Epp. P. I. p. 225.
14. Petri *Moſcorovii* Comment. in Epiſt. ad Theſſalon.	Petri *Morſcovii*.
Andreæ *Reuchlini* Notæ in lib. Smiglecii de Vocat. miniſtror.	Is eſt Valent. *Smalcius*.
Theophili *Nicolaida*.	Id eſt, Valent. *Smalcii*, cuius pater nomen gerebat Nicolai.
239. Polycarpus apud Euſebium lib. IV. Hiſt. eccl. c. 15. iam iam cremandus inter alia precatus fuit: Te Pater benedico, te glorifico per æternum Pontificem Ieſum Chriſtum *filium* tuum dilectum, per quem tibi una cum ipſo & Spiritu ſancto ſit gloria nunc & in futuris ſeculorum ſæculis, Amen.	Per *puerum* ſive famulum & ſervum tuum dilectum, *in* Spiritu ſancto. *Εν πνευματι αγιω.* Vide editionem Henr. *Valeſii*, & *Zwickeri* Iren. irenicor. 30.
269. Ignatius in Epiſtola ad Philippenſes Chriſtum *αγεννητον ingenitum* & *αναρχον ſine principio* in oppoſitione ad humanam naturam appellat.	*Αγεννητον* ingenitum *deeſt in MS.* Et de *auctoritate Epiſtolæ* illius legendus eſt *Vſſerius* in Annotat. (Tomi II. Patrum apoſtolicorum Cotelerii p. 117).

CXXXV.

Abrahami CALOVII Exegema Auguſtanæ conofeſſionis. Wittebergæ 1665. Liber hic, uti rubrum præ ſe fert, articulos fidei ſuccincte exponit, & adverſus varios, in primis modernos errores, ſtatu controverſiæ accurate conſtituto, cum expreſſis Scripturæ teſtimoniis, tum immotis conſequentiis demonſtrat, eademque ab

Digitized by Google

ab exceptionibus potioribus vindicat. Editio altera, additionibus diverſis, maxime adverſus novum *Walenburchiorum* de Iuſtificatione ac Meritis operum ſyncretiſmum locupletata.

EIVSDEM Criticus ſacer biblicus. Wittebergæ 1673. Altera editio. Agitur in eo de S. ſcripturæ autoritate, canone, lingua originali, fontium puritate, ac verſionibus præcipuis, in primis vero vulgata latina, & LXX. interpretum græca. Eſtque prodromus quaſi Bibliorum illuſtratorum. Si autem diverſæ ſunt in Critico hoc & Bibliis illuſtratis ſententiæ, illa, quæ in hiſce continetur, ut poſterior, alteri eſt præferenda. Simile fere argumentum tractarunt Humfredus *Hodius* in libris IV. de Bibliorum textibus originalibus, verſionibus græcis & latina vulgata, de quibus vide *Acta erudit.* A. 1705. 507. & Lud. El. *Du Pin* in Diſſertatione præliminari in Biblia.

CXXXVI.

EIVSDEM Harmonia Calixtino-hæretica. Wittebergæ 1655. Qua, ut in fronte libri ſcriptum, novatores moderni, maxime D. Georg. *Calixtus*, & D. Chriſtian. *Dreierus* pernicioſæ in pleriſque fidei articulis cum Calvinianis, Pontificiis, Arminianis, & Socinistis, adverſus Scripturam ſacram & Eccleſiam catholicam colluſionis ac conſpirationis, adeoque peſſimæ defectionis a vera fide, luculenter convincuntur, atque in primis Dreieri Fundamentalis deciſio (Grundliche erœrterung) ſolide diſcutitur. At vide de horrendo hoc libro auctorem *Vindiciarum* veritatis & innocentiæ, in binis tractatibus Spenerianis contentæ, c. 5. §. 6. & Frid. Vlr. *Calixtum*, qui in Præfatione Calovii cum cretica Harmonia ſua tertium confuſi a 4. ita ſcribit: *Relicto Gedano, quum Theologica Facultati in vicina vvittebergenſi Academia admotus, & propinquior Calixto factus eſſet Calovius, quaſita omni occaſione virum violenter eſt adortus. Ad ſubvertendum autem eum, qui prior ne verbulo quidem laſerat, non magis ſpecioſam invenit calumniam, quam qua viri orthodoxiam in diſcrimen vocaret. Huic fini obtinendo nulli opera pepercit, nihil eorum, quod ad Calixtum, qui luminibus eius obſtruere videbatur, apud rerum non ſatis peritos, denigrandum faceret, inſuper habuit. Efformato igitur propudioſo* Syncretiſmi *monſtro, & confuta e male comparata cum hareſibus neſcio quibus, non Calixti doctrina, inſulſa quadam* Harmonia, *atque inſuper, ſi hareſes ad perdendum non ſufficerent, efficto in ſcriptis, non latinis ſolum, ſed etiam*

vernaculis, ad plebem dementandam aptioribus, horribili & Samaritaniſmo & Atheiſmo, rem ſuam agere & conficere tentavit. Illis tamen omnibus ex orco accerſitis terribilibus machinis, peculiare & juſta molis reſponſum, quo violentum invaſorem repelleret, viro, nihil eorum, qua malitioſe ei imputabantur, ſibi conſcio, extorquere nullatenus valuit. Tali igitur, quale iſte litium ſator expetebat, reſponſo quum dignatus eum nunquam eſſet, ſed, dum aliis criminatoribus occurrebat, incidenter & obiter duntaxat hunc quoque petulantem & prurientem aſſultorem acriori aceto quandoque perfuderit; generoſus iſte contemtus tam male habuit hominem, ut peius eum habere potuerit nihil. Interim dum exitio innocenti Calixto parando totus incubuit Calovius, *& in his pravis conatibus inſomnes duxit noctes; ille ſuis ſe involvit virtutibus, atque inſuper habito hoc omni latratu in utramque aurem dormivit ſecurus. Tandem divino iudicio relinquens deſperatum conviciatorem; Chriſto e mortali hac vita ſe evocante, nihil vindicta meditantem, ſed pacem eccleſia univerſa flagranter deſiderantem, aternamque anhelantem animam in Servatoris ſui manus placide conſignavit anno atatis LXX. ſaculi LVI. die XIX. Martii.*

Pag. 112. Traditionem eſſe *principium* non ad hominem tantum, ſed etiam *ad rem.*	Principium, ſi vocabulum hoc ſumas 1. *pro ſede ſeu domicilio, ex quo probationes* deſumimus, 2. pro principio cognoſcendi complexo, ſive propoſitione, ex qua aliæ deducantur. Ad rem, *interdum.* F. V. *Calixtus* diſp. de Vniverſ. primitivæ eccleſ. auctoritate §. 26.
1023. & 1045. In toto illo tam prolixo Calixti de Pactis divinis opere *ne ſemel quidem mentio facta eſt* apprehenſionis ſatisfactionis & meriti Chriſti, nedum fides ita definita, aut ſub hac notione propoſita; ſed *perpetuo* ut moralis quædam conditio in nova lege.	*Non pugnant hac*, ſed conſiſtunt optime. *Neque ibi deſunt loca*, ubi apprehenſio ſatisfactionis Chriſti requiritur. *Idem* in Reſponſ. ad Theſes antiſyncretiſt. p. 106.

Abr.

Abr. CALOVII Syncretiſmus calixtinus. Wittebergæ 1655. In quo G. *Calixtus*, Io. *Latermannus*, & Chriſtian. *Dreierus* accuſantur ſyncretiſmi cum Calvinianis & Pontificiis initi; atque ita pertendit, neque Symbolum apoſtolicum, neque reliqua Symbola & confeſſiones Conciliorum antiquorum, omnia continere credenda, Calvinianosque & Pontificios errare in fundamento fidei, adeoque eſſe hæreticos. Et in fine additur Epimetron contra F. V. *Calixtum*, Iudæos & Turcas unum Deum credentes & invocantes, idololatras eſſe negantem. Horrenda autem ſunt, quæ Calovius Syncretiſmi nomine involvit, videlicet babeliſmus, ſamaritaniſmus, arianiſmus, ſamoſatenianiſmus, manichæiſmus, pelagianiſmus, papiſmus, calviniſmus, &, quod caput eſt, paganiſmus atque atheiſmus. Vide iterum F. V. *Calixtum* Præfat. in Calovium cum ſua Harmonia tertium confuſum b 3.

CXXXVII.

Balthaſaris MENTZERI Euangeliſche probe, Euangelicum examen cimelii Friſiæ orientalis Dan. Bernhardi *Eilshemii*. Gieſſæ 1618. Recuſum A. 1622. In quo controverſiæ inter Confeſſionem auguſtanam & Calviniſtas, breviter, at perſpicue tamen, atque in tantum explicantur, ut pura veritas inde cognoſci, & ab erroribus diſtingui poſſit. *Eilshemii* Cimelium eſt catechiſmus, qui & ipſe huic refutationi inſertus eſt.

Balthaſar *Mentzer*, Allendorfio-haſſus, cum magiſter philoſophiæ eſſet, atque aliis erudiendis præpoſitus, minime a ſe alienum putavit lectiones theologorum frequentare, memor illius Pliniani: *Legendi ſemper occaſio eſt, audiendi non ſemper: præterea multo magis, ut vulgo dicitur, viva vox afficit.* Neque etiam tam ſuperbos geſſit ſpiritus, ut ſtatim ad alta contenderet, ſed vocationi ad paſcendam eccleſiolam Kirdorfenſem lubens & humillime paruit, omnique ei fide & induſtria præfuit. Nam, ut eruditio & dexteritas non ſolent negligi, haud multo poſt in lucem productus eſt collata ei profeſſione theologica in academia marpurgenſi, & ephoria ſtipendiariorum; quam, doctoris axiomate ornatus, & hic, & poſtea in gieſſena, ea vigilantia, eoque ſtudio obivit, ut & diſcentibus, & celſiſſimis Heris ſuis omni ex parte ſatisfaceret. Non fere erat virtus, quam non exerceret: nam & laborum pa-

tiens erat, & ardens in precibus, & temperans in cibo ac potu, & liberalis erga egenos: & quamvis vir eſſet multorum bellorum ac prœliorum (ſæpiſſime enim pugnabat cum Pontificiis, Reformatis, & ſuæ religionis ſociis, nominatim cum *Paderbornenſi* quodam, Io. *Piſtorio*, Io. *Sturmio*, Dan. *Angelocratore*, Georg. *Schœnfeldio*, *Sartorio*, Io. *Crocio*, Vrb. *Pierio*, Lud. *Crocio*, Paulo *Steinio*, Dav. *Pareo*, Io. *Piſcatore*, Io. *Appelio*, *Oſiandro*, *Thummio* & *Nicolai*, manſuetus tamen fuit, & conviciorum atque iniuriarum abſtinens: ſique alii conviciorum in eum plauſtra inveherent, nihil is illis commotus dicere ſolebat: *De conviciis & maledictis conſtanter affirmo, ſcommata atque dicteria tam me non curare, quam corvorum aliarumque obſcœnarum avium, per medium aërem volitantium, crocitationes atque garritus.* Quique aſſidue ac fideliter docuit, tandem oſtendit, quomodo munus a theologo ſit deponendum: recte enim ac pie ad mortem ſe præparans, atque in Chriſto Ieſu fiduciam ſuam ponens, academiamque & eccleſiam divinæ providentiæ ardentiſſime commendans, compoſitis membris ſuaviter obdormivit, ſpiritumque ad beatorum ſpirituum manſionem emiſit anno 1627. ætatis 62. *Witte* Memor. theolog. 224. *Spizelius* 68. *Lexicon univ. hiſtor.* T. III. 513. *Schurzfleiſch* in Biblioth. Schrader. P. I. H 4. & *Crenius* Animadverſ. P. XV. 114. quorum ille Mentzerum iudicat eſſe unum ex optimis theologis, atque ob vim ingenii *Chemnitio*, *Hunnio*, *Dorſcheo* & *Feurbornio* parem cenſeri; hic eum vocat laborioſum, atque diuturnum gloriæ divinæ veræque religionis militem.

EIVSDEM Kurzes urtheil, Breve iudicium de Longa cenſura calviniani cuiuſdam paſtoris bergenſis infra Hanoviam, quam ambitioſe exercuit contra Chriſtianam oſtenſionem ſeu doctrinam de S. baptiſmo. Gieſſæ 1618. Mentzerus ediderat IV. Partes chriſtianæ religionis, de Chriſto, Baptiſmo, S. cœna, & Prædeſtinatione, e quibus paſtor bergenſis ſecundam oppugnavit.

EIVSDEM Heimweiſung, Informatio diſcipuli herbornenſis. Gieſſæ 1617. Qui ſe oppoſuit Examini libri herbornenſis, ſive Neceſſario examini & defenſioni veræ naturæ humanæ Chriſti contra fabulam ubiquitatis. Agitur hic de quæſtione principali & titulo, de vera Chriſti humana natura, de dictis Scripturæ

ræ præſentiam Dei probantibus, de eo, quod Chriſto datum in tempore, de S. baptiſmo, de S. cœna.

EIVSDEM Wohlgemeinte erinnerung, Benevola admonitio de Pauli *Steinii* concione irenica, ex *Sir.* 25, 12. Concio iſta habita fuit Caſſellis in Capella ſereniſſimi Landgravii Haſſiæ, atque in ea, ſicuti præ ſe fert titulus, inter alia demonſtratur, Euangelicos utriuſque partis, de perſona Chriſti, S. cœna, & Prædeſtinatione filiorum Dei, in fundamento ſalutis conſentire, nec ceteras paucas controverſias tanti eſſe ponderis, ut earum cauſſa vinculum chriſtianæ & fraternæ caritatis inter ipſos ſolvendum ſit, atque diſrumpendum.

CXXXIIX.

COLLEGII THEOLOG. WITTEBERGENSIS ad Rintelenſem epiſtolam apologeticam Antapologia. Wittenbergæ 1666. Qua, ut in fronte libri dicitur, ſyncretiſmi caſſellani fœditas, Anticriticorum autocatacriſis, erroreſque graviſſimi deteguntur, orthodoxia S. *Auguſtini*, B. *Lutheri* & aliorum eccleſiæ Doctorum adſeritur, Calviniani autem hæreſeos in præcipuis fidei articulis convincuntur. Wittebergenſes enim vero Epicriſin ediderunt ſuper Colloquio caſſellano, quam Rintelenſes Epiſtola germanica exceperunt ad Theologos invariatæ Confeſſionis auguſtanæ directa, in qua conqueruntur de durioribus imputationibus, ſibi in Præfatione Epicriſeos factis: & huic iam Wittebergenſes opponunt Antapologiam. Quæ quidem conſtat Præfatione, Præloquio, & XXI. capitibus. In Præloquio verba faciunt de neceſſitate Antapologiæ, & ſyncretiſmi papiſtici atque calviniani fœditate ac periculo, litteræque communicatoriæ Collegii theologici wittebergenſis annectuntur. In Præloquio producuntur parænericæ trium Collegiorum ſaxonicorum ad Rintelenſes, deque infelicibus Epiſtolæ apologeticæ Rintelenſium conſequentibus diſſeritur, & cauſſæ finiſque Antapologiæ aperiuntur. In Capitibus vero agitur 1. de præloquio, cauſſis, argumento, & ſcopo Epiſtolæ Rintelenſium. 2. de occaſione & cauſſa Colloquii caſſellani. 3. de Colloquio cum Marpurgenſibus admodum perfunctorie inſtituto. 4. de adpropinquatione Rintelenſium ad heterodoxiam calvinianam. 5. de erroribus Calvinianorum fundamen-

damentalibus in articulo de Prædeſtinatione. 6. de *Lutheri* & *Philippi* circa prædeſtinationem ſententia, an ne Calvino *ομοψηφοι* fuerint? 7. *Auguſtinum* falſo conſtitui patronum calviniani dogmatis de abſoluto prædeſtinationis decreto, ut hinc ſuadeatur eiuſdem tolerantia. 8. *Proſperum* aquitanicum, *Fulgentium*, alioſque doctores, patrocinii vel tolerantiæ abſoluti decreti temere poſtulari. 9. veterem eccleſiam damnaſſe errorem de abſoluto prædeſtinationis decreto. 10. de cauſſa condemnati *Godeſchalci*. 11. Non poſſe probari, toleratam in eccleſia fuiſſe ſententiam de abſoluto decreto per 1200. & amplius annos. 12. E tolerantia Doctorum veterum non poſſe evinci indemnitatem errorum, reſpectu ſalutis æternæ. 13. *Marpurgenſium* in controverſiis de prædeſtinatione declarationem, ab hæreſi minime abſolvi. 14. Reformatos directe fundamentum fidei evertere. 15. de neceſſitate dogmatis de reali præſentia Chriſti in S. euchariſtia. 16. de erroribus Calvinianorum fundamentalibus in articulo de perſona Chriſti. 17. de controverſiis de ſacramento baptiſmi. 18. de admiſſione Calvinianorum in fraternitatem ſpiritualem, & articulis fundamentalibus. 19. de probatione Rintelenſium, quod Reformati non ſint hæretici. 20. de analogica Rintelenſium fraternitate cum Calvinianis. 21. de elenchi reſtrictione, ſtudio ſyncretiſmi, ſcandalo infirmis dato, & facto diſſentientibus præiudicio.

Abrahami CALOVII *Δοκιμασια* ſpiritus ſyncretiſtici nuperæ Diſſertationis lugdunenſis D. Io. *Hoornbeeckii* de Conſociatione Reformatorum & Auguſtanæ confeſſionis. Wittebergæ 1667. In qua, poſt Paraſceven de ſyncretiſmo, agitur de convictu *Lutheri* & *Philippi*, Colloquio marpurgenſi, Concordia wittebergenſi, Conſenſu ſendomirienſi, Conſenſu bohemico, Colloquio lipſienſi A. 1631. Colloquio caſſellano A. 1661. de ſententia aliorum Reformatorum, de Belgarum ſententia, de neceſſitate conſociationis Euangelicorum & Reformatorum, erroribus Reformatorum circa perſonam Chriſti, fidem & euangelium, S. cœnam, & prædeſtinationem, de fundamentalibus ad fidem & ſalutem, modo & ordine in aſſociandis utrinque eccleſiis, deque ſuffragiis *Horneii*, *Latermanni* & *Dreieri* in negotio henotico.

Pag. 129. Diſcuſſimus in Diſput. | *Feyerabendii*, de Syncretiſmo *non neminis.* |

Andreæ

Digitized by Google

Andreæ KVHNII Diſquiſitio de puncto atque momento diſcrepantiæ inter Lutheranos & Calvinianos. Budiſſæ 1664. Cuius hæc ſunt contenta: Lutheranos & Calvinianos non convenire in fundamento ſalutis, nec, ſi hoc ita eſſet, conſenſum talem ad pacem eccleſiaſticam ſufficere; neque etiam convenire in doctrina de perſona Chriſti, gratia Dei, libero arbitrio, perſeverantia, S. cœna, baptiſmo; denique Calvinianos non eſſe tolerandos, neque concordiam cum illis ineundam eccleſiaſticam.

Bartholomæi FRANCI Diſſertatio de articulis fidei. Lipſiæ 1666. In qua eorum tum veritas, tum credendi neceſſitas, ut ipſe ponit, ſuccincte & ſolide evincuntur. Per *articulum* autem *fidei* in genere intelligit partem doctrinæ cæleſtis de obiecto aliquo ſpirituali credendo, quatenus in ſcriptura canonica eſt revelatum. Lit. D 3. ſuum exhibet Symbolum, quo contineri arbitratur omnes articulos fundamentales, & Lit. K 2. negat cum Calvinianis fraternitatem poſſe iniri ſpiritualem, quia errores foveant fundamentales; ob quos tamen nec univerſim, nec ſimpliciter damnare velit omnes, qui ſint in ipſorum eccleſia.

Bartholomæus *Francus*, Weida-variſcus, eo tempore, quo hæc ſcribebat, erat ſtudioſus ſive cultor theologiæ.

CXXXIX.

THEOLOGORVM WVRTENBERGENSIVM Beſtændiger und gründlicher bericht, Conſtans & ſolidum iudicium de Libro ſtaffortiano. Tubingæ 1601. Liber ille ſtaffortianus eſt chriſtianum, uti vocatur, iudicium contra Librum concordiæ, eique inſertam Confeſſionem auguſtanam, Catechiſmum *Lutheri* maiorem, nec non Appendicem Formulæ concordiæ, nomine & auſpiciis *Erneſti Friderici*, Principis & Marchionis badenſis, cumque eius Confeſſione calviniana A. 1599. Staffortiæ in lucem editum. Ei igitur opponitur volumen hoc, & quidem auctoritate & iuſſu Ducis wurtenbergenſis *Friderici*, in eoque id agunt theologi omnibus viribus, ut defendant Librum concordiæ, eique inſertam Auguſtanam confeſſionem & maiorem Lutheri Catechiſmum, facta utriusque collatione, nec minus Appendicem illam formulæ concordiæ, in qua SS. Patrum teſtimonia adducta

ſunt, atque ut refutent adverſæ partis Confeſſionem, eiusque errores revelent & commonſtrent.

CXL.

Mart. CHEMNITII Iudicium de controverſiis quibusdam, quæ ſuperiori tempore circa quosdam Auguſtanæ confeſſionis articulos motæ & agitatæ ſunt. Ienæ 1676. Editum a Io. Guil. *Baiero*, olim vero a Polyc. *Lyſero* Wittebergæ A. 1594. Præmiſſum eſt *Baieri* Programma, quo ſtudioſos ad diſputationes huius ſcripti invitat, Chemnitiumque ſtudii veritatis & caritatis obſervantiſſimum fuiſſe probat. Capita autem libelli ſunt iſta: de certo Corpore doctrinæ, de λογω, ſeu, cur Filius Dei λογος dicatur, de Libero arbitrio, Externa diſciplina ſeu iuſtitia carnis, Facultate liberi arbitrii non renati ad inchoandos & efficiendos motus ſpirituales in converſione ſeu renovatione, de Definitione euangelii, de Vſitata definitione quod *euangelium ſit prædicatio pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum*, Articulo iuſtificationis, Bonis operibus, & Adiaphoris. Atque de hoc libello ita iudicat *Baierus*, ut dicat, eum exiguum quidem & poſtumum eſſe, ſed nulli ex celebrioribus auctoris operibus poſtponendum; & *Lyſerus* ſcribit, auctorem eius non conviciorum plauſtris diſſentientes onerare, non fictis calumniis eos in aliorum odium inducere, non ſubdole eos perditioni involvere conari, ſed ſemotis perſonis opinionem ipſorum ſecundum verbum Dei examinare, & ſine omni acerbitate id, quod divinis oraculis conſonum eſt, & conforme, pronunciare ſolere.

Io. Adami SCHERZERI Syſtema theologiæ. Lipſiæ 1685. Editio ſecunda, auctior & correctior; cum prior A. 1680. in lucem prodiiſſet. Conſtat autem Syſtema iſthoc XXIV. Definitionibus, quarum ſingulis explicatio ſubiungitur. Brevitatem ſectatur auctor cum perſpicuitate coniunctam, & ordinem hunc tenet, ut cuilibet articulo definitionem præmittat, eamque in membra & viſcera ſingula diſſolvat, & antitheſin ſeu errores diſſentientium (ſub quibus non ſolam hæreſin, ſed omnia adverſa aliorum placita intelligit) ſubiungat.

Pag.

Pag. 223. *Chriſtus homo etiam in ſtatu exinanitionis apud omnes creaturas*, quibus ὁ λόγος præſens erat, *præſens fuit*, ſed ſine dominio.	Hæc ſententia *refellitur* a Io. Iac. *Mullero* in Diſſertatione, quæ eius Tractatui de Vnione myſtica acceſſit. De quibus vide *Narrat. innoc.* A. 1704. 499.
241. Ioach. *Lutkemanni Diſſertatio* de Vero homine *multas in academia roſtochienſi turbas dedit.*	Non Diſſertatio ipſa, ſed *auctoris antagoniſta.* Phil. Iul. *Rehtmeyer* in Vita Lutkemanni, præmiſſa Dem himliſchen Liebeskuſs. A. 1719.
Ad cadaver *non ſolus animæ diſceſſus*, ſed etiam corruptio requiritur.	Cadaver, ait *Hieronymus*, ab eo dicitur, *quod per mortem cadat.* Omne igitur corpus humanum mortuum poteſt cadaver appellari. Corruptio autem accedit per accidens: poteſt enim cadaver a corruptione præſervari, aut comburi. Baſil. *Faber* Theſ. erudit. ſcholaſt. v. *Cado*, p. 346.
695. *Error Lightfooti* ad Matth. 16, 19. negantis, per Ligare ac Solvere intelligi poteſtatem remittendi ac retinendi peccata, alibi a Theologis ex profeſſo refutatur.	Lightfootus a Io. Bened. *Carpzovio defenditur* in Ep. dedicatoria Horis Lightfooti hebr. & talmudic. in Euangeliſtas præfixa)b(3. Et confer auctorem *Iudicii* germanici, de quæſtione, in quantum paſtor erga Principem ſuum, qui pariter eſt ſummus Epiſcopus, clave ligante uti queat. A. 1706. 8.

Phil. Iac. SPENERI Tabulæ hodoſophicæ. Francofurti 1690. Nihil aliud ſunt, quam Hodoſophia *Dannhaueri*, in tabulas contracta. Quod opus merito laudatur in *Actis erudit.* A. 1690. 456, eiuſque modi Tabularum confectores pauci ſunt, ut iidem claris-

clariſſimi auctores adfirmant in Tomo VI. *Supplement.* illorum Actorum p. 352. Atque hiſce Tabulis acceſſit Præfatio de impedimentis ſtudii theologici, (quæ pariter eſt fideliſſima inſtructio ad recte utiliterque tractandum ſacra ſtudia) & Appendix aliquot epiſtolarum. Nota etiam, *virum doctiſſimum*, cuius mentionem facit d 4. eſſe Chriſtoph. *Scheiblerum*, ſententiamque, quam refutat, inveniri in eius Metaphyſica, Parte I. 21.

Phil. Iac. *Spenerus*, Rappoltswila-alſatus, a puero, quod ſacra aliquando tractare deberet, probæ vitæ ſtudioſus, & diligens ſcripturæ ſacræ, librorumque ad pietatem ducentium lector, Argentorato, ubi doctores in primis habuerat *Dannhauerum* & Sebaſt. *Schmidium*, ſicut poſtea ibidem lauream accepit doctoralem, ivit Baſileam, & hinc per Genevam ad urbem Lugdunenſium, reverſus autem Argentoratum oblatum concionandi munus humiliter ſuſcepit. Sed mox ad ſublimiora vocatus eſt, dum nobiliſſimus Senatus liberæ atque imperialis urbis francofurtenſis eum conſtituit paſtorem & ſeniorem Miniſterii: quo in munere eam ſibimet regulam præſcripſit, ut Magiſtratui debitam exhiberet ſubmiſſionem, Collegas non aliter tractaret, ac fratres & æquales, in ſermonibus ſacris, miſſa affectatione eruditionis, ſimplicitatem ſectaretur, controverſias parce moveret, adverſarios magis humanitate, quam rigore convincere ſtuderet, & vanam noxiamque de externo chriſtianiſmo opinionem profligaret & expelleret. Vitam egit inculpatam, atque ut alios probos redderet, modis allaboravit omnibus; inque hunc finem inſtituit collegia pietatis, & creſcente auditorum ſtudio numeroque, cum conſenſu ampliſſimi Senatus tranſtulit ea in ædem ſacram. Sed hoc inſtitutum non diu fuit ſine hoſtibus & oſoribus: novitatis enim nomine traducebatur. Interea ille paruit tandem vocationi potentiſſimi Electoris Saxoniæ, & provinciam ſupremi concionatoris aulici in celeberrima urbe dreſdenſi imponi ſibi paſſus eſt. Sed cum privatim examen catecheticum cum iuventute inſtitueret, & praxin veri chriſtianiſmi identidem urgeret & commendaret, eiuſque conſilium magiſtri quidam & candidati Miniſterii, ſub moderamine D. *Alberti*, ſequentes, Lipſiæ collegia biblica aperirent, & magnus ſtudioſorum acceſſus ad eos fieret, ecce, nata eſt invidia, & hæc novum atque inauditum nomen *Pietiſmi* effinxit, eiuſque culpam in virum

rum

rum tranſtulit innocentem. Hoc autem telum ei non nocuiſſet, niſi alia fuiſſet cauſſa mutandæ ac deſerendæ præſentis ſtationis. Vbi opportune intervenit ſereniſſimus Elector brandenburgicus, qui fama Speneri, tanquam inſignis theologi, motus, eum expetivit in præpoſitum & inſpectorem ad D. Nicolai in inclyta urbe berolinenſi, itemque conſiliarium conſiſtorialem: nec difficulter obtinuit. Novis hiſce muneribus præfuit vir optimus more ſolito, egregio videlicet exemplo, & magna cum utilitate: quamquam non ſine adverſis; donec exhauſtis viribus, ac debilitata viſione, piam animam Deo reddidit anno 1705. ætatis 70. Hæc hactenus petivimus ex *ipſius* Curriculo vitæ, quod additum eſt *Blanckenbergii* concioni funebri, in memoriam Speneri habitæ Berolini. Cui addere, ſi libet, poteris Io. Henr. *Reitzii* Hiſtoriam regenitorum P. V. p. 307. Inter libros eius, quorum catalogus, cum elogiis celebrium Doctorum, *Carpzovii*, *Alberti*, *Pfeifferi*, *Mayeri*, & *Schelgvigii*, quibus Spenerum celebrarunt, ſubiunctus eſt eius Concionibus de tentationibus, eminent Euangelica doctrina fidei, Euangelica vitæ officia, Solatium fidei, Reſponſa theologica, tam latina, quam germanica, Conciones in Io. *Arndii* tres priores libros veri chriſtianiſmi, & Genealogica atque Heraldica. Quid dicam de eius oppugnatoribus? Notiores illi ſunt, quam ut opus ſit nominatim recenſere: neque tantum contra vivum omnem moverunt lapidem, ſed & mortuo leoni inſultarunt, atque inſultare pergunt, ita tamen, ut non deſint ſtrenui eius defenſores, & ſinceræ pietatis, minime autem abſurdi atque nefandi pietiſmi, fortes & imperterriti vindices. Alia etiam præſtantis viri encomia deſideras? A Sever. Walth. *Slutero* in Dedicat. Catechiſmo præmiſſa p. 9. vocatur ſincera pietate & magna eruditione paſſim celebris; a *Schurzfleiſchio* Epp. arcan. T. I. 490. vir moderatus, & p. 498. is, qui Wittebergæ & in aula (dreſdenſi) ſummopere colitur, & cuius conciones quaſi oracula æſtimantur, paſſimque deſcribuntur; a *Calovio* in Conſilior. theolog. latinor. P. II. 171. nihil a Scriptura vel libris ſymbolicis alienum in ſcriptis ſuis habens; a *Tollio* Epp. itinerar. p. 68. vir admiranda eruditione pariter ac pietate excellens; atque a Collectoribus *Actorum eruditor.* A. 1685. 328. vir Dei; & A. 1690. 450. polyhiſtor æque, ac theologus conſummatiſſimus. Quibus adiungi poſſunt *auctor des abgefertigten*

fertigten Antiſpeneri, *Breithaupt* Præfat. Inſtitut. theolog. *Acta hamburgenſia* T. I. 314. C. *Schüz* Infel. laq. diab. 22. *Fœrtſch* de ſtatu controv. circa notit. in irregen. 140. Nec prætereundum, quod *Schurzfleiſchius*, nec heterodoxus, nec impius, ſcribit in Epp. arcanis T. II. 61. *Speneri pietas nova ſectæ nomen fecit. In circulis* (ita ille pergit) Pietiſtas *vocant homines*, *ut mihi affirmant*, *non rixoſos*, *malos*, *ſed doctrinæ meliorumque litterarum oſores*. Videamus autem hac occaſione, quo alii Pietiſtas modo definiant. Nimirum D. I. F. *Mayero* in Diſp. de pietiſta per Status euangelicos accuſato & damnato, A. 1700. Hamburgi habita, *pietiſta* dicitur *homo in externa eccleſia lutherana communione degens, fanaticis favens erroribus, pietatem callide ſimulans, illam autem per phariſaicum aliorum contemtum, & odium internecinum erga diverſa ſentientes exercens, atque libellis famoſis pietatem ſuam vel defendens, vel, ut ita defendatur, cum impedire poſſet, permittens*: in Præf. in Præmonitionem (Warnung) contra M. Franckii Obſervationes biblicas): (4 eſt *fanaticus, qui ſub ſpecie pietatis animas ſeducit, aut ſe ipſum patitur ſeduci*: & in Narratione (Bericht) de pietiſtis (etiam apud *Dippelium* p. 1057.) eſt *fanaticus*, *qui ſub pietatis ſchemate puram ac veram religionem chriſtianam perſequitur*, *ſanctiſſimum eius fundamentum*, *& inde derivatas doctrinas*, *nec non laudabiles*, *verbo divino conformes*, *ſummeque neceſſarias conſtitutiones ſubvertit*, *in eccleſia cunctis hæreticis fores pandit*, *eorum partes ſuſcipit ac defenſionem agit*, *cuivis libertatem quidvis ſentiendi permittit*, *ſua autem hypocriſi pauperes animas incantat*, *ut in conſpectu apertorum falſorum & fraudum*, *ad inſtar idolorum ethnicorum*, *oculos habeant*, *nec tamen videant*, *aureſque habeant*, *nec tamen audiant*, *ſeductorum autem ſuorum veſtigia accurate premant*, *cum iiſque ad æternam damnationem celeri pede properent*: D. Io. *Fechtio* Præfat. in Dorſchei Comment. §. XII. eſt *talis*, *qui pietatem per media, fanaticis hominibus propria*, *ſpretis theologorum antiquiorum & orthodoxorum curis & laboribus, promovere ſatagit*: D. F. V. *Calixto* in Declar. libro paterno de Toler. Reform. præmiſſa, §. 62. *ille*, *qui pacem in fronte*, *& pietatem in ore gerit*, *qui extra quidem hominibus apparet iuſtus*, *intus autem plenus eſt hypocriſi & iniquitate*: D. Io. Henr. *Feuſtkingio* Præfat. in Narrationem Miniſterii tripolitani, cum qua & D. Chriſtoph. *Sonntagius* facit de Fanaticiſmo p. 14. & Coroll. IV. Diſputationis de illicita librorum ſymbolicorum abrogatione, eſt *ſectarius*, *qui præ ſe fert inſtaurationem prolapſi chriſtianiſmi*, *& promotionem*

tionem pietatis, & tamen omnis generis caroloſtadicas, anabaptiſticas, ſchvvenckfeldicas, & vveigelianas doctrinas invehit, libertiniſmo viam ſternit, & totam religionem chriſtianam penitus evertit. Iam ſi haſce pietiſtæ definitiones ad doctiſſimum religioſiſſimumque Spenerum velis transferre, eique adplicare, quid aliud, quæſo, ageres, quam

Humano capiti cervicem pictor equinam
  Iungere ſi velit, & varias inducere plumas,
Vndique collatis membris, ut turpiter atrum
  Deſinat in piſcem mulier formoſa ſuperne?

Ac bene habet, quod D. Io. *Fechtius* l. c. addit: *Non omnes* Pietiſtæ *ſunt, qui hoc nomine traducuntur, nec omnes* Fanatici, *quibus fanatica obiectantur opiniones. Vera nonnunquam pietas iſthoc nominis probro convellitur, & iubetur ire in exilium.* Si qui ſunt pietiſtæ improbi atque abſurdi, Spenerus certe talis non fuit. Henricus *Lyſius* autem, S. theol. D. & profeſſor regiomontanus, in Prooemio Synopſeos controverſiarum p. 29. qui pag. 1. Spenero laudem tribuerat magni eccleſiæ Chriſti theologi, cuius & cineres unusquiſque γνησιος lutheranus veneretur, quaſi telum retorquens, hanc format definitionem: *Pietiſmus eſt nomen, quo homines improbi his temporibus ſtudium ſacrarum literarum & veræ pietatis, hominibus incautis & credulis ſuſpectum reddunt, eosque ſub ſua auctoritate, tanquam novo papatu, captivos retinent.* Vel etiam hac ratione: *Pietiſmus eſt monſtrum horrendum, informe, ingens, quod in phantaſia hominum, vanam orthodoxiæ gloriam captantium, veram autem pietatem contemtui & odio habentium, oberrat, eosque ita infatuat, ut, quamprimum quidquam ſolidi de illuminatione, regeneratione, ſanctificatione, conſervatione in gratia divina, abnegatione ſui, nova obedientia &c. vel audiunt, vel legunt, mox furibundorum inſtar exclamitent de hæreſi, quam ſomniantes prævidere ſe credunt.* Sed nos quidem hanc diſputationem non facimus noſtram, atque inſtituti noſtri ratione habita in recenſendo pergimus.

CXLI.

Phil. Iac. SPENERI Aufrichtige Vbereinſtimmung, Ingenuus conſenſus cum Auguſtana confeſſione. Francofurti ad Mœnum 1695. Quo ſe, ſinceramque doctrinam ſuam defendit contra

contra vitembergenſium Doctorum, Io. *Deutſchmanni*, Caſp. *Laſcheri*, Phil. Lud. *Hannekenii*, & Io. *Neumanni* Chriſtiano-lutheranam oſtenſionem, quam vocant Chriſt-lutheriſche vorſtellung, conſenſum cum omnibus articulis Auguſtanæ confeſſionis ſuum oſtendit, atque in Præliminaribus de theologia in genere, auctore aliisque cauſſis veræ theologiæ, de eccleſia eiuſque doctoribus & methodis docendi, de ſcriptura ſacra, de libris ſymbolicis, atque in primis Aug. confeſſione, deque ſuis ipſius ſcriptis tractat. In Præfatione percurrit auctor Præfationem adverſariorum ſuorum, ad capita accuſationis reſpondet, propoſitum ſuum indicat, & de hoſtium iniquitate conqueritur. Conſenſui ſubiungitur Appendix contra D. Io. Bened. *Carpzovium*, lipſienſem, & D. Io. Frid. *Mayerum*, hamburgenſem theologum, qua reſpondet ad illius ultima Programmata feſtalia, atque ad huius Antiſpenerum.

AMICI Spenerianæ innocentiæ (Eines freundes der Speneriſchen unſchuld) refutatus Antiſpenerus. Francofurti 1695. In quo eadem argumenta, quæ Spenerus in Appendice prædicta ſolverat, excutiuntur, ac præterea adduntur præſtantium theologorum pro Spenero teſtimonia, videlicet ipſius Io. Bened. *Carpzovii*, Valent. *Alberti*, Aug. *Pfeifferi*, Io. Frid. *Mayeri*, & Samuel. *Schelguigii*.

Phil. Iac. SPENERI Freudiges gewiſſen, Læta conſcientia contra D. Sam. *Schelgvigii* iniquas aggreſſiones. Berolini 1695. Exponit verba prophetæ Ieremiæ c. 15, 10. eaque, ſicut & illa c. 20, 11. ad ſe adplicat, ac dolet, perverſum morem cœpiſſe cum ſæculo XVII. quo illi, qui pietatem ſectati ſunt & commendarunt, in ſuſpicionem papiſmi & weigelianiſmi pertracti ſint.

EIVSDEM Fructus lætæ conſcientiæ. Berolini 1695. Contra eundem *Schelgvigium*, eiusque Brevem repetitionem veritatis euangelicæ, & Imperterritam conſcientiam. In quo inter alia agitur de pietiſmo & pietiſtis, Commiſſione lipſienſi, de viva & mortua fide, de neceſſitate bonorum operum ad ſalutem, de perfectione, de euangelica επιεικεια, de obſervatione præceptorum divinorum, de editione Iudicii lipſienſis, &c.

SPE-

SPENERI Gewiſſens-rüge, Suſcitabulum conſcientiæ ad D. Sam. *Schelgvigium* ſuper eius Itinerario antipietiſtico. Cum appendice contra D. Io. Bened. *Carpzovium*, & D. Phil. Lud. *Hannekenium*. Berolini. anno (qui quidem omiſſus eſt) 1696. Oſtendit, Schelgvigium in illo ſuo libro multa contra caritatem & iuſtitiam protuliſſe, viros chriſtianos nomine Pietiſtarum oneraſſe, ſibique, & *Scharfio*, *Zollero*, *Schadio*, *Zellero*, *Zeiſio*, *Breithaupto*, *Antonio* & *Franckio* iniuriam intuliſſe. In Appendice autem defendit ſe adverſus *Carpzovii* Diſputationem de iure decidendi controverſias theologicas, & *Hannekenii* Epiſtolam, diſputationi de baptiſmo primarum chiliadum ad Chriſtum converſarum additam: & hac occaſione de duplici pœnitentia & contritione, ac de qualitate veræ contritionis diſputat.

EIVSDEM Duplica ad D. Val. *Alberti* Replicam. Francofurti 1696. In qua ſermo eſt de erroribus & ἀταξίαις, quæ ſic dictis Pietiſtis tribuuntur, maximeque de altioribus gradibus ſanctitatis.

EIVSDEM Eilfertige vorſtellung, Feſtinata oſtenſio contra D. Sam. *Schelgvigium*. Halæ 1696. Hoc agens: illum in Pietiſmo ſuo ſectario contra eos, quos eius poſtulaverit, nihil ſectarii protuliſſe, atque in aliis etiam accuſationibus turpiter ſuccumbere.

ANONYMI Lutherus redivivus. Halæ 1698. Oppoſitus *Wittebergenſium theologorum* Chriſtiano-lutheranæ oſtenſioni, ita ut omnes huius accuſationes XXX. dialogis refutentur, atque oſtendatur, Lutherum idem, quod Spenerus, docuiſſe. Præfationem concinnavit *Spenerus*, in eaque *Lutherum* laudat a VII. donis Spiritus ſancti, quæ in eo refulſerint, videlicet excellenti eruditione, præclara eloquentia, laborum tolerantia, eximio amore erga Deum & homines, vita inculpata, fide ſumma & extraordinaria, ac læta patientia. Præſtantiam vero reformationis, per ipſum tentatæ ac peractæ, vel exinde cognoſci, quod ſeptemgeminis papatus corruptelis (quæ ſint nimia Papæ, ſub eoque ſacri ordinis poteſtas, prohibitio lectionis S. ſcripturæ aliorumque librorum ad laicos, chriſtianæ doctrinæ offuſcatio, cumque erroribus commixtio, uſus latinæ, atque adeo ignotæ linguæ in cultu divino,

perverſio doctrinæ & uſus ſacramentorum, obſtaculum practicæ pietatis, & veri nominis bonorum operum per ordinem eccleſiaſticum) obviam iverit, eaque correxerit, tandemque profitetur, ſe nemini, qui de novo ipſum aggreditur, reſponſurum, ſed vices ſuas aliis commiſſurum eſſe. Simile huic ſcriptum, aliquo ſaltem modo, eſt Io. Vlr. *Schwentzelii* Lutherus Speneri præambulo, Berolini 1719. 4. de quo Collectores *Narrat. innoc.* A. 1719. 664.

CXLII.

Io. REINBOTHII Ausführlicher Beweiſs, Solida demonſtratio, Theodori *Bergii* ſive Iodoci *Keddii* Civitatem ſolis, quam Eccleſiæ auguſtanæ confeſſionis oppoſuit, utopicam, e contrario hanc in verbo Dei & unanimi conſenſu Patrum fundatam eſſe. III. volumina. Sleſvici 1652. Neque vero tantum Civitas ſolis hic refutatur, ſed duplex etiam Tractatus latinus & germanicus, quem *Keddius* ieſuita, Theodorum *Bergium* ſimulans, ſereniſſimo obtulit *Friderico*, Duci Holſatiæ. Atque hoc opus ſcripſit *Reinbothius* non ſuo conſilio, ſed iuſſu & auctoritate celſiſſimi Domini ſui, negans, ſibi alias placere concertationes & diſputationes. *Dannhauerus* autem, ægre ferens, in Parte II. p. 61. ab auctore ſtatui, omnes articulos fidei neceſſarios contineri Symbolo apoſtolico, huius dogmatis cauſa refutare eum conatus eſt im Wohlverdienten ſchulrechte. Primum volumen huius operis conſtat duabus Partibus, quarum priore agitur de nomine Civitatis a *Keddio* exſtructæ, an noſtra eccleſia ſit accuſatrix, & an non eum, qui in rebus fidei aliquid adfirmat, probare oporteat? de methodo diſputandi in rebus fidei: de quieta poſſeſſione doctrinarum pontificiarum: & reſpondetur ad XII. propoſitiones, ſeu potius quæſtiones; poſteriore de ſanctitate romanæ eccleſiæ, & Pontificis ſummi monarchica in univerſum Chriſtianorum cœtum poteſtate. In ſecundo auctor argumentum hoc ulterius perſequitur, & in tertio oſtendendum ſibi ſumit, Pontificiorum dogmata ſpecialia, quibus ab aliis Chriſtianis diſtinguuntur, neque in SS. litteris, neque in antiquitate eccleſiaſtica fundata eſſe. Et ſicut ſecundo volumini addita eſt Solida demonſtratio, quod auctor Keddii Civitatem ſolis, & XII. Propoſitiones Speculi fidei vere & ordine confutaverit, *Keddius* autem falſis, fraudibus & loquacitate in ſua oppugnatio-

ne

Digitized by Google

ne (in ſeinem Sturm) uſus fuerit; ita tertio adiungitur Reſponſio ad XV. inſignes quæſtiones religionis, ab illuſtri quadam perſona (inſtructa, ut videtur ab ipſo P. Keddio: nam ſtilus, modus tractandi, & argumenta cum eius ſcriptis plane conveniunt) propoſitas. Sleſvici 1656. Ne autem ignoretur, quænam ſint, non pigrabor eas huc adſcribere: 1. An talia dogmata, & talis eccleſia, qualis eſt Lutheranorum, tempore nativitatis Lutheri, fuerit in orbe. 2. Quonam ſpeciali argumento probari poſſit, quod penes ſolos Lutheranos ſit vera Chriſti eccleſia, vera ad miniſterium eccleſiaſticum vocatio, efficax adminiſtratio ſacramentorum, & vera interpretatio Scripturæ. 3. Quomodo probent ubiquitatem corporis Chriſti. 4. An de controverſiis theologorum helmſtadienſium & ſaxonicorum poſſit ferri ſententia, quæ omnem oppoſiti formidinem excludat. 5. de *Lutheri* vocatione. 6. Cur noſtri ſacerdotes non adeant terras infidelium, eosdem convertendi cauſſa. 7. Cur non revertamur ad eccleſiam romanam, quum tamen ei *Lutherus* veram Scripturam, verum baptiſmum, miniſterium clavium, & cetera attribuerit. 8. De auctoritate Patrum eccleſiæ. 9. An communio ſub utraque a Chriſto ſit præcepta. 10. De cultu angelorum & imaginum. 11. De miſſa. 12. De præſentia corporis Chriſti in S. cœna. 14. De *Lutheri* inconſtantia, violatione voti monaſtici, ac tentationibus ſatanicis. 15. Cur noſtri Doctores Pontificiis tot affingant dogmata, quæ tamen ipſi non tradant?

Io. *Reinboth*, Altenburgo-miſnicus, in ſalana *Stahlii*, *Slevogti*, & *Dilherri*, in roſtochienſi Io. *Quiſtorpii*, in hafnienſi Caſp. Er. *Brochmandi* diſcipulus, quamvis ab hoc ultimo laudatus eſſet, ut in controverſiis theologicis verſatiſſimus, philoſophus exercitatiſſimus, & a litteratura meliori inſtructiſſimus, plura tamen diſcendi deſiderio adeo flagravit, ut in Bataviam & Angliam proficiſceretur, & quæ ſibi poſſent uſui eſſe, probe obſervaret. Magna igitur eruditionis ſuppellectile inſtructus, & vera pietate, ſine qua illa ſordet ac fœtet, ornatus, quum rediiſſet, haud diu talentum eius ſine lucro quievit: primum enim flensburgenſis paſtor, & vicinarum eccleſiarum præpoſitus, regiique Conſiſtorii director, deinde eccleſiarum diœceſeos hatterslebienſis ſuperintendens atque eccleſiaſtes aulicus regius, tandem conſcenſo prius gradu docto-

 rali,

rali, eccleſiarum Ducatus sleſvicenſis ſuperintendens generalis, concionator aulicus, & diœceſeos gottorpienſis ac huſumenſis conſtitutus eſt, omnibuſque in muneribus fidem atque induſtriam, ut decebat, adhibens, ad cæleſtia abivit anno 1673. ætatis 64. E ſcriptis autem eius commemoranda nobis ſunt ſequentia: Diſputatio inauguralis de Catecheſi veterum, Commentarius in IV. priora capita *Hoſea*, Apologia contra calumniam, ipſum facere cum Socinianis, & viam ſternere ad atheiſmum, alia Apologia cum Refutatione Vermis diſputatorii D. I. C. D. & Præfationes in Ad. *Olearii* Itinerarium perſicum, atque in Andr. *Lonneri* Catechiſmum. *Witte* Memor. theol. 1781.

CXLIII.

Io. FABRICII Prælectiones, ſeu, ut alter titulus habet, Syſtema theologicum, editum cura & ſtudio *filii* cognominis. Altorfii 1681. Enim vero tractantur hoc in opere loci de Scriptura S. Deo, creatione & providentia, libero arbitrio & converſione hominis ad Deum, peccato, lege & euangelio, iuſtificatione & bonis operibus, diſcrimine V. & N. T. eccleſia, ſacramentis in genere, baptiſmo, S. cœna, pœnitentia, prædeſtinatione, cultu invocationis, magiſtratu civili, coniugio, & libertate chriſtiana. Hic liber ſæpius deſcriptus fuit, etiam ab eruditis viris, immo & ab ipſo D. Georgio *Königio*, iam ſene, & auctoris collega, antequam ederetur. Et laudat eum *Omeis* in Gloria acad. altorfinæ p. 33. ipſe autem auctor, ut poſteriores cogitationes ſunt meliores, adverſariis ſuis hæc inſeruit verba: *Lectiones mea altorfinæ, clarorum virorum teſtimonio haud deſtitutæ, meo iudicio pertinent ad egena & infirma elementa mundi.* Et ego quidem multos in eo errores obſervavi; attamen illum, reſpectu aliorum, bonum & laudabilem eſſe librum, negari nequit: proponit enim non tantum dogmata, ſed etiam hiſtorica & controverſias. Vt adeo inde theologus bene formari poſſit: & Io. Conr. *Dürrius*, auctoris quondam diſcipulus, eo uſus eſt ad inſtar locorum comunium, in eumque retulit, quidquid in theologicis legiſſet; ad eum quoque ſolebat, ut ipſe mihi dixit, accurrere, quoties vel docendum, vel conſilium aut iudicium dandum, vel diſputatio conſcribenda ipſi erat. Præmittitur etiam Memoria auctoris, a prædicto ſcripta *Dürrio*.

EIVS-

EIVSDEM Commentatio de bonorum operum ad ſalutem neceſſitate. Helmſtadii 1709. Quæ pars eſt Syſtematis, ac pertinet ad Locum de Iuſtificatione: omiſſa autem certis de cauſſis in editione altorfina. Auctor, conſtituto ſtatu controverſiæ, atque expoſitis ſubiecto & prædicato, oſtendit, ſententiam de B. O. neceſſitate ad ſalutem non eſſe improbabilem, quin immo veram & Scripturæ conformem, & auctoritate Noſtratium confirmatam. Atque ego in Præfatione omnem ſiniſtram interpretationem, aut pravam ſuſpicionem removeo, dicens, me propoſitionem illam non ut pomum eridis proponere, & aliis obtrudere, aut ipſum ea uti, temereve utendam ſuadere, ſed dextrum duntaxat eius ſenſum cum auctore monſtrare velle, atque ſic præeuntes ſequi *Chemnitium*, *Glaſſium* & Io. *Muſaeum*.

Io. *Fabricius*, natus Noribergæ, Ioannis paſtoris ſebaldini filius, Io. Baptiſtæ paſtoris fürthenſis nepos, Ioannis paſtoris apud Noribergenſes laurentiani pronepos, adoleſcentibus præcocibus, atque in prima ſtatim iuventute magnos litterarum profectus conſecutis adnumerandus, fuit primum Altorfii eccleſiæ miniſter, & in academia profeſſor theologiæ, deinde in urbe noribergenſi paſtor ad D. Mariæ, vir pius, integer, amator veri, moderatis addictus ſententiis, ſolideque doctus, & paſſim a clariſſimis theologis & philologis amatus, magnique, ut ex illorum litteris & ſcriptis patet, æſtimatus, ſubitam tandem, ſed honorificam ſenſit mortem, dum in concionis, quæ ipſi A. 1676. die 26. Aprilis habenda erat, tractatione apoplexia correptus, eopſe die & dicere & inter mortales vivere deſiit, anno ætatis 58. atque ita opere adimplevit, quod epiſcopo faciendum pronuntiavit *Iuellus*, celebris quondam Anglorum præſul, epiſcopum oportere concionando mori. Laudatur a *Durrio* in Memoria, & in Compend. theol. moral. 263. atque in Annot. ad libb. normal. Noriberg. 30. Conr. *Horneio* (*) in litteris ad L. F. Behaimium, A. 1648. Eid. Maii ſcriptis

(*) *Quodſi etiam Magnificentia tua patitur, valde oro, ut Dn. M. Iohannem* Fabricium *ſibi commendatum eſſe velit, & pro pietatis ſtudiis adverſus hoſtes noſtros decertantem auctoritate ſua, ubi opus eſt, tueri: eſt enim doctiſſimus & magnæ virtutis, cum talem*

ptis, Io. Hier. *Imhof* in Dialogis p. 27. M. S. *Grabe* in Vrb. Regii Form. c. l. p. 44. Phil. a *Limborch* (**) in litteris ad I. C. Feuerlinum, A. 1683. d. 27. Iul. datis, *Titio* Oſtenſ. ſummar. 142. *Daumio* Epp. P. l. 104. I. A. *Fabricio* de clar. Fabriciis 48. & *Omeiſio* in Glor. acad. altorf. 34. nec non in claris Norimbergenſibus 38.

CXLIV.

Ioan. Conradi DÜRRII Compendium theologiæ moralis. Altdorfii 1698. Editio tertia, cum Annotationibus auctoris, poſt eius obitum collectis, D. Io. Mich. *Langii* Diſſertatione prœmiali de origine & progreſſu theologiæ moralis ſyſtematicæ, & tractatuum, diſputationum & aliorum opuſculorum Dürrianorum Catalogo. Omiſſa tamen eſt, ut in multis fit editionibus iteratis, elegans, lectuque digna ſcriptoris Epiſtola dedicatoria ad Guntherum *a Griesheim*, Ducis Saxoniæ a conſiliis aulicis & conſiſtorialibus. Ipſum autem Compendium laudatur a Io. *Oleario* Introduct. in Theol. caſiſt. p. 50. & vocatur libellus elegantiſſimus.

Pag.

talem ſemper deprehenderim. Cui *Behaimius* reſpondit: *Dn. Ioh.* Fabricius *iampridem mihi meisque Dominis Collegis ita ſuam probavit induſtriam, ut optemus, Profeſſores omnes ei eſſe ſimiles.*

(**) *Poſt diſceſſum tuum a nobis illam mei apud te remanſiſſe memoriam, ut me literis compellare, quin & munere ſplendidiſſimo, Ioh.* Fabricii *Prælectionibus theologicis honorare volueris, non poteſt non mihi eſſe gratiſſimum. Doctiſſimi* Fabricii *Prælectiones obiter percurri, intra paucos dies eas reſumturus, & cum cura a capite ad calcem perlecturus. Vbique non tantum ſolida eruditionis documenta occurrunt, ſed & benignioris ac mitioris de diſſentientibus iudicii teſtimonia. Non inſurgit in nos aliorum inſtar rigidiorum Theologorum: iudicium ſuum de nobis promit, ſed ſine acerbitate; quin & in plurimis admodum benigne. Loquendi formulis præter Scripturæ phraſin in Eccleſia receptis neminem alligatum cupit, modo rem ipſam teneat. Qua æquitate utinam omnibus ſeculis Doctores uſi fuiſſent: plurimi in Eccleſia motus & certamina, vel ipſis gentibus pudenda, præcaveri potuiſſent.*

P. 12. Fore compenſationem bonorum operum in vita æterna, nempe gratuitam: non autem ſequitur, *ipſam vitam æternam eſſe mercedem proprie ſic dictam.*	Neque tamen negant, *ex gratia Dei* provenire illam mercedem. *Concil. trid.* Seſſ. VI. c. 16. & can. 32. item Seſſ. XIV. c. 8. *Walenburchii* Tomo II. 608. Gul. *Forbeſius* 207.
20. In conciliis *Milevitano* & *Arauſicano.*	*Milevitano* II. ſæc. V. & *Arauſicano* II. ſæc. VI. Videatur *Cave* P. II. 92. 117.
27. Patres Concil. *Milevitani.*	*Milevitani* II.
48. Ipſe etiam Vorſtius in epiſtola ad Caſaubonum fatetur, *obſcurius interdum & intricatius* a ſe quædam de iſtis afferri.	Verba hæc ſunt p. 288. in Epp. præſtantium Virorum: Fateor, obſcurius interdum & intricatius *in ipſa diſquiſitione*, ſub perſona *præſertim opponentis*, a me quædam de iſtis afferri; ſed quæ prudenter a meis aſſertionibus *ſecerni*, & tandem *ex deciſione finali*, iuxta canonem candoris ac charitatis, æſtimari debebant.
60. Charitas erga Deum perfectiſſima eſt, ſi eius ratio formalis obiectiva ſub qua ſit *natura Dei*, in ſe diligibilis.	Conſideratio naturæ divinæ efficiet quidem, ut homo tantam excellentiam ac perfectionem ſummopere admiretur, quin etiam eius formidabilem potentiam pertimeſcat, ſed ut eum diligat, vix efficiet: diligitur enim Deus fere *propter ingentia beneficiorum ſuorum*, ac in ſpecie creationis & conſervationis, redemtionis per Chriſtum, & ſanctificationis flumina, atque ob ſpem vitæ æternæ.
61. Ille qui Homilias ſcripſit Auguſtino vulgo attributas, *homil.* IX. tomo X. p. 431.	Homilia IX. *de Tempore*: quæ creditur eſſe *Bernhardi*, p. 94. b.

Pag.

Pag. 69. Rittershuſio Comment. ad Salvianum *pag.* 29.	*Pag.* 27.
70. Tertulliano lib. de Corona *militis.*	*De corona.* Nam etſi ab militis cuiusdam facinore Septimius occaſionem ſcribendi ſumſerit, tamen haud ſolos milites, ſed omnem omnino chriſtianum ab coronæ geſtamine depellit. *Rigaltius* in titulum huius libri, p. 100.
76. Naaman Syrus 2. Reg. 5, 15. *Regi* ſuo non dubitavit *conſuetum miniſterium in templo idololatrico Rimmon præſtare*, etſi iam voto ſe obſtrinxerat, ſe non ulli alteri, quam vero Deo Iſraëlis ſerviturum.	Alii non de futuro, ſed *de præterito* exponunt, ut Io. *Saubertus* pater im Geiſtlichen præſervativ p. 45. 53. & *Epiſcopius* T. I. Opp. b. 59.
93. Hackſpan. *Diſp.* de nomin. Dei.	*Diſp. I.* de nominib. Dei.
95. Teſte Tertulliano in apologet. *cap* 31.	*Cap.* 32.
107. Verior ſententia eſſe videtur, *filiam a Iephtha mactatam*, & Domino ſacrificatam eſſe.	Sententia iſta *reiicitur a Sauberto* Operum poſtumorum p. 107.
125. Enthuſiaſtæ ſive Quakeri voluntatem Dei *non per externam prædicationem verbi*, ſed per interius a Spiritu S. immiſſum alloquium addiſci debere contendunt.	*Non ſumus Scripturarum denegatores ſeu contemtores.* Rob. *Barclaius* Apol. theol. chriſtianæ p. 3. 36.
130. *Autor lib.* de Rectitud. cathol. converſat.	*Eligius*, epiſcopus noviomenſis. Vide *Cavium* Hiſt. lit. 174. & *Olearium* T. I. 219.
Autor libri de iis, qui myſteriis initiantur.	*In Tomo IV. Ambroſii.* Guil. *Cave* 150. *Du Pin* T. II. Biblioth. eccl. p. 269.
133. Id quod nec ipſi *Patres Tridentini* diffiteri potuerunt.	*Seſſ.* XXII. p. 245.

Adde

Pag. 143. Coniugium eſt honorabile *in omnibus* (non tantum *modis*, ſed etiam *ætatibus*, & *omni tempore*)	Adde: *Denique inter omnes.* Quod quidem poſtremum, ait ibidem *Eraſmus*, mihi maxime probatur.
145. *Nimia feſtorum multitudine* in Eccleſia pontificia animi ſimpliciorum diſtrahuntur & onerantur.	*Eandem improbat Eraſmus* apud Colomeſium p. 526.
161. Pontificii *infallibilitatem Papæ Rom.* & alia *ſub ſalutis periculo credenda* perſuadere hominibus conantur.	Doctrina de infallibilitate Papæ *non eſt Eccl. rom. neque articulus fidei.* Vide *Compend. Regula fidei* cathol. Veronianæ p. 20. 23.
162. Apud Pontificios *Aqua luſtralis* ſeu benedicta creditur habere *virtutem delendi peccata venialia*, & *Agnis Dei vis purgandi æque peccata*, ut Chriſti ſanguis purgat, aſſignatur.	Non per ſe, ſed *vi orationis & benedictionis* ſuper ipſis pronunciatæ. Pet. *Wittfelt* Theol. catechet. lib. III. 52.
184. Caſuale homicidium certis pœnis eccleſiaſticis ſubiectum fuiſſe, diſcimus *ex Conciliis Ancyrano & Nyceno.*	Ex Ancyrano quidem *A. 314. habito*, ſed *in Niceno*, ſive primo ſive ſecundo, *nihil huius reperies.*
192. *Licite occidere etiam privatus poteſt* eum, a quo inique & animo occidendi invaditur.	Si id faciat *non animo occidendi*, ſed dum ſui defenſionem intendit. Eximius autem patientiæ & amoris actus foret, ſi quis, *ut alterius ſaluti conſulat*, ſponte vitam ſibi ab invaſore adimi permittat: quem ſicut damnare nolim, ita neceſſarium eſſe neutiquam credo. *Epiſcopius* Opp. T. I. b. 28. *A Limborch* Theol. chriſt. lib. V. c. 36. p. 505. G. P. *Rottenbeck* diſput. de quæſtione: Vtrum vir pius, ac de ſalute ſua certus, in caſu neceſſitatis,

tis, cædem ab iniuſto invaſore ſibi intentatam, perpeti potius, quam inferre illi debeat.

Pag. 193. Lex divina ſapienter diſtinguit inter furem nocturnum & *diuturnum*, Exod. 22, 2. Nam ille *iuſte interemptus cenſetur, quia præſumitur cum telo venire.*

Inter furem nocturnum & *diurnum*. Neque tamen vel conceditur, vel permittitur, ne dum probatur, multo minus mandatur, ut occidatur talis, aut occidendi animo percutiatur; ſed tantum pœnæ ſubducitur divina indulgentia is, qui animo abigendi, aut ſe ſuaque defendendi, & ex ira durius forte, quam vellet, atque ita invaſorem percuſſit, ut inde moreretur. *Epiſcopius* T. I. 2. 108.

99. 200. Licitum & legitimum bellum eſt, quod infertur barbaris, ius naturæ immaniter violantibus, puta, homicidia, furta, adulteria impune patrantibus, item humana carne veſcentibus, in parentes iniuriis, non tantum quod *Deus ipſe in V. T.* populos nefandorum criminum reos Iſraëlitis puniendos tradidit, ſed & quia tales homines, omni rationis uſu exuto, *in belluas degenerarunt.*

Rationes iſtæ non ſunt ſufficientes, quia Chriſtiani a Deo non habent eiuſmodi mandatum; immo inter ipſos, ſi verum fatendum eſt, multi in belluas degenerarunt. Neque bellum eſt iuſtum medium homines convertendi. *Eraſmus* in Adagio, Dulce bellum inexpertis, & *Limborch* 589.

226. Furtum eſt ablatio *rei alienæ* occulta & fraudulenta, invito rationabiliter domino.

Rei alienæ *mobilis*. Immobilia enim alio quidem iniuſtitiæ genere, non autem furto homini eripi poſſunt. *Limborch*. 517.

Ipſa

Pag. 364. Inter fratrem & ſororem vetantur nuptiæ *iure naturæ*, non abſolute, ſed *ſub certa hypotheſi obligante*, poſita ſcilicet multiplicatione generis humani.	*Ipſa naturæ ordinatio*, qua unus tantum mas & una duntaxat femina ad propagandum genus humanum a Deo creatore conſtituti ſunt, voluit, ut frater ſibi copularet ſororem. *Conringius* apud Brucknerum Deciſ. iur. matrimon. controv. P. I. 291.
365. Multiplicato genere humano, *repugnat eius propagationi, miſceri cum eo ſanguine, qui proxime ab eodem fonte fluens* eosdem natales agnoſcit.	*Non ſemper, nec apud omnes. Conringius* ibidem.

Ioan. Conradus *Dürrius*, noribergenſis, Io. *Gravii*, *Dilberri*, *Hackſpanii*, *parentis mei*, Georg. *Kœnigii*, Io. *Muſæi*, Conr. *Horneii* & G. *Calixti* diſcipulus, *Conringioque*, *Scheurlio* & C. *Schradero* carus atque æſtimatus, Moral. & Theol. in acad. altorf. prof. ordinarius, deque me etiam ac ſtudiis meis (quod in honorem beati viri ſcribo, & cui in munere ſucceſſi) optime meritus, poëta, orator, philoſophus, & theologus percelebris, atque ideo *Titio* de Phraſibus ſcriptor. eccleſiaſt. p. 104. *Grabio* in Vita Vrb. Regii 21. Io. *Fechtio* in Faſc. ſelectar. ex univ. theol. theſium th. XII. laudatus, immo & a D. *Calovio* in Carmine quodam Orthodoxorum claſſi (qui tamen in plurimis cum Calixto faciebat) adſcriptus, atque adeo præter meritum canonizatus, catarrho apoplectico obiit anno 1677. ætatis 52. Inter ſcripta, quæ edidit, eminent Inſtitutiones ethicæ, Ethica paradigmatica, Notæ in Iſagogen *Piccarti* in lectionem Ariſtotelis, Tractatus *Socinianis* oppoſitus, Oratio de recondita veterum ſapientia, & alia de præpoſtera & impia libertate philoſophandi, præſertim in religionis negotio, oppoſita auctori Tractatus theologico politici, Memoriæ Georg. *Kœnigii*, Iod. Chriſt. *Kreſſii* ampliſſimi Senatoris noribergenſis, & Io. *Fabricii* patris mei, ac Diſputationes de præiudiciis in rebus theologicis, de Hæreticis & Schiſmaticis, de Ethnicis, Iudæis & Muhammedanis inexcuſabilibus. *Wittius* Memor. theol. p. 1955.

EIVSDEM Tractatus theologici tres, 1) Brevis commentatio hiſtorico-theologica de religione chriſtiana, in Germaniam, & ſingulatim in Remp. Noribergenſem introducta, & huc uſque conſervata. In Germaniæ quasdam partes a viris apoſtolicis, in regionem vero noribergenſem ſæculo IIX. introductam videri. 2) Iſagoge in libros normales ſeu ſymbolicos Eccleſiæ noribergenſis. 3) Obſervationes ad textum Auguſtanæ confeſſionis. Norimbergæ 1675.

Pag. 182. Chemnitius Loco de Peccato *originali* num. 4.	De Peccato *actuali*.
Actus tales indeliberatos, & mentis iudicium, voluntatisque conſenſum *animadvertentes*.	*Praevertentes*.
212. Fratres Walenburchii in Motivo IV. Erneſti Haſſiæ Landgravii c. 21. *videntur velle mitigare* aſperiorem ſuorum anteceſſorum ſententiam de opere operato.	Adferunt *ſententiam Eccleſiæ romano-catholicæ*, quæ fidem non excludit ab uſu ſalutari ſacramentorum, ſed ab eorum virtute & efficientia. Vide etiam *Eſtium* in IV. Sentent. diſt. I. Tomo IV. 7. & ipſum noſtrum auctorem p. 251.
251. *Bellarminus* lib. II. de Miſſa c. 5. dicit, Manducationem euchariſtiæ, quæ fit a ſacerdote, ut eſt ſacrificii conſummatio, prodeſſe *illis omnibus*, pro quibus ſacrificium eſt oblatum.	Omnibus, *qui recte ſunt diſpoſiti*. Vide *Bellarminum* l. c.

CXLV.

Io. PEARSONII Expoſitio Symboli apoſtolici, iuxta editionem anglicanam quintam in latinam linguam translata. Francofurti ad Viadrum 1691. Eruditiſſimus auctor, ut ipſe ait in Præfatione, extra controverſiam ponit, Symbolum hoc epitomen eſſe eorum, circa quæ fides noſtra chriſtiana verſatur; utrum vero omnia creditu neceſſaria complectatur, item an omnia veritatis capita,

capita, quæ proponit, eiuſdem & immutabilis ac abſolutæ ſint neceſſitatis, non audet definire; neque etiam id ſui eſſe officii arbitratur. Hæc autem eſt ratio inſtituti ſui, ut 1. cuiuslibet articuli verba diſponat, prout ipſorum antiquitas & generalis ſeries, ſecundum quam in Symbolum recepta ſunt, requirit. 2. ut voces quaſque ſive terminos explicet, & rectam eorum ſignificationem adferat. 3. ut oſtendat, quænam ſint illa dogmata, quæ nativa ſua proprietate in terminis ita expoſitis continentur, eaque firmiſſima eſſe concinnis argumentis & rationibus evincat. 4. ut indicet, quænam ſit neceſſitas credendi hæc relevatæ veritatis capita, quamque efficaciam ac vim influendi habeant in animum ac vitam credentis. 5. ut ſummaria quadam repetitione inſtituta, breviter argumentum cuiusvis partis exponat, quo cuivis, Symboli verba ore proferenti, conſtare poſſit, in quid animum intendere debeat, quidque ea pronuncians profiteri intelligatur. Et textui ſubiectæ ſunt eruditiſſimæ Annotationes. Omnia huius commentarii ſunt lectu digna, in primis vero expoſitio articuli de deſcenſu Chriſti ad inferos, quem non ad exaltationis, ſed exinanitionis ſtatum refert, & *Deſcendere ad inferos* idem eſſe ait, atque ex loco viventium abire, & venire in locum illum, quo detinentur animæ hominum, ob peccata mortuorum, quibus Satisfactor noſter & vivens & mortuus æquari, ſimilisve fieri voluerit. Qui, ad exemplum Matthæi *Neefii*, librum hunc in vernaculam ſuam transferentis, eundem latine reddidit, eo maiore dignus eſt laude, quo pluribus hac ratione profuit, & quo nobiliorem fœtum ſibi elegit conſervandum & circumferendum. Vide *Acta erud.* A. 1690. 541. Sique nomen Pearſonii, ut *Limborch* in poſteriori Præf. in Epp. præſtant. viror. ſcribit, vel ſolius huius doctiſſimi commentarii editione in Anglia eſt celeberrimum, quanto magis id iam dici poteſt de omnibus illis terris ac provinciis, ubi latine loquens & legi & intelligi poteſt? Librum hunc *Zephyrinus de Pace* ſive *Reſevvizius* Præfat. in Antiquo-chriſtianas cogitat. p. 2. laudat, eumque Catechiſmum vocat eruditorum, e quo etiam ſexagenarii doctorum virorum multa poſſint diſcere. Similes libri ſunt Hiſtoria Symboli apoſtolici, Lipſiæ 1706. 8. de qua *Clericus* T. XI de la Bibliotheque choiſie p. 420. & Apoſtolicum ſymbolum, Notis hiſtoricis ac criticis illuſtratum, anglice, Londini 1703. 8. de quo *Acta erud.* A. 1704. p. 53. Ccc 3 Dis-

Digitized by Google

Diſſertatio pro doctrina D. Mart. Lutheri de Miſſa, edente C. *Sagittario.* Ienæ 1687. Nimirum eſt confutatio calumniæ de colloquio Lutheri cum diabolo, quam abbas quidam in tractatu gallico A. 1684. Lutetiæ edito, qui latine verſus hic ſimul exhibetur, recoxit. Abbas autem ille nomen habet *de Cordemory*, teſte *Placcio* de anon. p. 293. Neque Sagittarius eſt auctor Confutationis, ſed, ut ipſe fatetur, vir non paucis in publicum, & ſpeciatim in rem literariam meritis illuſtris. Et quis ille? nemo alius, quam Vitus Ludovicus *a Seckendorf*, (teſte iterum *Placcio* l. c. & de pſeudonymis p. 550) cui cauſſæ fuerunt, cur nomen præſcribere nollet ſuum, ſed ſcriptum *Sagittario* edendum traderet. Exſtat etiam Frid. *Balduini* Tractatio theologica & ſcholaſtica de Lutheri diſputatione cum diabolo, edita Lipſiæ A. 1605. 8. adverſus Nicol. *Serrarium.* Et *Hoſpinianus* P. II. Hiſt. ſacrament. p. 131. b. conqueritur de calumniis contra Oecolampadium ſparſis.

Io. Phil. TREVNERI Primitiæ Auguſtanæ. Auguſtæ Vindelicorum 1708. In quibus agit de pœnitentia maximi gradus, eiuſque cauſſas, ſigna & uſum exponit. At væ capiti tuo, Treunere: nam *Relationum*, ut vocant, *innocuarum* auctores, ſcriptum hoc A. 1708. p. 626. recenſentes, magnum in fine ſuſpirium ducunt, hiſce uſi verbis: *Vtinam hac diligentius cum Libris Symbolicis contuliſſet!*

Io. Phil. *Treuner*, Schalcaviæ, Ducatus coburgici oppido, natus A. 1666. *Friſchmuthii*, *Weigelii*, *Sagittarii*, *Schubarti*, *Velthemii*, *Baieri* & *Lynckeri* (nam & iuridica ſibi audienda eſſe putavit) diſcipulus, philoſ. & theol. D. atque illius profeſſor in academia ſalana, deinde Auguſtæ Vindelicorum paſtor in templo Minoritarum, & Miniſterii euangelici ſenior, iam vero Vinariæ concionator aulicus primarius, conſiliarius conſiſtorialis & eccleſiaſticus, ſuperintendens eccleſiarum generalis, & Gymnaſii inſpector, præter alia dedit Prodromum Scrutinio ingeniorum præmiſſum, Theologiam *Luciani*, Diſſertationem de locuſtis, Clericum ad limina Principis, ac Principem ad limina clerici, virtute ac eruditione vir clariſſimus. P. *Amberger* diſp. de Auguſta litterata p. 69. *Struve* Biblioth. philoſ. 125. *Zeumer* in Vitis philoſophor. ienenſ. p. 198.

XCLVI.

Digitized by Google

CXLVI.

Io. PEARSONII Commentatio & defenſio LXX. interpretum verſionis. Cum Epiſtola Phil. *Melanchthonis* eiusdem fere argumenti. Helmſtadii 1694. M. (id eſt, Melchior) *Schmid* Præfationem addidit, in qua diſſerit de verſionis illius hoſtibus ac defenſoribus. Pearſonius autem in commentatione ſua hiſce utitur argumentis, quia utilis ac neceſſaria ſit 1. ad hebraicam veritatem probe percipiendam. 2. ad auctoritatem teſtimoniorum apoſtolicorum confirmandam. 3. ad nativum N. Tti ſtilum recte intelligendum. 4. ad græcos latinosque Patres rite tractandos. 5. ad ſcientiam linguæ græcæ, ipſamque Criticen adornandam.

Chriſtiani KORTHOLTI de variis Scripturæ editionibus Tractatus. Kilonii 1686. Qui prius editus fuerat A. 1668. nunc autem exhibetur auctior. In eo de textu divinarum litterarum originario, diverſis eius translationibus, & celebrioribus operibus biblicis fuſe agitur, quæque de Scripturarum fontibus, verſione LXXvirali, Targumim, ac latina vulgata *Bellarminus*, huiusque propugnatores Iac. *Gretſerus* & Vitus *Erbermannus* minus recte diſputant, ſolide refelluntur. In Dedicatione sereniſſimum Brunſvicenſium ac Luneburgenſium Ducem *Rudolphum Auguſtum* ob amorem litteratorum auctor comparat cum Octaviano *Auguſto*, *Philippo* Macedone, *Alexandro* M. *Iulio* Cæſare, *Hadriano* & *Antoninis*, immo illis ob divinam, quam tenet, ſapientiam eum præfert, eiuſdemque reverentiam, qua verbum Dei ſtans capiteque detecto audiat, & candorem, quo non niſi ex abundantia cordis loquatur, vehementer ſerioque laudat; in Præfatione autem rogat lectorem, ne iniquum ſe cenſorem præbeat, ſi forte, ubi de verſionibus Bibliorum vulgaribus agitur, non ſemper acu rem tetigerit. Ac notandum, auctorem noſtrum Diſputationes ſuas, *Bellarmino* eiuſque defenſoribus, *Gretſero*, qui Defenſionem Bellarmini, & *Erbermanno*, qui Bellarminum vindicatum edidit, oppoſitas tribus incluſiſſe Tractatibus, quorum primus eſt de Canone ſcripturæ S. Roſtochii A. 1665. & Kilonii 1669. alter præſens, de quo iam diximus; tertius de Lectione Bibliorum in linguis vulgaribus, Kilonii 1670. & Plonæ 1692.

1992. 4. ſolam autem primam Tomi I. bellarminiani de Verbo Dei controverſiam, & ne quidem totam abſolviſſe, nec ad ſequentes perrexiſſe. Quæ eſt *Molleri* obſervatio in Hypomnemat. ad lib. V. Tomi II. Polyhiſt. Morhof. p. 126.

Chriſtianus *Kortholt*, natus Bergæ in inſula Holſatiæ Femera, *Laurenbergii*, *Tſcherningii*, *Dorſchei*, *Maurstii*, *Quiſtorpii*, Ioan. Ern. *Gerhardi* diſcipulus, colloquiis cum *Ellernitzkio* & *Le Buiſſon*, rom. eccleſiæ filiis, habitis, ſumtoque theologiæ gradu, primum græcarum literarum in academia roſtochienſi, deinde in kilonienſi theol. profeſſor, ac tandem primus, pariterque academiæ cancellarius, a multis Principibus, ſed fruſtra, quia ſtationem in patria deſerere nolebat, expetitus, *Seckendorfio*, *Maieri* & *Spenero*, immo & *Breithauptio* Præfat. in Inſtitut. theol. Caſp. *Sagittario* Introduct. in Hiſt. eccleſ. 317. & *Mollero* de Homon. p. 400. atque Iſag. in Hiſt. cimbr. P. II. 366. laudatus, omnibuſque bonis atque eruditis laudandus, obiit quidem A. 1694. ætatis 61. ſed vivit, vivetque in ſcriptis, quorum LXXV. numerantur: & ex iis ſunt Tractatus de origine & progreſſu philoſophiæ barbaricæ, Tractatus de perſecutionibus eccleſiæ primitivæ, veterumque martyrum cruciatibus, Tractatus de calumniis paganorum in veteres chriſtianos, Aterrimus papiſmus contra T. L. (Timothei *Laubenbergeri*) Aterrimum lutheraniſmum, *Valerianus* confeſſor, huiuſque Apologia contra Chriſtian. *Fabrum*, Anti-*Frommius*, Diſquiſitiones contra *Baronium*, pſeudadelphia *Heiniana*, Epiſtola contra calumnias Steph. *Fequete* de polygamia, quaſi publice approbaretut in academia kilonienſi, & Hiſtoria eccleſiaſtica N. Tti: de qua tamen alii dubitant, immo *Niemanno* adſcribunt. *Pipping* Memor. theolog. 571. *Zum Felde* Oration. p. 208. & *Syllabus* librorum Kortholti editorum, Diſquiſitionibus antibaronianis ſubiunctus, p. 452.

Io. Frid. MAYERI Hiſtoria verſionis germanicæ Bibliorum D. M. Lutheri. Hamburgi 1701. In qua agit cap. 1. de initiis, progreſſu, & prima editione verſionis Lutheri. 2. de fide & induſtria Lutheri in transferendis Bibliis. 3. de ſecunda editione ſive recognitione verſionis a Luthero curata. 4. de diſtinctionibus capitum verſuumque, & gloſſis marginalibus. 5. de editionibus præcipuis poſt mortem Lutheri vulgatis. 6. de verſione Lutheri

Lutheri in complures alias linguas transfuſa. 7. de encomiaſtis huius verſionis. 8. de eiusdem reprehenſoribus. 9. de eius apud Lutheranos auctoritate. 10. de eius defenſoribus. Mantiſſæ loco adduntur Io. *Reükii* Epiſtola de antiquis Bibliorum verſionibus germanicis, & *Mayeri* IV. Diſſertationes, videlicet 1. de antiquiſſima germanica S. ſcripturæ verſione. 2. de verſionibus germanicis librorum ſacrorum ante Lutherum ineditis ſive MSStis, in bibliothecis deliteſcentibus. 3. de codice biblico germanico, A. 1458. manu exarato. 4. de verſionibus ſcripturæ S. ante Lutheri translationem impreſſis. Ita autem legenda eſt hæc Hiſtoria, ne M. Io. Melch. *Kraftii* Emendanda negligas, aut prætereas, impreſſa Slesvici A. 1705. 4. neque de iis tantum audias Collectores *Narrat. innoc.* A. 1706. 328. ſed etiam Ioach. *Langii* Ingenuas narrat. vol. I. P. VI. 66.

MONVMENTA pietatis & literaria virorum in re publica & literaria illuſtrium ſelecta. Francofurti ad Mœnum 1701. Conſtant II. Partibus, in quarum priore continentur 1) Frid. *Sylburgii* Catalogus librorum MSS. græcorum Bibliothecæ electoralis palatinæ. 2) Henr. *Altingii* Hiſtoria eccleſiæ palatinæ. 3) Iac. *Beyrlini* Antiqq. quædam palatinæ. 4) Chronicon lutrenſe. 5) Huberti *Thomæ* epiſtola de monte Tauno. 6) Iac. *Sturmii* Ep. de emendanda academia heidelbergenſi. 7) *Friderici* III. Electoris palat. litteræ ad varios Principes, alioſque. 8) Eiusdem colloquium cum HENRICO III. tunc Poloniæ rege. 9) Acta de Sylvano & Neuſero. 10) *Neuſeri* litteræ ad Turcarum Imperatorem. 11) Thomæ *Eraſti* & Conr. *Schoppii* Epiſtolæ. In poſteriore 1) Epiſtolæ Croti *Rubiani*, Caſp. *Vrſini*, Eob. *Heßi*, Vlr. *Hutteni*, Georg. *Sauromanni*, Iul. *Pflugii*, Mart. *Lutheri*, Viti *Theodori*, LEONIS X. pontif. max. Mich. *Noſtradami*, Chriſtoph. *Herdeſiani*, G. M. *Lingelsheimii*, Io. *Prætorii*, Io. Iac. *Grynæi*, Cl. *Salmaſii*, Io. *Dayka*, CYRILLI patriarchæ CPtani, *Rusdorfii*, Caſp. *Scioppii*, Phil. *Parei*, I. I. *Vlrici*, & Iani *Gruteri*. 2) *Zvvinglii* Acta tigurina ipſummet inter & Epiſcopi conſtantienſis Suffraganeum. 3) Efrom. *Rudinger* de Anna Burgio & Chriſtoph. *Herdeſiano*. 4) Hippolyti *a Collibus* Oratio in Comitiis varſavienſibus, eiuſdemque Memoria *Hochfelderiana*. 6) Memoria *Denaiſiana*. Dolendum autem, de quo etiam collector con-

conqueritur, tam multas in hoc opus mendas typographi incuria irrepſiſſe.

Frid. *Sylburgius*, wetteranus haſſus, agricolæ filius, ſed qui ſapiens ipſe ſibi fortunam ſcivit fingere, Laur. *Rhodomanni* diſcipulus, primum leichenſis in Comitatu ſolmenſi, deinde neuhuſiani ad urbem Vangionum ludi magiſter, ſcholaſtico autem pulvere relicto partim Francofurti ad Mœnum in wecheliano, partim Heidelbergæ in commeliniano typographeo agens, ac veterum ſcriptis, maxime græcis, emendandis atque illuſtrandis operam novans, ideoque annuo a sereniſſ. Haſſiæ Landgravio, miro plane exemplo, ex academia marpurgenſi ſtipendio donatus, nimiis tandem vigiliis, ac typographicis laboribus conſumtus, Heidelbergæ A. 1596. ætatis 60. exſpiravit lue epidemica. Habemus ab eo *Herodotum*, *Ariſtotelem*, Dionem *Caſſium*, *Saracenica*, *Etymologicon magnum*, *Iuſtinum* martyrem, *Clementem* alexandrinum, *Theodoretum*, legimuſque, fuiſſe non tantum græcæ linguæ inſtauratorem accuratiſſimum, ſed etiam virum eximium, humilem, induſtriæ incredibilis, candidumque & apertum. Melch. *Adamus* in Vitis philoſoph. p. 416. *Pope-Blount* 813. Quibus adde *Thuanum* lib. CXVII. 770. *Schurzfleiſchium* de Meritis Germanorum circa linguam græcam §. 10. Io. Alb. *Fabricium* Biblioth. gr. l. 3. c. 6. p. 168. & *Fellerum* Monument. inedit. T. I. 572.

Henr. *Altingius*, emdanus, Io. *Piſcatoris* diſcipulus, & Conr. *Vorſtii* condiſcipulus, informatione *Friderico*, Electoratus palatini heredi, poſtque ea infelici Bohemiæ regi, egregie ac fideliter præſtita, in academia heidelbergenſi conſtitutus fuit profeſſor theologiæ, atque ornatus honoribus doctoralibus: & hoc munere præclare functus, cum Paulo *Tiſſano* ad Synodum miſſus eſt dordracenam. Sed, expugnata a Tillio urbe, quum ſolum cum familia vertere cogeretur, in würtenbergicam ſe recepit ditionem, indeque Emdam, donec Groningenſes profeſſionem ei conferrent theologicam: cui ita præfuit, ut a Magiſtratu æque ac ſtudioſis laudem reportaret. Novæ etiam Bibliorum translationi, quod ad novum teſtamentum & libros apocryphos attinet, ſedulam & accuratam operam navavit, hic tandem, in ipſo die natali, denatus & locum quietis expertus anno 1644. ætatis 61. *Benthem.* de eccl.

& ſchol.

& ſchol. holland. P. II. 221. Caſp. *Sagittarius* Introduct. in Hiſtor. eccleſiaſt. T. I. 176. Opera eius poſt obitum prodierunt Amſtelodami A. 1646.

Hippolytus *a Collibus*, e nobiliſſima Italiæ familia, Pauli, religionis euangelicæ amore ex Alexandria territorii mediolanenſis in Rhætiam, indeque Tigurum profugi filius, Tiguri natus, & Frid. *Sylburgii* diſcipulus, præceptoris opinione maior evaſit: adeo enim, poſt liberiorem & diſſolutiorem vitam, ſe legum ſtudio totum mancipavit, ut Doctor creatus non tantum Baſileæ & Heidelbergæ in profeſſorum numerum cooptaretur, ſed & Baſileenſes poſtea ſyndici & conſiliarii munus ei conferrent. Inde cancellarium egit apud *Chriſtianum* Principem anhaltinum, atque ab hoc tranſiit ad Electorem palatinum FRIDERICVM IV. eique ſervivit, ut conſiliarius, ac præſes curiæ & dicaſterii, nec diu poſt ut conſiliarius intimus, & præfectus diœceſi heidelbergenſi. Multas quoque & memorabiles legationes ſuſtinuit in Angliam, Galliam, Poloniam, Belgium, atque ad præcipuos Imperii romano-germanici Ordines. Sed ecce, cum ad faſtigium virtutum & dignitatum perveniſſet, ut mortalia omnia ſunt caduca, anno 1612. Heidelbergæ febri ardente & continua (medicis de venæ ſectione, adhibenda ne eſſet, an non, diſputantibus, ipſo autem dicente: Dum vos deliberatis, ego ſecundum regulas Galeni & medicinæ morior) exſtinctus eſt, ætatis 51. Fuit vir ingenio felici, eloquentia ſuavi, iudicio acri, linguarum plurium, nec ſolum iuris, ſed humaniorum etiam litterarum & hiſtoriarum peritus, in dicendo iure prudens ac iuſtus, a donorum cupiditate alienus, taciturnus & ſecretorum cuſtos fideliſſimus, in quotidiano convictu urbanus & facetus, atque, ut paucis abſolvam, plane talis, qualem munera impoſita poſtulabant. In poſteritatis uſum ab eo edita ſunt Commentarius ad titulum ff. de diverſis regulis iuris antiqui, Princeps, Conſiliarius, Palatinus, ſive Aulicus, Nobilis, &, ſine expreſſione nominis, Harpocrates ſive de ratione ſilendi. Tantus quum eſſet Hippolytus, iure meritoque dicere potuit, quod eum ſæpe dixiſſe ferunt, præceptori quondam ſuo: *Ecce, ſi tuo obtemperaſſem conſilio, iam non eſſem, qui ſum* Tantumque abeſt, ut ex parentum ſuorum exilio & damno dolorem conciperet, aut querelis indulgeret, ut potius læto

 diceret

diceret ore: *Alii conqueruntur, ſe religionis cauſſa omnia perdidiſſe; ego vero nunquam eo dignitatis perveniſſem, niſi mea reliquiſſem.* Melch. *Adamus* in Vitis ICtor. p. 451. *Crenius* Aimadverſion. P. XIX. 24. C. *Colerus* de Studio politico (Methodorum Crenii T. III. 375.)

CXLVII.

FACVLTATIS THEOLOGICAE IENENSIS Gründlicher bericht, Solida relatio de Io. Melch. *Stengeri* heterodoxia, quam ore & calamo aliquandiu propagare, atque nunc libro calumnioſo, Palinodia Stengeriana dicto, defendere auſus eſt. Ienæ 1672. Et hic quidem Stengero attribuitur, eum corrupiſſe dogmata de ſalute hominum, differentia peccatorum, nec non legis Chriſti & Moſis, gloria propriæ iuſtitiæ, iteratione magnæ pœnitentiæ, contritione, exſtirpatione mali propoſiti, fide, & ſimilibus. In Præfatione oſtendunt Theologi & Doctores illi, qui tunc erant Io. *Muſæus*, Seb. *Niemannus*, & Fridemannus *Bechmannus*, ſuam ceterorumque theologorum proteſtantium doctrinam non imminuere verum, falſumque iuvare chriſtianiſmum: ſibi interdictum a Superioribus, ne ſe immiſceant controverſiis Helmſtadienſium: duas principales Stengeri theſes, easque a ſe ut falſas reiectas, has ipſas eſſe, 1. Qui in fine vitæ non habet teſtimonium vitæ ſanctæ, & ad normam divinorum præceptorum peractæ, is ordinarie non moritur beatus. 2. Magna pœnitentia a veris Dei filiis non iteratur toties, ut multi ſibimet perſuadent; ſed veri Dei filii ea vel nunquam indigent, vel non niſi ſemel.

EIVSDEM Ausfuhrliche Erklærung, Accurata explicatio 93. quæſtionum religionis ſive controverſiarum contra famoſum libellum, inſcriptum Theologorum ienenſium Errores, ex variis eorundem ſcriptis dilucide monſtrati. 1676. Huius libri auctor maximam partem eſt Io. *Muſæus*, ceterum ſuam quoque ſymbolam attulit Fridem. *Bechmannus*, in iis videlicet, quæ ipſi attribuebantur. In Dedicatione ad Principes ſereniſſimos, almæ Salanæ nutritores, enumerat Muſæus varias calumnias, quibus Ienenſes theologi eo præcipue ævo fuerint proſciſſi, ac proſcindantur. De famoſi autem libelli origine & fomento legenda eſt Præfatio *Muſæi*, Quæſtionibus theologicis de Syncretiſmo & ſcriptura S. præfixa, p. 13.

CXLIIX.

CXLIIX.

Ioannis MVSAEI Tractatus de eccleſia, Ienæ 1675. Editio ſecunda: prior eſt anni 1671. Duæ in eo antehac habitæ diſputationes, una de natura & definitione eccleſiæ, altera de eiuſdem diſtinctione in univerſalem & particulares, uberius diducuntur, & ab adverſariorum, cum primis Viti *Erbermanni*, obiectionibus & exceptionibus vindicantur. Speciatim diſputatur P. I. diſp. VI. contra *Wagnereckium*, aſſerentem, Eccleſiam, quæ non eſt ex omni parte & puncto vera & pura, non poſſe fidelium eſſe matrem: diſp. X. contra *Erbermannum*, negantem, Verbum Dei in aliis extra papatum eccleſiis eſſe efficax: & P. II. diſp. IV. & VI. contra M. Antonium *de Dominis* de eccleſia catholica præſumtiva; nec non contra Auguſt. *Gibbonem* de Burgo, ſchiſmatis culpam in Proteſtantes transferentem. Et *Muſaeus* quidem, ſi *Rechenbergium* Hiſt. eccleſiaſt. p. 717. audimus, *Erbermannum* hic accurate confutavit. In dedicatione, quæ ampla eſt, commemorat Muſæus originem ſui cum *Erbermanno* conflictus, nimirum perilluſtrem Baronem *a Boineburg* excitaſſe Erbermannum ad oppugnandum diſputationes ſuas de Eccleſia; hunc autem ait non candide cauſſam egiſſe, ſed fraudibus, dolis, nugis, confuſionibus, & falſis imputationibus.

CXLIX.

EIVSDEM Tractatus de Converſione hominis peccatoris ad Deum. Cum Præfatione, qua Biblia norimbergenſia, vernacula lingua gloſſata, a Viti *Erbermanni* virulenta maledicentia vindicantur. Ienæ 1661. In Tractatu hoc de converſionis appellationibus, natura, actibus, & ſpeciatim de actibus fidei, deque fidei obiecto formali (ſunt verba rubri) contra Pontificios modernos fuſe diſſeritur, & diſcuſſis illorum argutiis, religionis pontificiæ fundamenta præcipua impugnantur.

EIVSDEM Bibliorum Lutheri, ſeren. Saxoniæ Ducis Erneſti iuſſu gloſſis ac interpretatibus illuſtratorum, & Noribergæ excuſorum Vindiciæ, contra iteratam Viti *Erbermanni* maledicentiam. Ienæ 1663. Cum Præfatione, qua eiuſdem Erbermanni Iuſtam expoſtulationem nihil minus, quam iuſtam eſſe, falſoque accuſari Theologos ienenſes, quod deſideratæ concordiæ Proteſtan-

ſtantium cum Catholicis in una fidei confeſſione præfracte obſi-ſtant, docetur atque oſtenditur.

CL.

EIVSDEM Quæſtiones theologicæ, inter noſtrates agitatæ de ſyncretiſmo & Scriptura ſacra. Ienæ 1679. Cum Epiſtola dedicatoria ad ſereniſſimos Academiæ illius Nutritores, & Præfatione, in quibus querelæ fiunt adverſus Continuatorem Syſtematis theologici, id eſt, D. Abr. *Calovium*, nec non auctorem Theſium orthodoxorum & antitheſium heterodoxorum: qui, ſi non ſit idem Calovius, earum tamen ſit inſtigator & auctor primarius, qui Ienenſes ſub odioſo Calixtiniſmi & Syncretiſmi nomine ſubinde laceſſat. Quæſtiones ſunt iſtæ: 1. de voce Syncretiſmi, quid denotet? 2. de concepta definitione Syncretiſmi. Quam ex magni nominis theologo, i.e. Conr. *Dannhauero*, adfert. 3. de diſſenſu in cauſa religionis, quotuplex ſit, & quinam veram eccleſiæ pacem impediat, vel non impediat? 4. de fundamento fidei, in quo conſiſtat? 5. de mutua eccleſiarum diſſidentium tolerantia, quam Syncretiſmus importat, an licita ſit? Pag. 133. additur Appendix, quæ nihil aliud eſt, quam Iudicium Facultatis theologicæ de (D. *Calovii*) Conſenſu repetito, datum iuſſu ſereniſſimorum Principum nutritorum. In Loco autem de Scriptura ſacra hæc tractantur: 1. de auctoritate S. ſcripturæ, unde dependeat? 2. de auctoritate Scripturæ canonicæ, unde nobis innoteſcat? 3. an, quæ in ſcriptura S. continentur, omnia ex divina revelatione conſcripta ſint? 4. an præter Scripturam detur aliud credendorum principium, nempe Conſenſus Patrum eccleſiæ veteris?

EIVSDEM Introductio in theologiam. Ienæ 1679. Agitur in ea de natura Theologiæ naturalis & revelatæ, & de huius principio cognoſcendi primo, Scriptura ſacra, eiuſque auctoritate, & efficacia, & ſubiungitur Diſputatio eiuſdem materiæ; vocatur enim Introductio in theologiam, de diſtinctione theologiæ in naturalem & revelatam, deque natura theologiæ revelatæ, A. 1664. habita. Speciatim autem ipſo in opere diſputatur contra *Carteſianos* p. 60. & 302. contra Matth. *Knuzen* p. 346. contra Edoardum, Baronem *Herbert* de Cherbury, p. 423. & contra Herm. *Rathmannum*.

Digitized by Google

num. In Dedicatione duo ait requiri a bono epiſcopo, & quovis Scripturæ ſacræ ac theologiæ doctore, nimirum ut ſit aptus ad docendum, & tenax fidelis, qui ſecundum doctrinam eſt, ſermonis. De profectu autem Eccleſiæ notat, requiri ad eum 1) ut vere profectus ſit. 2) ut analogiæ fidei conformis. 3) ut ad diſcentium profectum directæ declarationes doctrinæ, veræ ſolideque fundatæ ſint: in ſacris quidem litteris, ſi partem doctrinæ revelatæ, in naturæ vero & rationis indubitatis principiis, ſi quæſtionem continent philoſophicam. 4) ut declarationes illæ ad profectum in ſolidiori & accuratiori cognitione doctrinæ fidei vere aliquid conferant, & difficultatibus obſcuritatibuſque, quæ diſcentium progreſſum remorantur, diſcuſſis, faciliorem aperiant viam, facemque ad accuratiorem rerum intelligentiam quaſi præferant.

CLI.

Fridemanni BECHMANNI Annotationes uberiores in Compendium theologicum Leonh. *Hutteri.* Longo-Saliſſæ 1690. Denuo autem editæ Francofurti & Lipſiæ A. 1696. Et illæ quidem natæ ſunt auctori in Collegio privato, cum articulos fidei ex Compendio Hutteriano auditoribus explicaret, quo ipſo id in primis ſibi propoſuit, ut auditores in via, quam ingreſſi eſſent, amplius deduceret, & ad libros eccleſiarum, unde *Hutterus* pleraque depromſit, paulatim eis præluceret. Ipſum quoque *Hutteri* Compendium huic libro inſertum eſt.

L. V. qu. VII. §. 4. Statuit *vir magni nominis*, ſeculo demum VI. Dionyſium areopagitam ſcriptis ſuis innotuiſſe.	Eſt Georg. *Calixtus*, de Igne purgatorio R 2.
L. XVII. qu. IX. Militans eccleſia complectitur *electos* adhuc in his terris, ſub vexillo Chriſti, adverſus diabolum, mundum & carnem militantes.	*Credentes.* Iac. *Rauppius.* L. de eccleſia p. 168.
L. XIIX. qu. XIII. & L. XXXIII. qu. IV. In caſu perſecutionis & confeſſionis non licet nova	Ex hac doctrina *fluunt pernicioſi motus*, *turbatio ſtatus*, *cædes*, & alia periculis plena. Neque

locus

adiaphrra recipere, aut vetera *antiquare*. In epiſt. *ad Galatas* c. 2, 4.	*locus ille* rem probat. C. *Thomaſius* Program. de II. Collegiis A. 1701.
L. XXIII. qu. II. *Scandalum duplex:* phariſaicum ſive acceptum, & datum.	Hæc doctrina hic & alibi *confuſe traditur*, & potius *ad doctrinam de decoro pertinet. Idem* p. 23.
Qu. IV. Scandalum datum *poteſt præcaveri.*	*Non poteſt ſemper*, ut ſunt homines plerumque. *Idem* p. 24.

Fridemannus *Bechmann*, natus in pago Ellebio Comitatus Arnſtadio-ſchwarzburgi, paſtoris filius, a truci milite abreptus puer, & militiæ deſtinatus, niſi Dei providentia e periculo liberatus eſſet, ſtudia coluit ſub *Reyhero* in gymnaſio, atque in academia ienenſi ſub *Stahlio*, *Zeiſoldo*, *Slevogtio* & *Sagittario* in philoſophia, ac præterea ſub *Muſæo*, *Chemnitio* & *Gerhardis* in theologia, idque tam feliciter, ut non modo lauream philoſophicam & inſignia doctoris theologi reportaret, ſed & profeſſor conſtitueretur primum logices & philoſophiæ primæ, deinde vero ipſius S. theologiæ. Cumque adhuc eſſet in ordine philoſophico, ab Erneſto pio vocatus eſt Gotham, ut æthiopicas ab homine abyſſino litteras ibi diſceret: quam ſereniſſimi Ducis ſpem ille non implevit tantum, ſed etiam, qua erat ingenii præſtantia, ſuperavit. Auditorum ipſius tanta fuit copia, ut reperti ſint ſummi viri, qui eum *communem Germaniæ præceptorem* honorifice appellarent. Sed, quod omnium laudabiliſſimum, vitæ innocentia eruditam doctrinam ornavit: nemo enim illo manſuetior, nemo religioſior, aut qui ardentiores ad Deum funderet preces, unquam putatus eſt; nec dubium, qui pietatem erga Deum, & pacem erga homines, prænomini ſuo convenienter in vita ſectatus eſt, eundem, ſpe diſceſſus a peccatis, & liberationis ab ærumnis, hilari mortem vultu excepiſſe, quando illa fatalem ipſi horam annuntiavit: id quod contigit die IX. Martii A. 1703. cum militaſſet (quid enim eſt vita noſtra, quam ſtrepitoſa & ærumnoſa militia?) annos fere 75. Memoria eius conſervatur adhuc, & conſervabitur in poſterum in ſcriptis; non multis, at præſtantibus tamen, & univerſalem quaſi adprobationem nactis: eaque ſunt Syſtema phyſi-

phyſicum, Inſtitutiones logicæ, Inſtitutiones theologicæ, Theologia polemica, Annotationes ad D. Io. *Olearii* Tabulas theologiæ moralis, variæque Diſputationes, inter quas ſunt XII. inaugurales eorum, qui pro obtinendo gradu Doctoris more academico diſputarunt. Henr. *Pipping* Memor. theologor. 980. *Zeumer* in Vitis theologor. ienenſ. p. 201.

EIVSDEM Theologia conſcientiaria. Francofurti & Lipſiæ 1694. Editio ſecunda: prior enim in lucem prodiit anno 1692. Eſtque tractatus de Caſibus conſcientiæ, adornatus in primis in gratiam eorum, qui ad ſacrum miniſterium adſpirant, vel ad illud noviter admoti ſunt. Sciebat nimirum vir optimus, miniſtro eccleſiæ & ſcientiam & conſcientiam apprime neceſſariam eſſe; ſicut igitur illam promotum ivit libris dogmaticis & polemicis, ita hanc adiuvare voluit morali & caſuiſtica doctrina, utrinque planus & perſpicuus, nec minus pius & religioſus.

CLII.

Io. MVSAEI Collegium controverſiarum, *Becano*, *Wendelino*, *Crellioque*, & aliis Socinianis oppoſitum. Ienæ 1701. Præfixum eſt Io. Andr. *Schmidii* Programma de variis controverſias theologicas vel tollendi vel minuendi modis: ut, quando 1. Igne ferroque contra diſſentientes ſævitur. 2. Si lex præſcribitur, ut altera pars a conſequentiis abſtineat, & omnia dogmata expreſſis probet Scripturæ verbis. 3. Si ius prætendis præſcriptionis, negasque, tibi incumbere probationem eorum, quæ doces & affirmas. 4. Reformatores eccleſiæ non habuiſſe miſſionem, ſive ordinariam, ſive extraordinariam. 5. Nolle eccleſiam inquiri ex Scriptura, ſed potius ex notis obviis, ſenſuſque ſimpliciorum magis ferientibus. 6. Capita, de quibus diſceptatur, non attingere fundamentum fidei. 7. Vſus rationum, quæ fidei certitudinem omnimodam promittant. 8. Solicita formatio ſtatus controverſiæ, & evolutio ſubiecti & prædicati quæſtionis. 9. Collegium XII. theologorum, & totidem ſtudioſorum adiunctorum. 10. Via colloquiorum. 11. Silentium. Poſt hæc conſilium dat, quomodo novis occurrendum ſit litibus & controverſiis.

Io. Andreas *Schmidius*, natus Wormatiæ anno 1652. Erhardi *Weigelii*, *Friſchmuthi*, *Boſii*, Caſp. *Sagittarii*, *Baieri*, *Bechmanni* &

Io. *Muſæi* diſcipulus, primum in academia ienenſi Logices & Philoſophiæ primæ profeſſor, & alumnorum ducalium ſaxonicorum ephorus, poſtea, impetratis prius honoribus doctoralibus, in alma Iulia theologiæ & ſacrarum antiquitatum profeſſor, & nunc ordinis ſui ſenior, cœnobiique Mariævallenſis abbas, vir de philoſophicis, philologicis & ſacris ſtudiis præclare meritus, omniumque illorum generum ſcriptis, quæ in peculiari catalogo indicantur, ampliſſimam nominis celebritatem conſecutus, adhuc vivit, &, qua eſt modeſtia, plura de ſe vetat dicere. Cui quidem nolumus refragari; vide tamen, ſi lubet, clariſſimos Collectores *Actorum eruditorum* pluribus in locis, *Crenium* Animadverſ. P. XII. 22. & P. XV. 44. Io. *Mollerum* in T. I. Polyhiſt. Morhofii p. 205. & D. Io. Alb. *Fabricium* Biblioth. gr. lib. V. c. 3. p. 7. atque in Bibliotheca Bandurii nummaria p. 223.

Herm. CONRINGII Animadverſio in libellum germanicum, tituloque hoc latino præfixo, *Novena S. Antonii de Padua*, Hanoveræ nuper editum. Helmſtadii 1675. Addita eſt ipſa Novena, ſive brevis narratio & inſtructio de devotione, qua illi, qui per VII. dies Martis in honorem S. Antonii peccata ſua confitentur, & S. Antonii altare viſitant, certo exaudiantur, ſicut ille ſanctus mulieri cuidam bononienſi anno 1617. revelarit. *Novies* facienda eſt iſta devotio, in honorem IX. chororum angelicorum; & *die Martis*, quia hac die & eccleſia romana miſſam cantat de SS. angelis, & S. Antonius fuit ſepultus, atque illico miraculis effulſit. Revelationes igitur Antonii & Brigittæ, de qua aliquid in fine Novenæ, eorumque apotheoſes examinat Conringius, & vanitatum poſtulat.

EIVSDEM Diſcuſſio eorum, quæ Animadverſioni oppoſuit *Dionyſius Werlenſis*, capucinus. Helmſtadii 1677. Atque illa etiam ipſa, ſub titulo *Philanthonis* ſive Animadverſionis in Animadverſionem comprehenſa, particulatim inſerta ſunt Diſcuſſioni, poſt caput 16. autem omiſſa capita XI. Pag. 329. annectitur Demonſtratio de adoratione, eam nulli cœleſtium, præterquam ſoli Deo deberi, idque per aliquot ſæcula unanimi conſenſu meliores quoſque univerſæ, & tandem ſaltim occidentalis eccleſiæ doctores docuiſſe.

F. Dio-

F. Dionyſii WERLENSIS Philanthon vindicatus, ſive Herm. *Conringius* ob Diſcuſſionem & Demonſtrationem ſuam caſtigatus. Hannoveræ 1678. In Præfatione recenſet convicia, quibus ſe ſuoſque petiverit Conringius, ſeque eius veſtigia lecturum negat quidem, fervore tamen diſputationis abreptus, nec ipſe ab aſperioribus ſibi temperat, adeo ut Nicolaus (*Steno*) epiſcopus titiopolitanus, & vicarius apoſtolicus, in Cenſura & Facultate id diffiteri nequeat. Ceterum multa habet, quæ ad controverſiam hanc cognoſcendam & dextre iudicandam utilitia eſſe poſſunt.

Epiphanii THEODVLI Examen Hyperduliæ Marianæ D. Io. Adami *Nieberlinii*. Cum ipſa huius Hypperdulia Mariana. (Altorfii) 1701. Examen IV. conſtat partibus: in prima oſtenditur ſtatus controverſiæ, quam D. *Langius* in Diſſertatione de Fabulis mohhammædicis tetigit contra Lud. *Marraccium*: in ſecunda reſpondetur ad poſtulata Nieberlinii: in tertia Euangelicorum doctrina & publica praxis circa honorem Sanctorum, atque in primis B. Mariæ virginis oſtenditur: & in quarta Nieberlinii lapides læves ad lydium lapidem examinantur. Epiphanius autem Theodulus nemo alius eſt, quam ipſe D. Io. Mich. *Langius*, theol. tunc profeſſor altorfinus, eccleſiæque ibidem miniſter. Et huius adverſarius ſæpius iam nominatus in Hyperdulia Mariana IV. hæc, quæ *Langius* protulerit, potiſſimum impugnanda ſibi ſumit, Papiſtas 1. peiores eſſe hæreticos Collyridianis. 2. eodem cultu proſequi Deum, Chriſtum & Mariam. 3. atque ita committere idololatriam, & Turcis offendiculo eſſe. & 4. docere, Mariæ nomine baptizari poſſe.

Io. Adam *Nieberlein*, S. theol. doctor, Epiſcopi eyſtettenſis conſiliarius eccleſiaſticus, & parochus berchingenſis, orbi erudito innotuit initio ſæculi XVIII.

CLIII.

Ioannis MVLLERI Iudaiſmus. Hamburgi 1644. Eſt, ut in inſcriptione porro dicitur, ſolida inſtructio de populi iudaici ἀπιστία, cæcitate & contumacia, qua vaticinia prophetica de adventu, perſona & officio Meſſiæ, in primis veram Ieſu nazareni divinitatem, nativitatem ex virgine, familiam & genealogiam,

 doctri-

doctrinam, miracula, vaticinia & vitam, item contra S. Trinitatem, & Novum Teſtamentum, magno cum zelo oppugnant. Eorum igitur obiectiones ſolvit auctor, & ita quidem, ut eius liber ab *Hottingero* Bibliothecar. p. 407. dicatur ſolidiſſimus, ab *Oſtermanno* Diſp. de conſultationibus veterum §. 11. egregius liber, a *Walthero* Meditat. bibl. II. p. ult. præclarum ſcriptum, a *Crenio* Exercit. V. de libris ſcriptor. optimis p. 8. potiſſimum eius ſcriptum, & a Io. *Mollero* de Homonymis p. 951. liber auctoris huius ἐξοχώτατος, id eſt. excellentiſſimus. Per *Rabbi luſitanum*, cuius Colloquium Middelburgi habitum paſſim allegatur ac refutatur, I. A. *Fabricio* Biblioth. gr. vol. VII. 131. videtur intelligi *Menaſſeh Ben Iſraël*.

Pag. 689. *Nova eſt inventiuncula*, quod Iudæi poſtea proſelytos fecerint ex gentibus, eoſque circumcidi iuſſerint.	*Vetus* eſt ipſius Dei *præceptum*, quod legitur Exodi XII. 48. *Lundius* p. 846.

Io. *Müller*, Vratiſlavia-ſileſius, theol. doctor, olim philoſ. practicæ profeſſor apud Vitembergenſes, deinde paſtor luneburgenſis, tandemque hamburgenſis theologus primarius, & venerabilis Miniſterii ſenior, labores longe plurimos graviſſimoſque pertulit tam muneris ſui partibus obeundis, quam ſcriptis libris non paucis, qui in luce publica verſantur & leguntur, quales ſunt Anti-Ianſenius, Lutherus defenſus, & Lutheri Defenſio adverſus ieſuitam P. Carolum *Von Creutze*, Confutatio decreti abſoluti *dordrechtani*, Defenſio Relationis de novorum religione prophetarum, contra Nicol. *Teting*, Admonitio de cavendo pernicioſo Eliæ *Prætorii* libro de abuſibus Miniſterii, Probatio ſpiritus eiuſdem Eliæ *Prætorii*, Anabaptiſmus ſive Refutatio Confeſſionis *Mennoniſtarum*, & Abominatio *Quakerorum*, mortuus eſt in ſtatione A. 1672. ætatis 74. cum enim die feſto S. Michaëlis ſuggeſtum hora conſtituta petiturus eſſet, tanta eum ſubiti morbi vis invaſit, ut ambulare conantem proſtraviſſet, niſi retractus aſſediſſet; relatuſque domum, fruſtra adhibitis medicamentis, inter preces adſtantium animam Deo reddidit. *Witte* Memor. theol. 1769. *Baillet* in Anti p. 188. Orationem ei panegyricam dixit Wittebergæ Sam. Bened. *Carpzovius*, prof. publ. eamque edidit ibidem A. 1673.

A *Cre-*

A *Crenio* Animadverſ. P. II. 185. laudatur, ut admodum vigilans pro ſalute hamburgenſis eccleſiæ theologus, cuique neſciat an urbs illa ſimilem unquam in doctrina, ſi a Philipo *Nicolai* forte, D. Io. Frid. *Mayero*, & Caſp. *Mauritio*, theologo profecto maiore ac doctiore, quam illuſtriore, diſceſſeris, habuerit; & Exercit. V. de libris ſcriptor. opt. p. 8. ut homo ad virtutem, dignitatem, & eccleſiæ utilitatem uſque adeo natus, ut, cum acerrimus veræ fidei propugnator contra adverſarios eſſet, ſatan ipſum devorare fere & deglutire voluerit.

CLIV.

Io. MVLLERI Atheiſmus devictus. Hamburgi 1685. Altera editio: prior autem eſt de anno 1672. Germanice. Eſt fidelis relatio de atheiſtis, contemtoribus Dei, corruptoribus S. ſcripturæ, irriſoribus religionis, Eceboliſtis, hoſtibus eccleſiarum & paſtorum, hominibus conſcientiam violantibus ac periuris, nec non perſecutoribus chriſtianorum fidelium: cum Solida refutatione omnium horribilium errorum, quibus illi ſunt immerſi. Pag. 39. recitatur hiſtoriola de D. P. Hic autem eſt D. Chriſtoph. *Pelargus*.

Pag. 52. Iulius Cæſar *Vaninus*.	*Vaninus*.
Godefridus *a Valle* ſcripſit librum *de Arte nihil credendi*.	*Vallis* (Vallée) ſcripſit *librum deiſticum*. Vide *Hiſtor.* noſtræ *bibliothecar.* Partem III. p. 140.
Bonaventura *de Periers*.	Bonaventure *Des Perriers*.

Frid. Erneſti KETTNERI Grundliche unterſuchung, Solida excuſſio quæſtionis de coniugio cum defunctæ uxoris ſorore, an ſit licitum? Quedlinburgi 1707. In qua negatur eſſe licitum, & argumenta contraria, in *Wagenſeilii* & *Bruckneri* ſcriptis, item in *Actu Oettingenſibus* exſtantia, examinantur, aliorumque auctoris ſententiæ faventia iudicia & reſponſa adducuntur.

Io. Guſtavi REINBECKII de natura coniugii & improbando concubinatu. Berolini 1714. Contra illuſtrem virum, Chriſtianum *Thomaſium*, auguſtiſſimi Boruſſorum Regis a conſiliis ſanctioribus. Vide *Narrat. innoc.* A. 1715. 1044.

Io. Guſtav. *Reinbeck*, cellenſis, *Michaëlis* & *Buddei*, qui tunc in philoſophorum erant ordine, nec non *Breithauptii*, *Antonii* & *Franckii* diſcipulus, antehac paſtor eccleſiæ Fridericowerderanæ, & Dorotheaſtadianæ in regia urbe berolinenſi, nunc præpoſitus & inſpector, ac paſtor primarius ad S. Petri Coloniæ ad Spream, non minus ſanctitate, quæ præcipuum theologi ornamentum eſt, quam egregia eruditione clarus, emiſit etiam Tractatum de redemtione per lytron, oppoſitum Chriſtiani *Democriti* Hodegetæ, A. 1710. 8.

Io. LYSII Apologia contra falſas accuſationes, quibus D. Martinus *Chladenius* diſputationem ſuam de Inſpiratis ſine Spiritu replevit. Berolini 1715. Huic ſcripto oppoſuit Chriſt. Lud. *Stieglitz* Neceſſariam admonitionem, contra quam *Lyſius* ſe defendit Secunda apologia. Et hanc *Stieglitzius* excepit Demonſtratione, quam *Lyſius* ultima Apologia repellere ſtuduit. Vide *Relat. innoc.* A. 1716. 896.

Io. *Lyſius*, paſtor Berolinenſis ad S. Georgii, obiit A. 1716.

Ioachimi LANGII Nœthiger unterricht, Neceſſaria inſtructio de immediatis revelationibus. Halæ magdeburgicæ 1715. Primum in genere agit de revelationibus immediatis, deinde ſpeciatim de plane ſingularibus agitationibus, inſpirationibus & effatis, quæ ortæ ſunt in terra Galliæ cevennenſi, ac poſtea per aliquot Cevennenſes propagatæ in Anglia & Scotia, nec minus in Hollandia & Germania. Cum reſponſione ad epiſtolam quandam huius materiæ. Additur Appendix, III. conſtans capitibus, quorum primum reſponſiones ad varias obiectiones, ſecundum extractum ex Claudii *Brouſſonii* tractatu, tertium de I. *Tennhardi* ſcriptis iudicium complectitur. *Nova bibliotheca* T. V. 252.

Ioach. *Langius*, natus Gardelegiæ in Veteri Marchia A. 1670, Io. Benedicti *Carpzovii*, Io. *Olearii*, *Alberti*, *Rechenbergii* & *Speneri* diſcipulus, & H. A. *Franckio*, addictiſſimus, ex conrectore coslinenſi prius, quam officium adgrederetur, factus rector, (quia rector, vir probus, nec indoctus, ſed regendi dono deſtitutus, ſuadente quidem Magiſtratu, ſed exemplo non facile obvio, loco ceſſit, & primum ſecundo mutavit) deinde Berolinum revocatus ad regimen

regimen Gymnaſii Fridericiani, tum adiunctus Ordini theologico halenſi, ſed intercedente Magiſtratu, retentus Berolini apud munus ſcholaſticum, ut tamen etiam in eccleſia doceret, donec tandem commiſſa ei fuit cathedra theologica in alma academia Fridericiana, quam ut voce & ſcriptis ornavit, ita modeſtiam ſuam monitis fautorum & amicorum expugnari tandem paſſus eſt, ut doctoris gradum aſſumeret. D. Ioach. Iuſt. *Breithaupt* Program. Lectionibus *Langii* candidati curſoriis & diſputationi inaugurali præmiſſo. Scripta eius ſunt iſta: Grammatica linguæ latinæ, (omnibus aliis merito præferenda) Medicina mentis, (qua mens a præiudiciis liberatur, & ineptiæ logicæ ac metaphyſicæ removentur) Veræ Relationes Relationibus innocuis ſic dictis oppoſitæ, Diſputatio inauguralis de indulgentiis, qua D. Mart. *Lutheri* Theſes XCV. de Indulgentiis, monitis iſagogicis notiſque illuſtrantur, Diſpp. contra *Poiretum*, Antibarbarus orthodoxiæ dogmatico-hermeneuticus, Epicriſis epiſtolica ad D. Io. Henr. *Maium* de Diſſertatione D. *Foertſchii* in materia de notitia rerum divinarum in non renatis, Repetita ſolida demonſtratio doctrinæ euangelicæ de vera illuminatione, ſolis regenitis propria, Iuſta apologia pro D. *Spenero* aliisque ſinceris theologis contra theologum quendam wittebergenſem, Iuſta via media inter errores ac devia, & Refutatio integri Timothei *Verini*.

CLV.

Ioachimi LANGII Antibarbarus orthoxiæ dogmatico-hermeneuticus. Berolini 1709. Eſt, ut in rubro explicatur, Syſtema dogmatum euangelicorum ſolide demonſtratorum, a Pſeudeuangelicis autem temere impugnatorum, atque ita ſimul controverſiarum, ſub ſpecie orthodoxiæ, ex impietatis affectu adverſus D. Phil. Iac. *Spenerum* aliosque γνησίως Orthodoxos, pſeudorthodoxe motarum. Opus, quod Speneromaſtigum intemperiem atque errores per multas exemplorum centurias denudat, oſtenſisque naturæ & gratiæ confiniis, theologiam euangelicam a denuo inducta barbarie, in primis a fermento pſeudorthodoxiæ neopelagiano orthodoxe repurgat. Et conſtat IV. Tomis, quorum primus tractat doctrinam de illuminatione; ſecundus de fide & iuſtificatione; tertius de renovatione, ac ſpeciatim falſo credita operum pravorum

vorum ἀδιαφορία, & quartus de quæſtionibus problematicis, in quibus liberior concedi poſſit diſſenſus, atque in primis oſtendit, pietiſmum eſſe fabulam. Per Speneromaſtigas autem intelligit I. B. *Carpzovium*, I. Frid. *Mayerum*, *Deutſchmannum*, *Hannekenium*, *Fechtium*, *Neumannum*, *Schelgvigium*, eorumque ſocios. Primo & tertio Tomo præmittit auctor Epiſtolas ad thelogos euangelicos, quarum altera exponit ſcribendi huius antibarbari occaſionem & neceſſitatem, altera pietiſmum negat eſſe ſectam, atque ad obiectiones Dan. Sev. *Sculteti*, & D. Val. Ern. *Læſcheri* reſpondet. Ceterum vide hoc de opere *Bibliothecarium nulli parti addictum* T. I. 667. & nota, Ioannem Guil. *Iani* oppoſuiſſe ei Theoſophiam orthodoxam, Sam. *Schelgvigium* Vindicias articuli de iuſtificatione, Io. Ioach. *Weidnerum* diſputationem de ſacramento altaris, & D. Io. *Fechtium* de vera rerum ſacrarum notitia, qua, & quousque illa in hominem cadat irregenitum?

CLVI.

Cenſuræ THEOLOGORVM ORTHODOXORVM, quibus errores Io. *Latermanni* in Exercitatione de prædeſtinatione & aliis velitationibus examinantur & damnantur. Dantiſci 1648. Collector earum, & auctor unius illarum erat Cœleſtinus *Mulenta*, teſte *Rollio* de nobilibus theologis p. 182. & Wolfg. *Latermanno* in rubro & præfat. in Iudicia ac teſtimonia celeberrim. theologorum pro innocentia filii ſui, Ioannis. Cenſuræ autem illæ ſunt, 1. Miniſterii gedanenſis, manum & ſtilum commodante Cœleſt. *Mulenta*, Facultatis theol. vitembergenſis, Facultatis theol. lipſienſis, Io. *Hülſemanni*, Miniſterii hamburgenſis, Mich. *Waltheri*, Facultatis theol. ienenſis, roſtochienſis, & argentoratenſis; & ſingulorum theologorum: videlicet *Feurbornii*, *Rœberi*, *Botſacci*, Wilh. *Lyſeri*, *Hulſemanni*, Io. *Mülleri*, Iodoci *Capelli*, *Cundiſii*, *Batti*, *Calovii*, Io. *Quiſtorpii*, *Cothmanni*, & *Dorſchei*.

Celeberrimorum THEOLOGORVM Iudicia pro orthodoxia D. Io. *Latermanni*, collecta & edita ab eius *patre*, Wolfgango. Halberſtadii 1648. Eaque ſunt theologorum *regiomontanorum*, Ioan. *Cothmanni*, & *Roſtochienſium*, Melch. *Nicolai*, Io. Valent. *Andreæ*, *Ienenſium*, *Hülſemanni*, Ioach. *Lütkemanni*, Io. *Quiſtorpii*, G. *Calixti*, Conr. *Horneii*, Io. *Reinbothii*, Io. *Henichii*, Io. *Kufneri*, & anonymi. Frid.

Frid. Vlr. CALIXTI Quæſtionis, quid de eorum, qui ſine baptiſmo e vivis excedunt, ſalute ſtatuendum ſit, ſolutio. Helmſtadii 1686. Sermo eſt de adultis præter culpam ſuam baptiſmo privatis, & infantibus fidelium parentum, de quibus auctor ſtatuit, Deum eos extra ordinem, & intuitu, in illis, deſiderii proprii, in hiſce, voluntatis ac ſerii parentum deſiderii de baptiſmo conferendo, pro immenſa benignitate ſua, ad ſalutem perducere.

EIVSDEM Spiritus, qui ex Deo eſt, a ſpiritu fanatico diſcretio, & in vicinia erumpentium manifeſtationum Examen. Helmſtadii 1693. Per viciniam intelligit urbem Halberſtadium, in quam ſpiritus pietiſticus & enthuſiaſticus, uti loquitur, irrepere cœperat. Producitur etiam *Ianæ* prophetia, ac diſſeritur de miraculis, & pœnis eccleſiaſticis.

EIVSDEM Tractatus de vario hominis ſtatu, eidemque connata legem exacte implendi impotentia. Helmſtadii 1693. Hic igitur verba facit de ſtatu purorum naturalium, integritatis, peccati, & reconciliationis, de homine vi gratiæ divinæ cooperante, de regeneratione in baptiſmo peccatum tollente, & peccatis venialibus, præterea philoſophiæ cauſſam agit ac philoſophorum, contra *Ianæ* patronum ſe defendit, atque in extremo oſtendit, omni ſæculo *ἀναμαρτησίας* dogmatis exſtitiſſe propugnatores.

Chriſtophori Friderici TIMAEI Commentatiuncula de picta & ficta perfectione. Helmſtadii 1692. Explodit ſummam, quæ in hac vita detur, perfectionem, revelationes item hodiernas, & regnum Chriſti millenarium his in terris. Præmittitur Friderici Vlrici *Calixti* ad auctorem Epiſtola ſatis verboſa, in qua illius premit veſtigia, adeoque & ipſe diſputat contra perfectionem abſolutam, diſſeritque de peccatis venialibus, manſione in gratia, revelationibus & apparitionibus modernis, regno millenario, dono prophetico, clandeſtinis conventiculis, & aliis. Et in principio ſtatim Epiſtolæ laudat hoc ſcriptum ob terſam & elegantem dictionem, & iocoſeriam tractationem.

Chriſtophorus Fridericus *Timæus*, natus Harbordiæ in Ducatu cellenſi, paſtor fuit hœtenslebienſis in Ducatu magdeburgico, vir antiqua virtute & fide, humanus etiam & affabilis, publici

iuris fecit Paſtorem inculpatum, atque in honorem laboris ſcholaſtici, cui dediti erant *Gezius* & *Noltenius*, Mel in felle, oculoſque clauſit A. 1710. ætatis ſuæ 62.

Iac. Melch. STENGERI Collyrium, pro *Niebenckis*, & Io. *Vaakio*. 1704. In quo diſſerit de peccatis proæreticis, (ac ſpeciatim, non omnia eſſe letifera) lapſu *Petri*, lege Chriſti, diſcrimine pœnitentiæ, ac formula ſolandi moribundos, atque aſſertorum ſeu propoſitionum ſuarum Syllabum adfert.

Ioan. Frid. BVTTNERI Scylla & charybdis theologica. Lipſiæ 1705. Multis rerum divinarum tractatoribus communis, qui philoſophiæ & antiquitatum eccleſiaſticarum vel ignorantia, vel abuſu eccleſiam turbarunt. Et ſic agit de philoſophia in genere, dein de ſectaria, & quidem pythagorica, epicurea, platonica, ſtoica, ariſtotelica & ſcholaſtica, atque carteſiana; nec non de partibus philoſophiæ, tum theoreticæ, tum practicæ, & antiquitatibus eccleſiaſticis, exempla producens eorum, qui, ut ipſe putat, in ſingulis aberrarunt.

Io. Fridericus *Büttner*, philoſophiæ magiſter, & paſtor megalopardenſis, hoc ſcripto imitatus eſt D. Caſp. *Laſcherum*, præceptorem ſuum, qui A. 1691. diſputationem edidit de Scylla & Charybdi, poſtillatoribus æque ac interpretibus Scripturæ communi; agnoſcit autem tenuitatem infirmitatemque ſuam, nec niſi pro levi delineatione opuſculum hoc venditat. Eiuſdem eſt Diſputatio de deletione peccatorum, A. 1696. Wittebergæ ſub graviſſimi doctoris ac ſenis, D. Caſp. *Laſcheri* moderamine habita.

Caroli Friderici ROMANI Schediaſma polemicum, an dentur ſpectra, magi & ſagæ? Lipſiæ 1710. Auctor adfirmat, ex hoc principio, quod diabolus operari poſſit in materiam, & corpus aſſumere, pluribusque in locis refutat Io. *Reichium*, qui Diſputationem Halæ propoſuit de crimine magiæ, & hiſtoricam variarum hac de re opinionum recenſionem inſtituit. Bene autem facit, quod modeſte rem examinet, & ſine tumultu, ſine conviciis atque iniuriis, quibus multi ſæpe diſputatores indulgere ſolent.

Carolus

Carolus Fridericus *Romanus*, lipſienſis, doctiſſimi celeberrimique quondam conſulis, qui infelicium litteratorum numerum adhuc auget, frater, inde ab aliquo tempore ipſe etiam Senatui patrio adſcriptus, ſua pariter ac fratris eruditione clarum inter Muſarum cultores nomen eſt.

Michaëlis FOERTSCHII Deductio brevis de ſtatu controverſiæ circa notitias rerum ſacrarum in irregenitis, & de via ſolidæ pacis circa illas, inter orthodoxos. Ienæ 1712. Loco Apologiæ repetitæ pro Diſſertatione epiſtolica & Commentatione: cum Compellatione ad Theologos directa. Ait igitur, non hic quæſtionem eſſe de promtitudine, ſeu perfectione ſubiectiva, ſive de habitu formaliter, ſed de fundamento obiectivo, unde miniſtri eccleſiæ ſeu doctores vere & proprie Theologi dici poſſint, ipſorumque doctrina, theologia; ut adeo quæſtio principalis huc redeat: An doctrina de Deo & myſteriis divinis, quæ in eccleſia floret, & a vocato miniſtro eccleſiæ e verbo Dei proponitur, iure dicatur theologia? ſeu, ſi mavis: Num in *obiecto* habitus doctrinalis ſacri, id eſt, in ipſa doctrina ſacra, quam vocatus miniſter eccleſiæ, vi officii ſui, etiam impius, e S. ſcriptura proponit, *fundamentum* ſolidum contineatur, cuius intuitu illa reapſe ſit, & vere dicatur theologia; num vero philoſophia tantum de rebus ſacris? Et prius illud adfirmat, poſterius negat auctor venerandus.

Michaël *Foertſch*, Werthemio-francus, natus anno 1654. *Fechtii*, *Zentgravii*, *Bebelii*, Seb. *Schmidii*, Io. *Muſæi*, *Bechmanni*, *Baieri*, & *Scherzeri* diſcipulus, Durlaci munus eccleſiaſticum geſſit, & in Gymnaſio theologiam docuit. Renunciatus autem doctor, in academia tubingenſi profeſſorem theologiæ publicum egit, & ſtipendiariorum ephorum, donec Ienam decederet, ubi iam primum inter Theologos locum tenet, &, ſicut ſemper conſueverat, mira perſpicuitate & induſtria cæleſtem auditoribus viam commonſtrat, eamque contra errantes defendere ac tueri nititur. Nec minus ſcriptis prodeſſe ſolet orbi erudito, e quibus ſunt Meditatio de origine Scripturæ ſacræ, Diſſertatio de analogia fidei, De privata fidelium inſtitutione ex officio miniſtri eccleſiæ, De rerum conditu, primo obligationis erga Deum indice, Decas ſelectarum diſſertationum theologicarum, Breviarium controverſiarum præ-

cipuarum ac modernarum, Diſcuſſio principalium punctorum theologicorum noſtro tempore maxime controverſorum, & Exercitatio de tribus controverſiis circa peccatum originis. *Zeumer* in Vitis theologor. ienenſ. 265. & *Richardus* p. 1. Apud clariſſimos collectores *Actorum erudit.* ad A. 1709. p. 115. laudem habet viri celeberrimi, qui profeſſionem theologicam ſumma cum laude ornet; & apud Ioach. *Langium* Antibarb. orthodox. dogmatico-hermeneut. T. II. 624. cordati moderatique theologi.

CLVII.

Tobiæ WAGNERI Inquiſitio theologica in Acta henotica, noſtro potiſſimum tempore inter theologos Auguſtanæ confeſſionis & Reformatæ eccleſiæ, a Reformatis reſuſcitata. Tubingæ 1666. Reformati autem illi theologi erant in primis Io. *Duraus*, & Io. *Mellet*, cum Sam. *Mareſio*, qui enixiſſime ac per omnia ſacra Wirtembergicos rogabant, ut henoticum negotium ſuſciperent, &, ſi non concordiam, minimum tamen tolerantiam procurare laborarent. Ne igitur hi officio deeſſe ſuo viderentur, Tubingenſes hic, ſtilo Wagneri, ſententiam aperiunt ſuam, negantes, cum Reformatis iniri poſſe tolerantiam, nedum conſenſum & concordiam, niſi erroribus illi ſuis vale dicant, eoſque deponant. Totus autem liber, poſt Præparatoria ſeu Prolegomena, VII. ſectionibus abſolvitur, quarum 1. agitur de quæſtione: An cum Reformatis tolerantia pangi, & ſpiritualis in eccleſia conſociatio fieri poſſit? 2. de conſequentiis ad abſurdum ducentibus; 3. de perſona Chriſti. 4. de prædeſtinatione ac reprobatione, nec non gratia Dei, merito Chriſti & libero arbitrio. 5. de ſacramentis in genere, & in ſpecie de euchariſtia. 6. de baptiſmo. 7. de quæſtionibus, potiſſimum practicis, ut: An conſultum ſit, Colloquia & Synodos ad paciſcendum inter theologos Auguſtanæ confeſſionis & Reformatæ eccleſiæ inſtituere? an Reformati in articulis fidei fundamentalibus nobiſcum conſentiant? Negat vero utramque.

Tobias *Wagner*, heidenheimenſis, primum diaconus, deinde paſtor eslingenſis, mox ſacræ theologiæ doctor, poſtea eccleſiæ tubingenſis decanus, illuſtris Stipendii ephorus, theologiæ profeſſor, demum præpoſitus ibidem, atque academiæ cancellarius,

cellarius, vir non tantum theologica ſcientia, verum etiam humanioribus litteris præclare excultus, ſanctus in vita, liberalis erga pauperes, maxime ſtudioſos & exules, humanus erga quosvis, facetus in conviviis, ſed & gravis, ubi opus erat, nec prodigus auctoritatis ſuæ, qua apud Superiores, æquales & inferiores valebat, in publicum emiſit Inſtitutiones hiſtoricas, Memorias Io. Vlr. *Pregitzeri*, Melch. *Nicolai*, & Dan. *Hitzleri*, Examen elencticum atheiſmi ſpeculativi, Deſtructionem aſtrologiæ genethliacæ, Cenſuram motivorum D. Chriſtoph. *Beſoldi*, ob quæ ad ſacra tranſivit romanæ eccleſiæ, eiuſque Defenſionem, Iudicium de Io. *Werneri* viſionibus, eiuſque Vindicias, & aliud de Iac. *Bœhmii* ſcriptis, ac ſenectutis maraſmo oppreſſus defecit anno 1680. annos ætatis cum ſæculo numerans. *Witte* Memor. theolog. p. 2041. & *Sagittarius* Introd. in Hiſtor. eccleſiaſt. p. 209.

CLIIX.

STRAVCHIANA. Sic enim appellare lubet XLII. illa ſcripta, quæ de D. Aeg. *Strauchii* cauſſa dantiſcana loquentia, hoc in volumine compacta ſunt. Sunt autem 1) (*Senatus dantiſcani*) Wahrhaftiger bericht, Vera relatio de actis cum D. Aeg. *Strauchio*, eiuſque dimiſſione. Dantiſci 1674. Cauſſæ dimiſſionis plures erant, interque eas nimia erga Romano-catholicos acerbitas, & virulenta controverſiarum tractatio, qua toti civitati & exteris religionis ſociis maximum & irreparabile damnum procreari potuiſſet, tum & arrogantia, ac præſcriptorum a Senatu latorum contemtus. 2) Anhang, Appendix prioris Relationis. Oppoſita D. *Strauchii* ſic dictæ Correctæ Relationi, in qua multa ſint falſa, & calumniæ. 3) Verlauff deſſen, was nach der Entlaſſung, Relatio de iis, quæ poſt dimiſſionem D. Strauchii in tumultu A. 1674. die 4. Ianuarii geſta ſunt. 4) Beſtetigte wahrheit, Confirmata veritas Relationis a Senatu publicatæ de tumultu A. 1674. d. 4. Ian. facto. 1675. 5) *Irenici Germanici* Aufrichtige Gegenhaltung, Ingenua collatio Relationis a Senatu editæ, cum Vera, ut vocatur, narratione opificiorum. Huius auctoris ſcopus eſt oſtendere, hanc illi non contradicere, adeoque fruſtra D. *Strauchium* ea niti. 6) *Ioh. Marte ben Moſe* Gründliche widerlegung, Solida refutatio XVII. libellorum, conviciis & calumniis repletorum, quos Strauchius re-

motionis ſuæ cauſſa adverſus nobiliſſimum Senatum & S. Miniſterium dantiſcanum evulgavit. 7) Memento D. *Strauchii*, ſive Colloquium Strauchii, Genii, pythoniſſæ & Orobæ de exitu litium ſtrauchianarum, auctore Frid. *Strauchſonio*. In quo Strauchius cum ſuis vitiis graphice deſcribitur. 8) Copia Mandati regii (a IOANNE III.) de dato Iavorowiæ d. 22. Iunii A. 1675. de colenda concordia & moderandis contributionibus. 9) *Miniſterii* Aug. confeſſionis dantiſcani Gegenbericht, Narratio & Apologia, Speciei facti, a D. *Strauchio* ad diverſa Collegia theologica transmiſſæ, oppoſita. 1674. 10) *Eiusdem* Beweiſs, Demonſtratio, quod Liber concordiæ, latine Concordia dictus, iure poſſit Formula concordiæ vocari. 1675. Nimirum tanquam generale, reſpectu ſpecialis, quod ſub eo comprehenditur. Oppoſita Strauchio, qui toti Miniſterio craſſam auſus eſt imputare ignorantiam. 14) Erœrterung 2. fragen, Solutio II. quæſtionum, 1. An chriſtiana eccleſia per vim vindicare poſſit paſtorem ſuum remotum, contra Magiſtratum, præſertim ſi eum non ſatis auditum, & ſine prægnanti cauſſa remotum eſſe iudicat? 2. An is, qui Magiſtratui ob cauſſam prædictam reſiſtit, tumultum excitat, & in conſortio eſt rebellium, ſanguinolentorum, & cædes ac rapinas ſitientium, ſi in tali tumultu vitam amittit, beate mori poſſit, atque in cœlum transferri? Reſpondetur autem ad utramque quæſtionem negando. 12) Abr. *Heyſei* Chriſtliche predigt, Chriſtiana concio in 2. *Cor.* 11, 19-33. & c. 12, 1-9. habita in dominica Sexageſima, die 28. Ian. A. 1674. Qua improbat tumultum excitatum. Annexa etiam ſunt Iudicia Collegiorum theologicorum in univerſitate gryphiſwaldenſi & vitembergenſi. 13) *Alitophili*, qui a Strauchio conviciis proſciſſus fuit, Præliminar vertheidigung, Defenſio præliminaris. 1675. Qua defendit ſcriptionem nominis Alitophilus, (quam Strauchius magni inſimulaverat erroris) oſtendens, *η* varie olim pronunciatum fuiſſe, modo per e, modo per i, mutatum quoque th ſæpe in t. Alitophilus autem ille, veluti D. *Strauchius* in Refutatione ſua p. 3. prodit, eſt Bartholomæus *Franck*, iurium peritus. 14) Auszug, Extractum ex Reſponſo *Lipſienſis Facultatis theologicæ* ad Miniſterii dantiſcani transmiſſas quæſtiones in cauſſa D. *Strauchii*. Ad oſtendendum, Lipſienſes theologos in multis non adprobare actiones Strauchii, neque etiam tumul-

tum

tum plebis. 15) Der fragende Alitophilus, Alitophilus interrogans, informatus a Conſiſtorio wittebergenſi. 1674. Quæſtiones Conſiſtorio XI. erant propoſitæ, ad quas illud reſpondit minime in favorem Strauchii. 16) *Facultatis theologicæ wittebergenſis* Reſponſum ad Miniſterii dantiſcani quæſtiones. Quarum erant XV. 17) *Eiusdem* Vnterthænigſte antwort, Humillima reſponſio ad ſereniſſimum Electorem Saxoniæ contra D. *Strauchii* Memoriale, ſive libellum famoſum. 1675. Qua iniurias, convicia & falſa D. *Strauchii* a ſe obnixiſſime removent. 18) Theologicæ Facultatis *argentoratenſis* Reſponſum ad Miniſterii dantiſcani Quæſtiones in cauſſa Strauchii. 19) Alitophilus interrogans, informatus a theologica Facultate *academiæ Iuliæ*. Vbi tamen D. Frid. Vlr. *Calixtus* gravibus, nec ignotis de cauſſis abſtinuit illo tempore a ſeſſione & voto. 20) Reſponſum Facultatis theol. *kilonienſis*. 21) Reſponſum Miniſterii ſacri *noribergenſis*. 22) Reſponſa iuridica de prætenſa Retorſione aliquot hominum ex ſutoribus, piſtoribus, fabris & lanionibus, contra Facultatem theologicam wittebergenſem. Quibus evincitur, ſcriptum illud non eſſe retorſionem, ſed libellum conviciis & iniuriis differtum, famoſum, & paſquillum, cuius auctor ſevera dignus ſit pœna. 23) Aeg. *Strauchii* Die tage Purim, Dies Purim. Sunt III. conciones ab ipſo habitæ Dantiſci, in memoriam reformationis Lutheri, A. 1671. 1672. prima quidem in dominica XXIII. altera in dominica XXIV. tertia in dominica XXI. poſt Trinitatis. Inclytus autem Senatus iudicavit, Strauchium in illis exceſſiſſe modum elenchi, præcipue in urbe dantiſcana. 24) *Eiusdem* Der Prophet Ieremias, Propheta Ieremias in ſuggeſto, in fovea, & in atrio carceris, item remotus, iterumque admiſſus, & a patre familias cæleſti conductus laborator in vinea. Quibus addita deſcriptio benedictorum Patris, quæ propoſita fuit in dominica XXVI. poſt Trinitatis A. 1673. Cum cenſuris duarum Facultatum theologicarum, gryphiswaldenſis & lipſienſis. Stetini 1674. 25) *Eiusdem* Beyſpiel, Exemplum examinis ſcripturalis, cuius ſpiritus ſis filius, & num degeneraveris in ſpinam. Eſt concio in dominica IIX. poſt Trinitatis recitata: Cum ſciagraphia concionis in dominica XIII. poſt Trinitatis, & Epitome eorum, quæ Strauchio pro ſe ipſo monenda ſunt circa Senatus Relationem. 26) *Eiusdem* Verbeſſerter Bericht, Correcta relatio eorum, quæ contra

Digitized by Google

contra ſe Dantiſci acta ſint. 27) *Eiusdem* Abgenöhtigte rettung der wahrheit, Extorſa vindicatio veritatis, contra Appendicem Relationis publicæ. 28) Abdruck der ſchrifften, Exempla ſcriptorum, quæ ad veritatis illuſtrationem in puncto remotionis & reſtitutionis D. Strauchii facere poſſunt. Et illa quidem profecta ſunt partim a Curatoribus eccleſiarum ad SS. Trinitatis, & S. Annæ, partim ab ipſo Strauchio. 29) *Eiusdem* Scriptum contra Barthol. *Franckium*, Civitatis Syndicum: eum publicatione Præliminaris defenſionis Alitophili crimen iniuriarum incurriſſe, & ſecundum iura retorſione excipiendum eſſe. 1675. 30) *Eiusdem* Vnterthænigſtes memorial, Libellus ſupplex ad ſereniſſimum Electorem Saxoniæ in cauſſa Reſponſi theologicæ Facultatis wittebergenſis contra ipſum dati. 1674. 31) *Eiusdem* Ablehnung, Depulſio novæ calumniæ, quam prædicta Facultas contra ipſum emiſerit. 1675. Calumniam hanc ait inveniri in Præfatione in Reſponſa iuridica: de quibus ſupra locuti ſumus ad numerum 21. 32) Der fragende Theophilus, *Theophilus* interrogans, a IV. Facultatibus theologicis informatus. 1674. Theophilus hic eſt Strauchius: Facultates autem, Gryphiswaldenſis, Roſtochienſis, Lipſienſis, & Ienenſis. 33) *Eiusdem* Mene Tekel, ſive Oſtenſio, Confirmatam veritatem in XLIV. punctis nimis levem repertam eſſe. 1675. 34) *Eiusdem* CXXXIII. Merckwürdige fragen, CXXXIII. Notabiles quæſtiones, ex Præfatione Replicæ Miniſterii eccleſiaſtici dantiſcani excerptæ. Quas vocat den Vortrab, Anteambulonem. 1674. 35) CCCXLIII. Merckwürdige fragen, CCCXLIII. Notabiles quæſtiones ex Replica prædicti Miniſterii excerptæ. Quas vocat den Vorttrab, Progreſſum. 36) CCVII. Merckwürdige fragen, CCVII. Notabiles quæſtiones ex Replica eiusdem Miniſterii excerptæ, & in plenam defenſionem emiſſæ. Et has vocat den Nachtrab, Poſtambulonem. 37) *Eiusdem* Erinnerung, Admonitio ad Euangelica collegia theologica & miniſteria, quæ Miniſterium dantiſcanum falſa & calumnioſa relatione occupare auſum ſit. 1675. 38) Specialis admonitio ad Collegium theologicum kilonienſe, & Miniſterium noribergenſe. Cui annectitur Atteſtatum Facultatis philoſophicæ vitembergenſis, quod Strauchius neque ut collega internam eius quietem & concordiam turbare, aut litigioſum ſe præbere

præ-

præſumſerit. 39) Gewiſſe und gewiſſenhaffte ausſage; Certa & ingenua confeſſio Seniorum inter opifices dantiſcanos ad certa puncta, quæ attinent ad D. Aeg. Strauchium. 40) *Opificiorum dantiſcanorum* Rechtmäſſige retorſion, Legitima retorſio contra iniurias & calumnias Theologicæ facultatis wittebergenſis. 1674. 41) *Eorundem* Grundveſte, Stereoma brevi ſecuturæ refutationis Reſponſorum iuridicorum contra opificiorum illorum Retorſionem. 1675. 42) *Strauchii* Erklärung des titels, Declaratio tituli, qui in Defenſione Repetiti conſenſus ponendus erat, nec non Apologia contra quosvis calumniatores. 1674. Nimirum ait, ſe non feciſſe titulum Conſenſus repetiti, ſed iam ita formatum accepiſſe, adeoque ſibi non poſſe imputari, quod Formula concordiæ ibi pro Libro concordiæ poſita ſit: iis autem, qui futuris in ſciptis convicia ſibi dicant, & iniurias inferant, ſe ſe non reſponſurum, ſed retorſionem, beneficio iuris, (humani quidem, ſed an & divini?) ſemel pro ſemper, opponere.

Aegidius *Strauch*, wittebergenſis, diſtinguendus a cognomini, patruo ſuo, ſuperintendente dreſdenſi, *Buchneri*, *Franckenbergeri*, *Sperlingii*, *Nottnagelii*, *Hülſemanni*, *Geieri*, Io. Bened. *Carpzovii* diſcipulus, primum philoſoph. magiſter & adiunctus Facultati philoſph. wittebergenſi, deinde ibidem profeſſor hiſtoriarum, & mox mathematum inferiorum, poſt hæc doctor theologiæ & Facultatis theologicæ aſſeſſor, anno 1669. paruit vocationi Senatus dantiſcani, & in locum D. *Mankiſchii* ſuccedens, paſtoris ad S. Trinitatis, itemque profeſſoris & rectoris Gymnaſii provinciam in ſe ſuſcepit, eamque pro donis a Deo conceſſis egregie ſcrivit ornare: neque quidquam in eo deſiderabatur, quam quod, ratione loci illius, quo preſſa eſt eccleſia, iuſto fervidior rigidiorque eſſet in concionibus & ſcriptis, & erga Senatum certo modo inobediens. Vnde factum, ut ab eo dimitteretur. Sed dimiſſio, quam ille lætus lubenſque acceptavit, mox reddita fuit irrita. Cum enim quidam e populo tumultum facerent, & cædes atque incendia minarentur, ni Strauchius reſtitueretur in integrum, Senatus tanto furori cedendum eſſe ratus, nocte intempeſta, quamquam ægre, aſſenſum præbuit, ut ad munera rediret ſua. Ita factum, ut Strauchius uſque ad finem vitæ Dantiſci permanſerit, & functiones ſuas perſecutus ſit. E vita autem exiit, poſtquam pertinaciſſimis hypochondriorum ob-

Digitized by Google

ſtructionibus, unde ortæ vomitiones crebræ, febris, icterus, iſque ex flavo in atrum converſus, inſomnia, nauſea, & diarrhœa, infeſtatus eſſet, anno 1682. cum vixiſſet annos 50. menſes 9. Potiora eius ſcripta ſunt Breviarium chronologicum, Tabulæ per univerſam matheſin, Aſtrognoſia, Aphoriſmi de numerorum doctrina, Aphoriſmi aſtrologici, Continuatio *Sleidani* de IV. ſummis imperiis, Breviarium theologicum, Examen Pietatis *Academiæ Iuliæ*, Relatio, Apologia & Retorſio contra D. Frid. Vlr. *Calixtum*, atque Aſſertio opinionis de coniugio cum uxoris defunctæ ſorore, Levit. 18. illud eſſe prohibitum, contra Io. Chriſtoph. *Bucholzium*, multæque Diſputationes, inter quas eminent de priſcæ Eccleſiæ in accuſandis hæreticis æquitate, de iure tertii orthodoxi circa Cenſuram Ieſuitico-ianſenianam, de Pſeudo-Elia, de chriſtianiſmo *Senecæ*, de *Monotheletarum* hæreſi, de Islandia, de Ordine militum templi, *Samuele* perſonato, & ænigmate *Simſonis*. Henning. *Witte* Memor. theologor. p. 2103. *Spener* Conſil. theolog. latin. P. III. 61. 82. 105. *Morhof* Polyh. T. II. 504. & T. III. 31. *Crenius* Methodor. T. II. 188. 425. 429. & I. B. *Berger* Diſſertat. academic. p. 101. 143.

CLIX.

Io. Conradi DANNHAVERI Gamaliel hebræo-teuto, ſanguiſtitii conciliator, ancipitii ſequeſter, pacis conſus. Argentorati 1665. Antea 1648. Quo ſub Gamalielis teutonis, hebræum illum pacificum imitantis, perſona diſſuadet vim & cædes, religionis cauſſa; ſuadet autem colloquia, in quibus, omiſſo infami *Hæreſeos* nomine, res religionis ſine ſophiſtica tractandæ, ac deinde Synodo ad arbitrandum committendæ. Neque tamen ſub finem diſſimulat, per Rationem ſtatus fieri non poſſe, ut condeſcendat Pontifex, & Tridentina ſanctio novum ſubeat examen: hac ratione ſubindicans, vanas eſſe ſpes de conciliatione religionum in S. R. Imperio receptarum.

Io. HVLSEMANNI Brevis inſtructio Studioſorum in univerſitate lipſienſi, quid de reſuſcitatione & excuſatione phraſeos *Maioriſticæ*, Bona opera ſunt neceſſaria ad adipiſcendam ſalutem æternam, ſtatuere habeant. Lipſiæ 1650. *Maioriſticam* vocat illam phraſin, quia D. Georg. *Maior*, theologus quondam witte-

bergen-

bergenſis, ea uſus ſit. Hæc autem eius eſt doctrina: 1. Propoſitionem, *Bona opera ſunt neceſſaria ad ſalutem*, nec perfunctorie examinatam, nec temere excluſam eſſe A. 1550. in Artic. VI. confeſſionis, A. 1568. in Colloquio altenburgico, & A. 1576. in libro Concordiæ. 2. Examen non tantum ſenſu pontificio, reſpectu efficientiæ meritoriæ inſtrumentalis, ſed etiam *maioriſtico* de cauſſa ſine qua non ſalutis, a Maioribus noſtris damnatam, tam in Aug. confeſſ. quam in libro Concordiæ. 3. Propoſitionem, B. O. ſunt neceſſaria *ad conſequendum ſalutem*, vel *ad conſequendam ſalutem*, minus colorari & excuſari poſſe, quam alteram, B. O. ſunt neceſſaria *ad ſalutem*; ideoque ab illa multo magis abſtinendum. 4. Non licere invehere in eccleſiam ullam propoſitionem dogmaticam, in quam, iuxta vulgarem hominum conceptum, ſenſus heterodoxus cadat. 5. Et licere contradicere, & contradicendum eſſe iſti Propoſitioni, etiamſi ex mente auctoris, vel cuiuscunque gloſſatoris, poſſet colorari, & commodo ſenſu exponi. 6. Non licere eam, ſemel exploſam, & oblivione ſepultam, in eccleſiam reducere, etiamſi probabili colore poſſet excuſari. 7. Multoque minus attendendas pro illa eſſe excuſationes, exceptiones & retorſiones hominum de heterodoxia dudum ſuſpectorum, cum ne virorum quidem orthodoxorum pares excuſationes quondam admiſſæ fuerint. Ad extremum in ſolvendis obiectionibus occupatur. Sicut autem hæ lectiones gratæ fuerint Studioſis, de bonorum operum exercitio non ſemper multum ſolicitis, ita refutationem earum reperies in G. *Calixti* Reſponſo ad Hulſemanni Meiſterliches muſter Fff 3. & Appendice c 2. item in ſcriptis Conr. *Horneii*, & Frid. Vlr. *Calixti.* Vnde patebit, non de neceſſitate phraſeos dimicari, dum res modo teneatur ſalva hæc, omnem fidelem, qui ad ſalutem velit pervenire, operum bonorum exercitio, ſi tempus & occaſionem ad illud habet, vacare debere; ſine illo autem neminem viſurum Deum. Verboſam *Hülſemannus* præmiſit Dedicationem, qua CONSTANTINVM Imp. imprudentis & immoderatæ in componenda Alexandri & Arii controverſia feſtinationis accuſat, indictum concertantibus de bonorum operum ad ſalutem conſequendam neceſſitate ſilentium improbat, & ſanam illius phraſeos explicationem, commentum ambiguitatum, conſilio factum, appellat.

Pag. 15. In propoſitione, B. O. ſunt neceſſaria ad ſal. conſequendam, primus & ordinarius conceptus neceſſitatem *medii* ſuggerit,

Negatur, ſi, uti ſe explicat p. 27. *veram cauſſam efficientem* intelligas. Nam ipſo *Hülſemanno* fatente, correquiruntur opera ad fidem, vel tanquam conditio privativa, ne admittatur aliquid contrarium bonis operibus. G. *Calixt*. Reſp. ad *Hülſemanni* Meiſterlich. muſt. Fff 4.

26. Neque hactenus ex univerſa rerum natura ullum exemplum adducit potuit, in quo *opus hominis morale* diceretur neceſſarium ad finem moralem conſequendum, ſenſu ſolius cauſſæ ſine qua non, ſive tanquam ſola remotio impedientis.

An non *impletio conditionis promiſſionibus appoſita*, eſt neceſſaria ad conſequendam rem promiſſam, ſive cauſſa ſine qua non conſequendæ rei promiſſæ? *Idem* l. c.

Aeg. STRAVCHII Conſenſus repetitus fidei vere lutheranæ. Wittebergæ 1668. Audiamus reliqua verba feralis tituli: In LXXXIIX. punctis, quæ contra puram & invariatam Auguſtanam confeſſionem, alioſque libros ſymbolicos, in *Formula concordia*, & ipſomet Corpore doctrinæ Iulio comprehenſos, ſcriptis publicis ita impugnarunt D. Georg. *Calixtus*, eiuſdemque complices, ut *Lutheranorum titulo indignos ſe ſe omnino reddiderint*, a calumniis, mendaciis & iniquis cenſuris D. Frid. Vlr. *Calixti*, *iuſſu & auctoritate Collegii theologici* in academia wittebergenſi, vindicatus. Cui etiam inſertus ipſe Conſenſus repetitus, qui & in Conſiliis theologicis wittebergenſibus exſtat P. I. 928. Mirum, auctorem hunc tam cito immutatum fuiſſe, ut Conſenſum non ab Eccleſia lutherana, ſed D. *Calovio* fabricatum, vindicare ſuſtineret, qui N. H. O. a S. patricio inclytæ alicuius urbis imperialis, ipſum A. 1667. inviſenti, & de iniquitate Conſenſus caloviani (ratione eorum, quæ in antitheſi exſtant contra doctores helmſtadienſes) conquerenti, ſancte adfirmaverat, non ſe videre, quo ille modo defendi poſſet.

poſſet. Id quod collocutor ille, pia anima, in qua nullus erat dolus, nullum commentum, mendacium nullum, ſæpius poſtea, nec ſine dolore, multis narravit. Hoc autem eſt certum, non omnia venerandæ Facultatis membra concurriſſe ad onus defenſionis Strauchio aſſeſſori imponendum: iſque mutati animi habuerit rationes, nobis nec cognitas, nec rimandas. Legi tamen de illis ex parte poteſt *Dedicatio* ad ſummum & illuſtre, quod Dreſdæ agit ac ſplendet, Synedrium; de phraſi autem hac in titulo expreſſa, *In Formula concordia*, pro, In libro Formulæ concordiæ, ipſe *Strauchius* in Erlauterung, ſive Declaratione huius tituli. Qua de re ſupra diximus, pag. 409. Interim notetur, potiſſimum Vindiciis hiſce Strauchianis oppoſitum eſſe graviſſimum ſcriptum, quod ſub nomine Pietatis Academiæ Iuliæ, interprete Herm. *Conringio*, eodem anno 1668. prodiit. Nec prætereundem eſt iudicium celeberrimi D. *Speneri* de Conſenſu fidei vere lutheranæ, quod legitur in ipſius Conſiliorum theolog. latin. P. III. 210. his verbis: *Conſenſum repetitum tanti apud aliquos eſſe, ut etiam confirmetur iuramentis, miratus ſum, & dolui, cum hac legerem. Sed non omnes ſuffragatores inveniet, ſi qui obtrudere conarentur. Memini, conſilia agitata fuiſſe de ſrffragiis Eccleſiaſticorum colligendis; monui, ne tentaretur: nam metum eſſe, ut loco Conſenſus, apud plurimos diſſenſus in publicum prodiret, qui in* θέσει *&* ἀντιθέσει *concordes, in eo ſuam libertatem non paſſuri eſſent conſtringi, an* Calixtus, *vel complices, ita, vel aliter doceant, & qua illorum mens fuerit. Sed omni conatu ipſi ſtudemus ſchiſma in Eccleſia noſtra efficere: quod certe non poterit caveri, ſi quando Conſenſus ille repetitus pro Symbolico libro obtruderetur; quod tamen futurum iam non reor, inprimis, quia nec Witteberga omnino conſentit, vel tota illius ſcripti in ſe ſuſcipit defenſionem.*

Diſſenſus *Theologorum ienenſium* ab Orthodoxis electoralibus, e Ienenſium Declaratione & D. Abr. *Calovii* Syſtemate theologico ad verbum deſcriptus. A. 1678. Ienenſes theologi contra duos quaterniones ſcriptos, in quibus 93. errores ipſis imputabantur, Solida declaratione (quam vocant Ausfuhrliche Erklærung) ſe ſe vindicaverant. Hic autem iam opponitur Diſſenſus hic, a D. *Calovio*, uti creditum eſt, profectus, & 103. errores continens. De contentionibus hiſce iuvat audire *Speneru*, Conſiliorum theol. latin. P. III. 239. pie ſcribentem: *Qua* Wittebergenſem & Ienen-

ſem academicas *collidunt contentiones, grave mihi videntur minari incendium; Ab ſi exemplis hiſce diſceremus, ad priſcam apoſtolicam ſimplicitatem, qua tota theologia recta in Chriſtum fide, haud adeo multis articulis definita, & iugi eius per caritatem exercitio abſolvebatur, redire, & eas vitare ſubtilitates ſcholaſticas, ex quibus tot mala, de quibus 1. Tim. 6, 4. 5.*

Diſſenſus *Theologorum ienenſium* hodiernorum a ſuis maioribus & prædeceſſoribus. 1679. Ex eodem equo troiano, quo prior. Et hic tractatus conſtat XXII. Quæſtionibus ſive punctis, in quibus Ienenſes erraſſe accuſantur. Bene autem ſe habet, quod in plurimis, utpote in rebus non ad fidem, ſed ad theologiam ſcholaſticam, quæ tamen, ut inanis & matæologica ſtatim in initio improbatur, pertinentibus controverſia ſit, ac diſſenſus.

Abr. CALOVII Antibœhmius. Witteb ergæ 1684. In quo docetur, quid habendum ſit de ſecta Iac. *Bœhmii*, ſutoris gœrlicenſis, & an quis, invariatæ Auguſtanæ confeſſioni addictus, ſine diſpendio ſalutis, ad eandem ſe conferre, vel in eadem perſeverare poſſit? Quæſtio hæc ab auctore negatur ex XIII. rationibus: eique ſub finem additur Coronis de admiranda & gratioſa converſione non paucorum ex illa ſecta. Ioach. *Langius* cum aliis miratur in Ingenuis relationibus T. V. 32. D. *Calovium*, cui merita ſua non invideat, nec debita moderatione, nec eo, quo alias polleat, iudicio hunc ſcripſiſſe librum, ſed bona malis, dulcia amaris, & lucem tenebris ex præcipitantia miſcuiſſe. Et Frid. *Brecklingius* oppoſuit ei Anticalovium, ſive Calovium cum aſſeclis ſuis proſtratum, & Iac. *Bœhmium* cum aliis teſtibus veritatis defenſum. De quo vide *Arnoldum* P. III. 146. & *Narrat. innoc.* A. 1705. 266.

Pag. 131. Inter autores Sectæ Bœhmianæ Georg Conrad *Diefeld*, & Balthaſ. *Rebban*, tanquam *complices Amersbachii*.

Diefeld & *Rebban* erant *adverſarii* tam Bœhmii, quam Ammersbachii in puncto ſententiæ de regno millenario. C. *Sagittarius* Introduct. in Hiſt. eccl. T. I. 921.

Præclariſſimi alicuius theologi lutherani Iudicium de *Calixtino* deſiderio & ſtudio farciendæ concordiæ eccleſiaſticæ. Freibergæ

bergæ (1651.) Auctor eius eſt D. Io. HVLSEMANNVS, ſicut *Spizelius* Templo honor. refer. p. 266. & *Witte* Memor. theologor. p. 1385. indicant: iſque Deſiderium calixtinum ait eſſe erroneum, ſcandaloſum, & noxium; immo etiam multa continere falſa & *ἀσύστατα*. Quæ tamen *filius* Georgii *Calixti* pluribus in locis vindicare allaboravit. Vide *Partis* huius pag. 300.

CLX.

Adami RECHENBERGII Deutlicher vortrag, Plana traditio prophetico-apoſtolico-euangelico-lutheranæ doctrinæ de termino gratiæ peremtorio. Lipſiæ 1700. Qua id repetit, quod in diſputatione quadam de hoc argumento tradiderat; & nunc quidem germanice in gratiam eorum, qui latina non intelligunt: cum plurium obiectionum ſolutionibus. Ante omnia format ſtatum huius controverſiæ, dicens, non eſſe ſermonem de eo, an Deus omnes homines velit ſalvos fieri, iiſque omnia gratiæ media offerat & conferat; neque de hoc, an Deus apoſtatis, aliiſque magnis peccatoribus, qui enormibus facinoribus fœdus baptiſmi fregerunt, & veram fidem Deique gratiam amiſerunt, novam iterum gratiam ad converſionem ac veram pœnitentiam, ut ſalvi fiant, largiri velit; ſed de refractariis, contumacibus, occœcatis, induratis, & propter ipſorum perpetua peccata, iuſto Dei iudicio, in reprobum ſenſum datis peccatoribus: an hiſce Deus gratiam ſuam identidem, & uſque ad ipſorum obitum ſe daturum promiſerit; aut, an non illis, conſilio ſapientiſſimo, ſecundum iuſtitiam ſuam, ex voluntate conſequente iudiciaria, certum gratiæ terminum hac in vita poſuerit, qui non ſemper ad finem naturalis vitæ talium hominum pertingat? Et hic priorem quæſtionem negat, poſteriorem affirmat. Obſtitiſſe autem Rechenbergio hac in doctrina præcipue D. Thomam *Ittigium*, eius collegam, notius eſt, quam ut opus ſit dici. Denique Appendicem annectit ex Theoph. *Groſgebaueri* Clamore vigilis de ſera pœnitentia. Planam hanc Traditionem poſtea diverſis temporibus ſecutæ ſunt IIX. Appendices, videlicet I. de ortu huius certaminis, & quod ianua gratiæ divinæ non pateat prorſus obſtinatis, uſque ad finem ipſorum vitæ. II. Contra Diſputationem & cenſuram quandam *vitembergenſem*. III. Contra Alb. Ioach. *a Krakevitz* Diſquiſi-

quiſitionem Scripturæ conformem. IV. Contra D. *Ittigii* Defenſionem ac Reſponſionem ad I. Appendicem. V. Contra *eiusdem* Reſponſionem ad IV. Appendicem. VI. Contra I. G. *Neumanni* Erœrterung ſive Explicationem, cum aliquibus teſtimoniis præclariſſimorum *theologorum* adverſus doctrinam Neumannianam. VII. Contra *Ittigii* Reſponſionem ad V. Appendicem, & 4. alios litis conſortes. p. 102. 118. 122. 129. Cum teſtimoniis non nullorum *theologorum*. p. 138. IIX. Contra *Ittigii* Annotationes ad VII. Appendicem, cum teſtimoniis multorum theologorum. Neque deſunt Additamenta & inſerenda, & I. quidem ad VII. Appendicem, contra *Ittigii* Præfationem, VII. Additamento oppoſitam. II. contra *eiusdem* Additamentum ad ipſius Annotationes in VII. Appendicem. III. contra *eiusdem* Schediaſma, II. Additamento oppoſitum: cum D. Io. *Olearii* Depulſione iniuriarum, adverſus ipſum effuſarum, & Baronis *Linckeri* Iudicio de cauſſis Pietiſtarum: præterea contra *Ittigii* Concionem feſti natalitii.

Adamus *Rechenberg*, natus Auguſtoburgi in Miſnia, d. 7. Septemb. A. 1642. S. theol. doctor & profeſſor primarius, Collegii theologici & Nationis miſnicæ ſenior, canonicus miſnenſis, Stipendiariorum ephorus, Academiæ decemvir, & Maioris Principum collegii collegiatus, de humanioribus & ſacris litteris optime meritus, præſtantiſſima & utiliſſima ſcripta edidit, inter quæ Liber memorialis prælectionum hiſtoricarum, Liber de ſtudiis academicis, Summarium hiſtoriæ eccleſiaſticæ, Diſſertationes hiſtorico-politicæ, Volumen exercitationum in novum Teſtamentum, Hiſtoriamque eccleſiaſticam, & literariam, varii argumenti, & Fundamenta veræ religionis prudentum. Apud *Crenium* Animadverſ. philol. & hiſtor. P. XIX. 43. laudem habet viri præſtantiſſimæ civilitatis, variiſque litteris & ſcientiis eruditi; & apud Laurentium *Norrmannum* Præfatione in Confeſſionem eccleſiæ oriental. cap. 8. ampliſſimi celeberrimique bonarum litterarum antiſtitis, της τε φιλοξενιας και φιλοφιλιας χαριν ubique laudatiſſimi.

Nic. Chriſtoph. *De Lyncker*, marpurgenſis, eruditione, virtute, dexteritate & meritis ſuis ea præmia tulit, ut maiora ne optare quidem potuiſſet: creatus enim doctor utriuſque iuris, ius publicum & feudale docuit in academia gieſſenſi, inde Iſenaci munus

nus geſſit conſiliarii aulici & regiminis, poſtea Io. *Struchio* ſuffe-ctus profeſſionem obtinuit primariam cum procancellariatu in academia ienenſi. Neque hic terminus dignitatum. Nam & conſiliarius factus eſt Aulæ ienenſis, conſiliarius intimus vinarienſis, itemque præſes non modo ſupremi, quod ibi eſt, conſiſtorii, ſed tandem etiam conſilii ſecreti ducalis. Interea varias quoque ablegationes obivit, interque eas unam ad auguſtiſſimum litteratiſſimumque Imperatorem, LEOPOLDVM, huiuſque tantam ſibi acquiſivit gratiam, ut ab eo Nobilis & Eques, deinde etiam Baro S. R. I. proprio motu declararetur, atque ad ſplendidiſſimum poſtea munus conſiliarii in romano Imperio aulici, in quo hodienum claret fulgetque, clementiſſime vocaretur. Quid præſtare queat vir hic per illuſtris, ac generoſiſſimus, non tantum collegia eius tam philoſophica quam iuridica, nec non ſpartæ illæ, quas memoravimus, ſed & ſcripta eius, partim Gieſſæ, partim Ienæ edita, loquuntur. De quibus, eorumque ampliſſimo auctore lege, ſi placet, *Zeumerum* in Vitis ICtorum ienenſium p. 191. noſter enim ſtilus obtuſior eſt, quam ut ad prædicandas herois laudes ſufficiat.

RECHENBERGII Animadverſiones in *Wittebergenſium theologorum* Reſponſum, Lipſienſi in cauſſa de termino gratiæ divinæ oppoſitum. 1700. Quod Reſponſum hic ipſum inſertum eſt.

EIVSDEM Conſenſus orthodoxus, malevolorum novaturientium per calumniam confiɛto Diſſenſui oppoſitus. 1701.

EIVSDEM Paræneſis ad ſtudioſam Iuventutem lipſienſem ſuper D. *Ittigii* Prælectionibus de ſtatu induratorum publice dictatis, poſteaque publicatis.

EIVSDEM Paræneſis altera ad eandem Iuventutem ſuper Epiſtola D. *Ittigii*, qua ſuas Prælectiones de ſtatu induratorum vindicare molitus eſt.

Pauli Matthiæ ENGELII Epiſtola ad I. C. Roſteuſcherum, qua ſententia de gratiæ revocatricis termino adverſus novaturientium importunas vellicationes defenditur. 1700.

Sileſii alicuius PASTORIS EVANGELICI Kurtzer entwurf, Brevis delineatio, quomodo nuper oppugnata doctrina

Digitized by Google

de termino ſalutis humanæ peremtorio ſimpliciter intelligenda ſit: cum PATRIS ad filium hac de re Epiſtola. 1700.

Duorum theologorum lutheranorum Iudicia de gratiæ revocatricis termino. Lipſiæ 1701. Qui ſunt LVTCKEN & FISCHER.

Fran. Iulius *Lütken*, luneburgenſis, ex rectore ſcholæ brandenburgicæ diaconus eccleſiæ S. Catharinæ magdeburgenſis, inde præpoſitus ſtargardienſis, poſt hæc S. theol. D. & præpoſitus berolinenſis, tandemque in urbe regia hafnienſi eccleſiaſtes aulicus, aſſeſſor Conſiſtorii, & ſacræ profeſſor theologiæ in academia Equitum, reliquit Conciones funebres & miſcellaneas, Conciones pœnitentiales, Explicationem epiſtolæ S. Pauli ad Coloſſenſes cum Annotationibus in Epiſtolam ad Titum, & Collegium biblicum, ſecundum Locos theologicos adornatum: quæ omnia poſt eius obitum conquiſita & impreſſa ſunt. Ipſe autem hinc migravit anno Chriſti 1712.

Io. *Fiſcher*, lubecenſis, *Bangerti* & Aug. *Varenii* diſcipulus, S. theol. doctor, & primum ſuperintendens ſulzbacenſis, deinde ſuperintendens per Livoniam generalis, ſupremi Conſiſtorii regii præſes, & Academiæ dorpetanæ procancellarius, tandemque præpoſitus cœnobio magdeburgenſi ad D. Mariæ, de litteris æque ac pietatis ſtudio præclare meritus, edidit Libellum Rich. *Baxteri* de abnegatione ſui, in ſermonem germanicum translatum, (ob quem laborem, quis non miretur? in fanaticiſmi ſuſpicionem incidit) Verſionem S. ſcripturæ V. & N. Ti letticam, Dogmatum fidei chriſtianæ ex ſacris litteris iuxta ſeriem Aug. confeſſionis repetitorum decades II. Preces & ſuſpiria ad Io. *Arndii* libellum de genuino chriſtianiſmo, Imaginem boni feliciſque Monarchæ, & Reſponſionem, ſub nomine Chriſtiani *Aletheophili*, ad Epiſtolam C. *Conſcientioſi*, luciſque uſura privatus eſt anno Chriſti 1705. ætatis 69. Io. Henr. *Von Seelen* Athen. lubecenſ. P. I. 310.

EXCERPTA e ſermone quodam de termino gratiæ & ſalutis: in quibus ſtatus controverſiæ dilucide proponitur, fundamentum diſputationis oſtenditur, res ipſa facilis redditur, & ad conciliandos diſſidentes occaſio porrigitur.

Vnmaſsgebliche gedancken, Modeſtæ cogitationes, quo utrumque modo dici queat, Gratiam Spiritus ſancti operatricem,

& in

& in univerſum omnem gratiam habere, & non habere terminum. Auctorem habent Ferd. Helfr. LICHTSCHEIDIVM, tunc temporis eccleſiaſten cicenſem Miſniæ.

Phil. Iac. SPENERI Concio pœnitentialis de iudicio induratiónis, cum ſubiuncta Explicatione ſuæ doctrinæ de termino gratiæ omnibus præfixo hominibus, & vindiciis locorum, ſuis e ſcriptis a D. Io. Georg. *Neumanno* in II. diſputationibus perverſorum. Francofurti 1701.

Ad. RECHENBERGII Epiſtola ad Euſebium Pacianum ſuper Paræneſi ad Theologos lipſienſes, in qua D. El. *Veitlii* Diſſertatio eccleſiaſtica hic recuſa pro merito ſimul commendatur. Lipſiæ 1701.

Br. MVLLERI Epiſtola de noviter quæſito conſortio plurium oppugnatorum termini gratiæ revocatricis.

Teophili IRENAEI Iudicium de termino gratiæ divinæ peremtorio: in quo ſententiam fert de Euſebii *Paciani*, (quod nomen aſſumere placuit M. Io. FRICKIO, ulmenſi, nunc in patria ſummi templi paſtori & profeſſori theologiæ in Gymnaſio) *Stolzii*, D. Io. Chriſtiani *Adami*, & *thuringi* alicuius ſcriptis, terminum gratiæ negantibus; *Rechenbergio* autem ſuadet, ne funem controverſiæ cum antagoniſtis, poſtquam ſatis ſe defendiſſet ac bonam cauſſam, trahere pergat.

Io. Conradi FEVERLINI Iudicium de controverſia termini gratiæ, ſive Præfatio ad ipſius Noviſſima noviſſimorum de ſtatu damnatorum in beatitudinis experte æternitate infernali.

Io. Conradus *Feuerlein*, Eſchenavia-noribergenſis, *Rattenbecchi*, *Omeiſii*, *Sturmii*, *Wagenſeilii*, *Reinharti* & *Sauberti* in academia altorfina, ubi & lauream accepit magiſterialem, in ienenſi autem potiſſimum *Baieri* diſcipulus, confecto itinere hollandico & anglicano conſtitutus eſt in urbe patria diaconus primum ad S. Aegidii, deinde ad S. Sebaldi, atque inde retractus ad priorem ædem, ut eius eſſet paſtor atque antiſtes, pariterque inſpector Gymnaſii. Neque tamen fata voluere, ut præſtantiſſimus vir in

Digitized by Google

patria ſepeliretur terra: paruit enim novæ vocationi, & Nordlingam conceſſit, pari fide & vigilantia, ut Norібergæ fecerat, primarii paſtoris, ſuperintendentis & ſcholarchæ munera ſequens, uſque dum hemiplexia, nec longe poſt plena apoplexia corriperetur, atque ita finem laborum & vitæ facere a ſupremo rerum Moderatore iuberetur: id quod factum anno 1718. poſtquam annos tranſegerat 62. & 8. hebdomadas. Vide *ipſius* Curriculum vitæ, ubi & eius ſcripta recenſentur, quæ conſiſtunt in Diſputatione philoſophica de immaterialitate mentis humanæ, duplici Diſquiſitione de univerſali Dei gratia, & electionecontra Io. Dan. *Schmidtmannum*, Reſtauratione gymnaſii ægidiani noribergenſis, & variis Concionibus. A D. *Rechenbergio* magnum reportavit elogium, dum verus ab eo & præſtans theologus fuit vocatus, in Præfat. in Lichtſcheidii Vera pacis media in controverſia de termino gratiæ b.

Io. Sigiſmundi BESSERITZII Spermologia Niehenckiana, ſive Refutatio Georg. Frid. *Niehenckii*, qui pro defenſione Concionis pœnitentialis Zach. *Grapii* ſe ſe oppoſuit Examini illius concionis, a *Beſſeritzio* inſtituti: cum Appendice de heterodoxia & matæologia antiterminiſtica *Niehenckii* & D. *Daſſovii*. Lipſiæ 1702.

Io. Sigiſm. *Beſſeritz*, Philoſophiæ magiſter, erat tunc paſtor alicuius eccleſiæ.

CLXI.

Iuſtini TOELLNERI Vnrechtmæſſige abſetzung, Illegitima depoſitio: in refutationem duorum ſcriptorum D. Valent. *Alberti*, quæ hic contra eum edidit, pariterque D. *Spenerum* ſuſpectum reddere auſus eſt. Glauchæ 1697. Vbi etiam eſt refutatio eorum, quæ in Delictis Pietiſtarum contra ipſum publicata ſunt, aliæque res memorabiles, ut de cereviſia pentecoſtali, vero pietiſmo, obſervatione mandatorum Dei, potatione, luſu, choreis, libris ſymbolicis, millenario Chriſti, paſtorum ad auditores admonitionibus privatis, longis concionibus, remotione impœnitentium a loco confeſſionis, & reliqua.

Iuſtinus *Tœllner*, natus Geræ, paſtor fuerat Planitſchiæ, Sommerfeldæ & Althenæ, ſub inſpectione lipſienſi, & ſcripſit Inſtructionem, Scripturæ ſacræ conformem, de mox futuro, ſplendido & bene-

benedicto regno Chriſti, eiusque fidelium millenario, editam in 4. Poſt remotionem vero inſpector factus Orphanotrophii Glaucha-halenſis, omnem in hoc munere fidem, operam atque vigilantiam præſtitit, donec ſpiritum Deo redderet A. 1718. ætatis 63.

Prûfung, Examen iniquæ alicuius cenſuræ Anonymi cuiusdam ſuper controverſia de termino gratiæ divinæ. 1702. Auctore, ut nuper reſcivi, Ferd. Helfr. LICHTSCHEIDIO.

Adami RECHENBERGII Gegenantwort, Replica ad D. Io. Dan. *Arcularii* Irregularem reſponſionem de datis contra eius Reſponſum in cauſſa terminiſtica commonefactionibus: cum Præfatione contra D. Andr. *Kuhnii* Vnterricht ſive inſtructionem de controverſo tempore gratiæ, in qua oſtenditur, bonum virum a ianua ſtatus controverſiæ aberraſſe, & de cepis blateraſſe, quum alii de allio loquerentur.

Ferd. Helfr. LICHTSCHEIDII Vera pacis media in controverſia de termino gratiæ. Lipſiæ 1702. Occaſionem ad hoc ſcriptum dedit rever. Miniſterium lubecenſe Defenſione ſui in cauſſa terminiſtica dati Reſponſi adverſus D. Rechenbergii Examen. Præfationis autem auctor eſt ipſe *Rechenbergius*, in qua ille diſputat contra M. Thomam *Honſtedtium*, paſtorem & S. Miniſterii lubecenſis ſeniorem. Obſervat tamen *Lichtſcheidius* ſtatim in Principio, ſcriptum illud lubecenſe magis, quam alia, modeſtiam obſervaſſe, idque laudat ex merito. Et duo hic capita perſequitur: 1. D. Rechenbergium propoſitis pacis mediis uſurum, & uſum eſſe, modo ab altera parte vacivas inveniſſet aures. 2. ſi quæ ſint obſtacula, quæ tam laudabilem ſcopum impediant adhuc, iis ab utraque parte occurrendum eſſe.

Ferdin. Helfricus *Lichtſcheid*, natus Wermlingæ, pago Auſtriæ, V. lapidibus ſupra Viennam, in pueritia exul factus, & patre orbatus, diſcipulus Erh. *Weigelii*, & Fridem. *Bechmanni*, primum diaconus cizenſis, poſtea S. theol. doctor, conſiliarius conſiſtorialis Regiæ Maieſtatis boruſſicæ, paſtor & præpoſitus ædis S. in Colonia ad Spream, Circuli ad eam pertinentis & Gymnaſii inſpector, commiſſarius Directorii pauperum, & Academiæ ſcientiarum regiæ ſocius, vir infirmæ quidem valitudinis, ſed a

Deo mire confortatus, ita ut concionando, meditando & ſcribendo, (inter cuius ſcripta eſt etiam Intereſſe veritatis) aliisque laboribus multum præſtare valeret, piam animam Deo reddidit A. 1707. cum vixiſſet annos 46. Suam ipſe vitam deſcripſit, eaque annexa eſt ſermoni ſacro, quem in funere eius ad eccleſiam habuit Luc. Henr. *Theringius.* A D. *Rechenbergio* egregium nactus eſt elogium, quippe qui eum in Præfatione Veris pacis mediis præfixa a 3. vocat non ſolum fundamentaliter doctum philoſophum, ſed accuratum quoque & chriſtianum theologum.

M. G. W. P. L. Grundlicher beweis, Fundamentalis demonſtratio, Thomam *Honſtedtium* in ſua Remonſtratione veritatem & innocentiam violaſſe. Lipſiæ 1703. Cum Præfatione D. *Rechenbergii* ad Paſtores lubecenſes, & XX. Quæſtionibus ad Ioan. *Wincklerum*, paſtorem hamburgenſem, ſuper eius Epiſtola ad D. Io. *Fechtium*. Et Demonſtratio & Quæſtiones ſunt LICHTSCHEIDII.

Ferd. Helfr. LICHTSCHEIDII Freundliche bitte, Amica petitio melioris explicationis doctrinæ de termino gratiæ, in quantum ille in fine vitæ corporalis, ſive in temporali morte ponitur. 1703. Petitio hæc fit ad *Honſtedtium*, rev. Miniſterii lubecenſis ſeniorem, cui III. proponit quæſtiones: 1. cur illud temporis intervallum, quod a petulante induratione incipit, & uſque ad mortem durat, tantum eiusmodi ſint actiones voluntatis Dei, quæ quidem divinam peccatorum pœnam, ſed ſemper cum reſpectu ad pœnitentiam induratiſſimi etiam peccatoris, ſecum trahunt; nunquam vero pœnam, quæ ſine intuitu pœnitentiæ hominis perpetuo obſtinati eſt, in ſe pati ac tolerare poſſint; & quomodo hæc pœnitentis hominis pœna conciliari poſſit cum eo, qui peccatum commiſit in Spiritum ſanctum? 2. Cum in morte temporali concurſus fiat diverſarum actionum, quænam Deo, homini, & morti tribuendæ ſint: & quænam ex illis, una ne, an plures, mortem proprie conſtituat vel conſtituant terminum gratiæ peremtorium, adeo ut gratia poſtea in æternum non poſſit offerri? 3. Quam connexionem mors habeat cum ſequente æternitate, & an immutabilis ſemper ſtatus in æternitate initium faciat?

EIVSDEM Sendſchreiben, Epiſtola ad D. Io. *Fechtium*, Lipſiæ 1703. A quo humaniſſime petit, ut de præcedentium quæſtionum

ſtionum triga ſententiam ferat, atque oſtendat, cur finis vitæ naturalis finem faciat gratiæ divinæ?

Ierem. Henr. RICHTERI Ittigiſche Diſputirkünſte, Sophiſticationes Ittigianæ. Lipſiæ 1703. Bene multas detegit auctor, atque ad eas reſpondet. Præfatio eſt *Rechenbergii*, qua Ittigii falſa, ut vocat, & iniurias repetit ac refutat.

Frid. Helfr. LICHTSCHEIDII Hertzliche Ermahnung, Pia admonitio ad D. Thomam *Ittigium*, ut ab uſitatis ſarcaſmis in ſcriptis controverſiarum deſiſtat, & plus conſcientiæ, moderationis & caritatis oſtendat. Lipſiæ 1703.

Petri Sigism. PAPE Gebührende ablehnung, Iuſta repulſio deriſionum & conviciorum, quibus adverſus ipſum uſus eſt D. Thomas *Ittigius* in Præfatione in II. Partem ſuarum concionum funebrium. In hoc ſcripto defendit ſe auctor & graviter, & modeſte, idque in forma epiſtolæ direxit ad D. Io. *Olearium*, Ordinis theologici illo tempore ſeniorem.

Petrus Sigismundus *Pape*, natus Freyenwaldæ ad Viadrum A. 1666. die 20. Aprilis, Doctorum lipſienſium Io. Benedicti *Carpzovii*, Io. *Olearii*, Val. *Alberti*, Aug. *Pfeifferi* & Lic. *Rivini* diſcipulus, primum diaconus ſubſtitutus eccleſiæ patriæ, pariterque modo conrector, modo rector ſcholæ, deinde eccleſiaſtes ad S. Petri Coloniæ ad Spream, & propter inſignem eruditionem ac peritiam, præſertim in linguis orientalibus, in Societatem ſcientiarum receptus Regio-boruſſicam, multis variisque ſcriptis eſt celebris, tam latinis, quam germanicis. E germanicis ſunt illa contra D. *Ittigium* & D. *Stolzium* in cauſſa terminiſtica, Chriſtianiſmus apoſtolicus, Catena catechetica, Explicatio epiſtolæ S. *Iudæ*, Diſcrimen doctrinæ ſocinianæ & euangelicæ, Error mortalium de externa communione chriſtianæ eccleſiæ, Marchicæ & euangelicæ conciones iubilæi, Veritas pro termino gratiæ contra *Niebenckii* Terminiſtam calvinizantem, *Zennoreunam* ad Io. 3, 8. Lucubratiuncula de officio Chriſti mediatorio, & Lexicon onomato-phraſeologicum N. Tti, cuius præceſſerat Compendiolum, ſeu Specimen. Sat magnum eſt elogium, quo eum mactat tam veri, quam iuſti amans D. *Rechenbergius* Præfat. in Richteri Sophiſticationes Ittigianas B 3. ſcribens, eſſe doctum & verum theologum.

EIVS-

Digitized by Google

EIVSDEM Gewiſſens-rüge, Conſcientiæ vellicatio, ad D. Thomam *Ittigium*, & quidem adverſus eius animoſas exceptiones in Præfatione in Reineccii Boeſianiſmum per theologorum Reſponſa & teſtimonia condemnatum. Coloniæ ad Spream 1704. Bono ait Papius ſe id animo ſcripſiſſe, atque eum in finem, ut Ittigius converteretur. Addidit etiam Præfationem ſeu Epiſtolam ad D. Fran. Iul. *Lutken*, cui adhuc collegæ ſuo, iam vero in Daniam abituro ad capeſſendum munera conſiliarii conſiſtorialis, concionatoris aulici, & profeſſoris theologiæ, gratulatur de novis dignitatibus, & optima ei quæque adprecatur, in fine promens teſtimonium *Bugenhagii* de iis, qui peccatum committunt in Spiritum ſanctum, quod tales reſipiſcere deinde nequeant. Sicut ad calcem huius tractatus exhibet teſtimonia *Hulſemanni*, & Sal. *Gesneri*, adverſus Ittigii ſententiam.

Baſilii SCHMIDII Klarer beweis, Perſpicua demonſtratio contra D. Io. Georg. *Neumannum*, & D. Thom. *Ittigium*, quod nova falſi terminiſmi defenſione ſua, ab Huberianiſmo & Puccianiſmo minime ſe liberaverint. Francofurti & Lipſiæ 1704. Hic igitur ex profeſſo agit de *Huberianiſmo* & *Puccianiſmo*, ac telum in aggreſſores retorquet, quo illi ipſum ferire intenderant.

Andreæ STVBELII Rede mit Gott, Colloquium cum Deo de eo, quod Spiritus antipietiſtici A. 1699. publice expoſuerunt. Francofurti 1700. Et nominatim quidem D. Sam. *Schrœer*, D. Iac. *Wachtler*, D. Sam. *Schelgvig*, M. Frid. Chriſt. *Bücher*, & A. M. Z. P. C. L. Cui inſertæ ſunt Epiſtolæ ad D. Io. Georg. *Neumannum*, D. Io. Henr. *Feuſtkingium*, D. Io. Frid. *Majerum*, D. Sam. *Schelgvigium*, M. *Bücherum*, & M. Albert. Chriſtianum *Rotthium*. Quorum omnium conſcientiam fodicat, & ne ex pietatis commendatione ſtudioque monſtrum pietiſmi facere, eumque in cultoribus ſuis perſequi pergant, hortatur. Agit etiam de D. Io. *Fechtio* p. 29. & *Majero* p. 30.

Das befriedigte gewiſſen, Tranquillata conſcientia ſuper ſanctificatione ſabbati. A. 1703. Auctor eius eſt Io. WELMER, qui ex ſcriptura S. & primorum Chriſtianorum praxi oſtendit, præceptum de ſabbato, in quantum eſt ceremoniale, Chriſtianos non

non obligare: interim bene fieri, ut die dominico, qui SS. Apoſtolis placuit, & inde ab eo tempore inter Chriſtianos ad hoc negotium obſervatus fuit, ſynaxis fiat, & cultus divinus inſtituatur: curandum autem Magiſtratui chriſtiano, & Miniſtris eccleſiæ, ut verum celebretur ſabbatum, ſine peccatorum perpetratione, ſed & ſine rigore iudaico. Scriptum hoc accurate eſt concinnatum, & lectione dignum.

Io. *Welmer*, Egelna-magdeburgicus, a regimine ſcholæ wanzlebienſis ad paſtoratum ſchermekenſem vocatus, per XXVI. annos ſingulari eum fide, induſtria ac diligentia obiit, & vel XX. tractatibus germanicis in publicum emiſſis vitam depoſuit A. 1704. ætatis 53. cum dimidio. Inter illos autem ſunt Vnitas ſpiritus, verum fundamentum conciliandi religiones diverſas: Simplex inſtructio, quomodo Eccleſiæ Proteſtantium coniungendæ, atque ita reformandæ ſint, ut apoſtolico cœtui vere comparari poſſint: Fontangiarum delectatio, in piis mulieribus & virginibus ſedata & ſuppreſſa: & Mens cordis ſui, ſive magna & ſingularis devotio, quam nonnulli Chriſtianorum hodie venditant, quando ſe ab Eccleſia Chriſti ſeparantes, ſine neceſſitate S. cœnam ſive ſoli, ſive cum ſecta ſua celebrant.

SINCERI EVANGELICI Sendſchreiben, ad Saxonicum aliquem theologum de vera, viva & activa fide. 1699. Verus huius Epiſtolæ auctor eſt D. Paulus ANTONIVS, docens in ea, fidem veram, vivam & activam requiri ad iuſtificationem, & vivam atque activam dici, non quia vitam & efficaciam ſuam a caritate accipiat, neque propter apprehenſionem Chriſti, ſed quia eſt vis & operatio Spiritus ſancti, & iam viva eſt, cum Chriſtum apprehendit. Et hanc doctrinam tuetur contra D. Io. Georg. *Neumannum*, & D. Sam. *Schelgvigium*.

Paulus *Antonius*, natus Hirſchfeldæ prope Zittaviam in Luſatia A. 1661. sereniſſimi Friderici Auguſti, heredis Electoratus ſaxonici, a concionibus in bienni per Galliam & Hiſpaniam itinere, deinde ſuperintendens rochlizienſis, ac tandem theol. doctor & profeſſor in academia halenſi, atque aſſeſſor Conſiſtorii regii, vir religioſiſſimus, paciſque & concordiæ amans, exhibuit Concilii tridentini, adeoque & Pontificiorum doctrinam publicam, & plures

Diſſertationes, ut de Inſigni harmonia fidei, quæ iuſtificat, & fidei, quatenus iuſtificare dicitur, de Qualitate fundamentorum, ex quibus *Pontificii* Principibus perſuadere nituntur Profeſſionem fidei tridentinæ, contra *Anonymi* alicuius, cur ſereniſſimus N.N. romano-catholicæ ſe addixerit religioni, ſcriptum, de ἱλασμῷ ſive Propitiatione, ex 1. *Io.* 2, 2. de Vera & falſa doctrina recte dignoſcenda, de Diſcrimine praxeos philoſophicæ & theologicæ, de Libertate chriſtiana, ex *Luthero*, de Genuino principio actionum chriſtianarum, de Redemtione per λυτρον ſeu pretium: & alia.

Io. Adolphi FROHNII Gründlicher beweis, Solida demonſtratio ſpiritualis ſacerdotii omnium prudentum, Deoque devotorum Chriſtianorum. Muhlhuſii 1703. Contra P. Edmundi *Baumanni* Partem I. Vocationis apoſtolicæ romano-catholicorum Sacerdotum: Cuius etiam Excerpta hic dantur, ad quæ Frohnius ex ordine reſpondet. Spirituale autem ſacerdotium ita deſcribit, quod ſit dignitas & ius ſpirituale, quod Chriſtus fidelibus ſuis liberis in baptiſmo, & per unctionem Spiritus ſancti in converſione largitus eſt, in quo, virtute inhabitantis Spiritus, quotidie Deo grata offerunt ſacrificia, ſed & proximum ſuum ex verbo Dei ædificant, pro ſuo proximo deprecantur, eique benedicunt, in caſu neceſſitatis baptiſmum adminiſtrant, peccatorum abſolutionem annunciant, S. cœnam porrigunt, præterea doctrinas & opera hominum ex verbo Dei diiudicant, templi ſui ſpiritualis curam gerunt, ſancto in decore coram Deo ambulant, & ſanctum perpetuo celebrant ſabbatum.

Io. Adolphus *Frohnius*, primum rector ſcholæ lemgovienſis, deinde ibidem paſtor, poſtea S. theol. doctor, paſtor primarius, ſuperintendens, Conſiſtorii aſſeſſor, & ſcholarum inſpector in libera & imperiali urbe Muhlhuſio, laudatus a *Theologis rintelienſibus*, quod in theologicis eximie ſit doctus, & invariatæ Auguſtanæ confeſſioni ſincere addictus, quodque eius eruditionem non ſatis commendare poſſint, obiit A. 1713.

M. T. H. (M. Tobiæ HOEPFNERI) Vnterricht, Inſtructio, ſecundum quam ſtudioſus theologiæ biennii ſpatio tantum poteſt addiſcere, ut Deo & hominibus in munere ſuo recte &

dextre ſervire valeat. Atque hoc opus ſuum duobus abſolvit capitibus, quorum primo agit de initio ſtudiorum in genere; ſecundo de modo tractandi ſtudia theologica & philoſophica, ac ſpeciatim de theologia thetica, polemica, exegetica ſeu homiletica, morali; item de Logica, Oratoria, Phyſica, Hiſtoria, & Geographia. Nec diffitendum, utiles hic tradi doctrinas, & monita perquam utilia.

Tobias *Hæpfner*, philoſ. magiſter, eoque tempore, quo Inſtructionem edebat, legens Lipſiæ, ſive privatus doctor, deinde paſtor adiunctus Klein-Gaffranii in Sileſia, adverſarium eo expertus eſt D. Io. David. *Schwerdtnerum*, quod omitteret in concionibus exordia, & orationem dominicam, valviſque templi hymnos, qui cantari deberent, affigendos curaret. Sed non tantum ipſe contra eum ſe defendit, verum etiam defenſus eſt a Liebmanno Philippo *Zeiſoldo*.

Conſtantini SCHVTZII Infelix laqueus diaboli, quo multi clerici captivi trahuntur ad triſtiſſima fata Iudæ Iſcharioth. Lipſiæ & Regiomonti 1702. Oppoſitus Cenſuræ I. C. S. adeoque eſt Apologia contra obiectiones ipſi factas.

Conſtantinus *Schützius*, wratislavienſis, Aegid. *Strauchii*, & Io. *Muſæi* diſcipulus, primum eccleſiaſtes in inſula Stublavienſi, patriæ ſuæ, deinde diaconus in æde catharinea, tandemque paſtor ad S. Mariæ, edidit Diſputationem de fundamentis hypotheſium aſtronomiæ, Manes *Rathmanni* intempeſtive evocatos, Orationem *Chytræi* de Studio theol. recte inſtituendo, cum Annotationibus, Medicamen contra *Schelgvvigii* pomum eridos, Vindicias Informatorii biblici Io. *Arndii*, & alia, atque in munere ſacro, fideliter ſerviendo, conſumtus eſt A. 1712. ætatis 65. *Charitius* de viris eruditis gedanenſibus p. 130.

Io. VINITORIS Specimen vindiciarum adverſus Sebaſt. *Edzardi* Schediaſma de termino gratiæ. Magdeburgi 1702. Cenſorem illum ait D. *Rechenbergio* affingere, quod præſidium ſuæ de termino gratiæ revocatricis ſententiæ tantum in teſtimoniis theologorum quæſiverit, ipſum vero nec ſubiectum, nec prædicatum, nec nexum quæſtionis intelligere; ceterum loca, ſi-

ve teſtimonia theologorum a *Rechenbergio* allata, ſed quæ cenſor evertere laboraverit, pro virili vindicare ac tueri ſtudet.

Io. *Vinitor*, (verum ne, an fictitium hoc ſit nomen, in dubio relinquo) francus, & philoſ. magiſter, diſcipulus fuerat D. *Rechenbergii*, & quoniam hic in VII. Additamento p. 102. ſcripſit, ſe nolle cuivis aſſultori reſpondere, ideo ille eius in ſe partes ſuſcepit, atque ita pietatis officium præſtare ſe poſſe ac debere credidit.

EIVSDEM Refutatio Demonſtrationis *Edzardianæ*. 1702. Nimirum Sebaſt. *Edzardus*, Log. & Metaph. profeſſor in Gymnaſio hamburgenſi, ediderat Demonſtrationem, ut vocat, manifeſtam contra D. Rechenbergii ſcripta de termino gratiæ divinæ. Eam hic iam examinat & confutat diſcipulus, ut diximus, Rechenbergianus. Alia contra eundem, quæ hic compacta ſunt, certa de cauſſa prætereo.

Andreæ STVBELII Confeſſio ſpei certæ & indubitatæ, D. Io. Chriſtoph. *Nungeſſeri* Spei deſperatæ meliorum temporum oppoſita. Francofurti 1698. Hac in Refutatione auctor Nungeſſerum preſſo pede ſequitur, atque, ut ulterius habet titulus, curioſa de reditu Chriſti, conſummatione huius mundi, chiliaſmo & antichiliaſmo, converſione Iudæorum & Gentium, & exitu antichriſti tractat dilucide.

EIVSDEM Noviſſima Antipietiſtarum. 1702. Contra doctores *Meyerum*, *Neumannum*, *Nungeſſerum*, & M. *Rotthium*. Inter alia declarat, quid pietiſmus ſit genuinus, quid antipietiſmus, & antipietiſta.

Cauſa Dei & pietatis, Symmyſtis Io. Henr. *Feuſtkingii*, ſuperintendentis ieſſinenſis, verſibus oſtenſa. (1698.) Occaſionem ad ſcriptum hoc formandum ſumſit auctor ex Epiſtola Feuſtkingii circulari ad Symmyſtas, eo quod illa eſſet, certe ipſi videretur, virulenta in Pietiſtas & Chiliaſtas. In fine exhibetur Summa hæreſium Pietiſtarum, quas ſuperintendens ſibi fingat.

Sigiſm. BEERENSPRVNGII Collatio cum D. Thoma *Ittigio* de quæſtione, An fidelibus & ſtantibus gratia divina & remiſſio peccatorum vere & iterato a miniſtro eccleſiæ conferri poſſit,

ſit, & debeat? Halæ magdeburg. 1704. Auctor negat; *Ittigius* autem affirmaverat in diſputatione A. 1703. die 28. Aug.

Siegmund *Beerenſprung*, philoſ. magiſter paſtor tudenhainenſis, laudatur a Ioach. *Langio* Antibarbari orthodoxiæ Tomo I. 521. & T. II. 520. ab eodemque defenditur contra D. Val. Ern. *Loeſcherum* Tomo IV. Anticriticorum (der Aufrichtigen nachrichten) p. 32.

CLXII.

Eliæ VEIELII Defenſio Exercitationis hiſtorico-theologicæ de eccleſia græcanica hodierna, adverſus Refutationem Senis chii, id eſt, Leonis *Allatii*. Francofurti 1666. Exercitatio hiſtorico-theologica erat diſputatio, ab El. *Veielio* conſcripta, Argentorati typis impreſſa, præſideque D. Io. Conr. *Dannhauero* ibidem in academia habita. Refutatio *Allatiana* hic etiam ſubiuncta cernitur. Capita autem, de quibus controvertitur, ſunt XXXV. videlicet: Additio, *Filioque*, Aquæ calidæ admiſtio, Artolatria, Baptiſmatis immerſio trina, Chriſmatis in baptiſmo coniunctio, Clerogamia, Communio ſub utraque, Confeſſio auricularis, Confirmationis ſacramentum, Crucis lignum, Deſcenſus Chriſti in euchariſtia, Euchariſtia infantibus præbita, Excommunicatio mutua, Fiducia propriæ iuſtitiæ, Hæreticorum ſupplicia, Idololatria, Ieiunium, Imaginum cultus, Infernalis mutabilitas, *Lutherus* de verbo Dei, Matrimonii inſolubilitas, & ſacramentum, *Muhammedanorum* teſtimonium, Operationes divinæ, Origo ſchiſmatis, Ordinis ſacramentum, Panis enzymus, Papæ primatus, Polygamia ſucceſſiva, Pœnitentiæ ſacramentum, Præſanctificata, Proceſſio Spiritus ſancti ex Filio, Pſychopannychia, Purgatorium, Sacramentorum numerus, Traditiones, Tubingenſe negotium, & Vnctio extrema. Præmiſſa eſt Epiſtola Chriſtoph. *Arnoldi*, in qua occaſione calogeri Ioaſaphi *Logothetæ* multa narrat de rebus Græcorum, videlicet de pronunciatione diphthongorum & literæ ϑ, de derivatione vocis *Calogerus*, de Concilio florentino, de fictitia tam ablegatione *Gabrielis* patriarchæ alexandr. ad Papam romanum, quam concordia Græcorum & Armeniorum, de communione ſub utraque, de triplici lingua græca, excommunicatione tympanitica, monte Athos, Templo Sophiæ & Moſis ſepulcro.

Elias *Veiel*, ulmenſis, *Baecleri*, *Schmidiorum*, *Dannhaueri*, Io. *Meiſneri* & *Calovii* diſcipulus, philoſophiæ magiſter, ac poſtea theol. doctor, eiuſque in patria urbe profeſſor publicus, antiſtes Miniſterii ſacri, & Gymnaſii director, A. 1706. pectoris anguſtia & catarrho ſuffocativo extinctus eſt, ætatis 70. Multis ſcriptis, tam latinis, quam germanicis inclaruit, e quibus ſunt ſequentia: Brevis inſtitutio, quomodo euangelica veritas contra pontificiam falſitatem, ſecundum Catechiſmi ductum, modeſte defendi poſſit, Obſervationes eccleſiaſticæ in *Ambroſii* de eccleſiis tradendis orationem, Excerpta Prognoſtici *Liechtenbergiani* de calamitatibus Germaniæ per Regem aliquem Galliarum infligendis, Explicatio utriuſque epiſtolæ S. *Petri*, S. *Auguſtinus*, veri falſique in capitalioribus cum pontificiis Doctoribus controverſiis fidelis index, Vrbani *Regii* Memoria & merita in eccleſiam Dei, Diſſertatio de ſcriptoribus canonicis & apocryphis, contra Chriſtoph. *Sandium*, Iſagoge in Diſſertationes Natalis *Alexandri*, Hiſtoria & neceſſitas reformationis euangelicæ per Lutherum inſtitutæ, ex ſcriptis *Georgii* Principis anhaltini, & Præfationes in Aeg. *Hunnii* Tractatum de maieſtate S. ſcripturæ, in Io. *Frickii* Examen potiorum errorum Iac. *Boehmii*, in H. G. W. E. M. Demonſtrationem, quod Gottfr. *Arnoldus* Valentinianum fragmentum Theodoti nec dextre, nec fideliter tranſtulerit, atque in Ingenuam oſtenſionem multarum falſitatum & pravarum defenſionum Gottfr. *Arnoldi*; de concionibus, diſputationibus, atque ineditis ut nihil dicam. Vide *Pippingii* Memorias theologorum p. 1665. & *Serpilii* Epitaphia theologor. ſuev. p. 75. Magnis eum elogiis legimus ornatum: a *Weihenmaiero* enim apud Pippingium l. c. vocatur doctrina pariter & vita ſanctiſſimus vir, & ſingularibus prorſus donis, quibus res chriſtiana adiuvari poterat, a Deo inſtructus, qui verbum Domini ſumma prædicaverit efficacia, ac rariſſima eloquentia & voce tonante contumaces Achabos, impiaſque Izebeles, ſancto correptus zelo, obiurgaverit, & tantum non impune graſſantia ac creſcentia ſcelera maſcule reprehenderit; ſimul tamen pias afflictaſque animas, diriſſimis præſertim ſub gallico-bavarico iugo temporibus, divino recreaverit ſolatio ac ſuſtentaverit; a *Fechtio* in ſeculi XVI. Hiſt. ubertate & fructu D 3. ſummus theologus, & in antiquitatibus, cum primis eccleſiaſticis, ſolide verſatus; atque in *Seckendorfio* in Hiſtor.

Hiſtor. lutheraniſmi lib. III. ſect. 30. magnæ eruditionis & pietatis theologus. Plura dabunt *Serpilius* l. c. & clariſſimi auctores *Actorum erudit.* diverſis in locis.

EIVSDEM Exercitatio theologico-eccleſiaſtica de variis œconomiæ ſacræ, potiſſimum eccleſiaſticæ, generibus. Vlmæ 1688. Qua oſtenditur œconomiæ ſeu diſpenſationis eccleſiaſticæ ſpecies eſſe IV. & primam quidem verſari περι τα εξωθεν, ſeu circa mores, ritus & diſciplinam eccleſiaſticam; ſecundam περι τας λεξεις, ſeu circa varium & liberum de dogmatibus & rebus fidei loquendi modum; tertiam περι τα προσωπα circa perſonas, ut quando illi, qui ab aliquibus doctoribus & eccleſiis excommunicati ſunt, ab aliis recipiuntur & in communionem admittuntur, fidei unitate & concordia utrinque integra manente; quartam περι τα επιτιμια ſeu criminum commiſſorum & canonicarum pœnarum relaxationem. Et hac occaſione aliquot graves errores Andr. *Schotti* in Photii Eclogis vertendis commiſſi deteguntur & corriguntur: cumque *Eulogius* apud Photium poteſtatem diſpenſationum eccleſiaſticarum in primis penes eos, qui thronis epiſcopalibus inſident, eſſe doceat, ideo etiam de thronis epiſcopalibus ſermo heic inſtituitur, & coronidis loco exempla aliquot plagiariorum adferuntur, ut *Schotti*, *Corderii*, *Maimburgii*. Vide *Acta Eruditorum* A. 1689. 123.

EIVSDEM Diſquiſitio theologica de ſententia S. *Auguſtini*, an hæretici & ſchiſmatici vi ad fidem ſint cogendi? Vlmæ 1689. In qua ex diverſis locis probat, virum ſanctum violentiam in conſcientias minime adprobaſſe, additque, eandem omnibus piis eccleſiæ doctoribus mentem fuiſſe.

EIVSDEM Hiſtoria & neceſſitas reformationis euangelicæ per Lutherum feliciter inſtitutæ. Vlmæ 1692. Oſtenſa ex ſcriptis ſereniſſimi Principis anhaltini *Georgii*, 1. ob varias corruptelas in dogmatibus. 2. ob ſuperſtitiones plurimas in cultibus electitiis. 3. ob ακριβειαν in rebus adiaphoris & cærimoniis, vel obtruſis, vel impugnatis. 4. ob cauſſas malorum & abuſuum; & tandem obiectiones proponuntur ac ſolvuntur. Mantiſſæ loco p. 456. accedit Narratio de illuſtris viri Ant. *Albizii*, Nobilis florentini, converſione, qui orbi litterato dedit Regum & Principum Stemmata,

ta, Tractatum de principiis religionis chriſtianæ, & Exercitationes theologicas, pieque obdormivit Campidoni A. 1626. ætatis 79. *Acta erudit.* A. 1693. 85.

EIVSDEM Romano-catholicus dubitantius in diſputatione de conceptione B. Mariæ virginis. Francofurti & Lipſiæ 1697. Maxima præſentis opuſculi pars aliena eſt, ſummam exhibens libri Petri *de Alva & Aſtorga*, ex ordine Minorum, ſub titulo, Funiculi nodi indiſſolubilis de conceptu mentis & conceptu ventris, Bruxellis A. 1663. editi. Huius auctoris ſcopus eo tendit, ut iactatam doctrinæ *Thomæ* aquinatis ab omni errore defectuque immunitatem, & animæ *Mariæ* ab omni culpa & macula præſervationem inter ſe conferat, & Dominicanis oſtendat, ea, quæ ab ipſis dicantur de S. Thoma, eiusque doctrina, operibus, ſcriptis, ſcientia & ſapientia ratione puritatis, gratiæ, prærogativarum, & privilegiorum, longe maiori iure & gradu de Mariæ virginis conceptione eiusdemque puritate ac immunitate a peccato dici concedique debere. Finitis autem Excerptis, Veielius epicriſin ſubiungit, litemque in romana eccleſia diu agitatam oſtendit nunquam deciſam fuiſſe, Minoritam interea Dominicanos, vi ſuarum hypotheſium, in magnas conieciſſe difficultates, nec facile pontificiis ſcriptoribus miracula, viſiones ac revelationes crepantibus fidem adhibendam, Euangelicorum autem viam, qua ſanctiſſimæ Chriſti genitrici debitum, nec iuſto maiorem honorem exhibent, tutiorem dicendam & laudandam. *Acta erudit.* A. 1697. 483.

EIVSDEM Diſſertatio de *Chryſoſtomi* dicto: *Millies peccaſti millies pœnitentiam age.* Vlmæ 1701. Illud ex antiquis eccleſiæ græcæ & latinæ doctoribus illuſtratur, atque ad quæſtionem de termino ſalutis & gratiæ revocatricis placide determinandam accommodatur. Nimirum auctor diſpeſcuit Diſſertatiunculam in III. Sectiones, quarum prima continet ſcita Patrum de ianua gratiæ, usque ad finem vitæ ſerio pœnitentibus ſemper patente; ſecunda eos locos, qui duriori ſententiæ patrocinari videntur; tertia cohortationes & comminationes adverſus eos, qui longanimitatem divinam cervicibus ſuis, tanquam pulvillum nequitiæ, ſubſternere conantur. Stat itaque auctor a partibus D. *Ittigii*, D. autem *Rechenbergii* ſententiam improbat. Quamquam non eum intelligat

ligat per iuniorem theologum, ſed *Boeſium:* ita enim ſe ſe explicat in Epiſtola ad amicum, de qua ſtatim dicturi ſumus. Memorabile autem eſt, quod Aug. *Pfeifferus* in Antimelanchol. l. 2. c. 20. p. 1027. ad Chryſoſtomi verba annotat, quodque ex eo repetitur a *Rechenbergio* in Præfat. in Lichtſchedii Vera pacis media a 4.

EIVSDEM Epiſtola ad amicum de iniquiore cenſura V. C. in Diſſertationem chryſoſtomianam. 1702. In qua ad *Rechenbergii* Epiſtolam ad Euſebium Pacianum ſcriptam reſpondet, negans, ſe eum vocaſſe theologum iuniorem, aut contra ipſum diſputare voluiſſe, ac dolens, diſputatione de termino gratiæ peremtorio tempus perdi, quod melioribus & utilioribus rebus impendi poſſet. Notandum autem, *Rechenbergium* Veielio dicenti, ſerio pœnitentibus gratiæ ianuam ſemper patere, his reſpondere verbis: *Quis hoc negavit?* immo ſcribere, *ſe eius ſententiam mente, ore, calamoque adprobare.*

Chriſtophori SONNTAGII Animadverſiones C. miſcellæ in fanaticiſmum tam veterem, quam recentiorem. Altorfii 1701. Fanaticiſmum autem appellat fallacem & inanem pietiſmum, ſive falſam pietatis veræ & illuminationis veræ perſuaſionem, cum portentoſa eiuſdem teſtificatione identidem coniunctam. Et in fine reiicit *Hoburgii* definitionem theologiæ myſticæ, & phraſin hanc, *Chriſtus eſt novus Adam in nobis.*

Chriſtoph. *Sonntag*, editus in lucem Weidæ-Variſcorum, *Friſchmuthi*, *Velthemii*, *Poſneri*, Io. *Muſæi*, *Niemanni* & *Bechmanni* diſcipulus, primum ſacerdos oppurgenſis, deinde ſuperintendens, & gymnaſii inſpector ſchleuſingenſis, tandem theol. doctor, & profeſſor primarius in academia altorfina, & eccleſiæ antiſtes, mira alacritate indefeſſoque bene merendi ſtudio in rebus muneribuſque ſuis expediendis verſatus, non tantum labores utriuſque cathedræ fideliter magnoque zelo obivit, ſed multis etiam variiſque ſcriptis conſignandis atque edendis, inter quæ potiſſimum ſunt conciones & diſputationes, tam græcæ quam latinæ (nam & litteras græcas Altorfii docebat) tempus impendit, acriter dimicans contra *Papiſtas*, *Calviniſtas*, *Chiliaſtas*, *Pietiſtas*, *Adiaphoriſtas*, *Gyoniſtas*, *Sociniſtas*, *Donatiſtas*, *Adamoniſtas*, *Atheiſtas*, & quos non? fatoque ceſſit anno 1717. ætatis 63. Vide *Programma*

academicum in funere eius poſitum, & CL. Io.Dav.*Kolori* Faſtos univerſitatis altorfinæ in rectoratu annuo D. Eucharii Gottlieb *Rinckii* p. 14. in quibus nec elogia, nec ſcripta defuncti reticentur. Ad de *Lichtſcheidium* in Epiſtola ad D. *Fechtium* in cauſſa controverſiæ de Gratiæ revocatricis termino)(2.

Neues muſter, Novum ſpecimen impietatum pietiſticarum. Eſt epiſtola alicuius clientis ad ipſius patronum perſcripta, in defenſionem D. *Sonntagii* contra libellum, ut vocatur, famoſum, qui recenſetur in Novis colloquiis menſe Ianuario anni 1702. p. 14. atque in ea vindicantur Animadverſiones in fanaticiſmum, quæ in illo falſe perſtrictæ erant. Quis autem vindiciarum iſtarum auctor ſit, dicere non habeo: alii eas tribuebant ipſi celeberrimo doctori, alii uni ex eius familia.

Io. Iacobi MVLLERI Vnio myſtica. Francofurti 1703. Quæ ipſi videtur conſiſtere in fide & operationibus fidei propriis, per quas inter ſe aduniantur Deus & fideles, non inde excluſis, ſed ſuppoſita omnino ex parte Dei gratioſa operatione, ſuppoſita item intima Dei ad fideles & in fidelibus præſentia, eo nimirum ipſo, quod per verbi promiſſiones, quibus inſiſtit, quaſque amplectitur fides, Deum & Chriſtum dominum ſuum faciat Deum & Dominum faventiſſimum redemtoremque æternum, eo, inquam, ipſo, quod fides ſpecialis gratiam Dei & meritum Chriſti ad ſe transferat, ſibique applicet tam per aſſenſum ex parte intellectus, quam per fiduciam ex parte voluntatis, ut adeo unio illa ex parte fidei & virtute fidei non ſit realis ac phyſica ipſarum ſubſtantiarum unio, ſed myſtica, intentionalis, & unio in ſpiritu ſeu ſpiritalis, idque tam certo, vereque, quam verum eſt & indubium, quod ἐνέργειαι & operationes fidei, ceu actus per eſſentiam & rationem ſuam formalem immanentes, realiter non progrediantur foras & ad extra, & ut immanentes ne poſſint quidem, adeoque nullum habeant terminum realiter extra ſe productum: cuius modi ſit ipſarum perſonarum & ſubſtantiarum realis unio. Præmittitur Præfatio, in qua auctor ſententiam ſuam, & occaſionem ſcribendi huius tractatus, eiuſque contenta exponit: & ſubiungitur Auctarium, agens de Chriſto in ſtatu exinanitionis ſecundum humanam naturam non neceſſario omnipræſente, idque con-

contra *Scherzeri* Syſtema theol. Loco IIX. de Chriſto §. 25. p. 225. Vide *Narrat. innoc.* A. 1704. 483. & A. 1706. 464.

Ioann. Iac. *Müller*, ulmenſis, *Bæsleri*, *Dannhaueri* & Ioannis *Muſæi* diſcipulus, ſenior rev. Miniſterii auguſtani, elucubravit Syncriſin concilii nicæni & tridentini, Diſſertationes de veterum diebus feſtis, in quibus noctu lampades accendebantur, de cereis ſaturnalibus & igne luſtrico, deque more, quo Perſæ olim ſollemni formula aquam & terram poſcebant ab iis, quos ſibi erant ſubiugaturi, Iudicium de cometis, cum appendice contra Marcellum *Squarcialupum*, & Andr. *Dudithium*, Conciones paſſionales, Fundamentum fidei romano-catholicæ, contra P. *Eiſenhut*, & Vindicias tractatus de Vnione myſtica, obiitque magna fide præditus A. 1706. ætatis 68. *Serpilius* Epitaph. theologor. ſuev. 81. *Wendler* diſp. de Auguſta literata p. 38. & auctores *Narrat.* innoc. qui ad A. 1704. p. 483. Müllerum noſtrum appellant virum in eccleſia percelebrem.

Io. PRAETORII Antichriſtus per gematriiam detectus, ad ductum *Apocal.* 13, 18. A. 1674. Quo ergo modo? Scribit ebraice *Papa romanus*, ſingulisque elementis ſubiicit numerum ipſis aſſignatum, qui omnes collecti faciunt 666. qui ibi dicitur eſſe numerus beſtiæ: & hinc pronunciat, Papam romanum eſſe antichriſtum. En ſchema revelatoris:

פ פ ע   ר ו מ ע נ י ס

60. 10. 50. 70. 40. 6. 200. 70. 80. 80.

Io. *Prætorius*, Zetlinga novo-marchicus, philoſ. magiſter, & poëta laureatus cæſareus, condidit Theſaurum chiromantiæ, Schediaſma de bruma, de conſcinomantia, de olla fortunæ, Alectryomantiam, Hibernacula ciconiarum, Deſcriptionem Meliboci & ſpecus *Baumanniani*, Librum de pollice, Saturnalia, Philoſophiam futilem mulierum, Zodiacum mercurialem, Luſum chiromanticum, Dæmonologiam *Rubenzahlii* ſileſii, & alia, atque ſpeculari deſiit anno 1680. *Witte* Diar. biograph. Qqqq 4.

CLXIII.

Chriſtiani KORTHOLTI Diſquiſitiones Anti-Baronianæ. Lipſiæ & Hamburgi 1708. Auctoris manu ante fatalem

 diem

diem paſſim locupletatæ. Quarum I. agit de domo nazarethico-lauretana: II. de ſuffragiis pro defunctis. III. de purgatorio. IV. de confirmationis ſacramento. V. de Ordinis ſacramento. VI. de extrema unctione. VII. de traditionibus non ſcriptis. Accedunt huic editioni 1) Diſſertatio antibaroniana IIX. de reliquiarum cultu. 2) In canonem VI. nicæni concilii, Cardinalibus *Baronio* & *Bellarmino* oppoſita Exercitatio. Occaſionem condendi illius canonis ait dediſſe *Meletium*, qui proxime ante coactam Nicææ Synodum adverſus Præſulem ſuum alexandrinum inſurrexerit, eiusque violatis iuribus paſſim in ipſius provincia Epiſcopos, presbyteros & diaconos ordinaverit; nicænos igitur Patres Metropolitis generatim antiqua ſua iura canone illo iviſſe ſtabilitum, in exemplar propoſito Papa romano, Metropolitanorum primo & antiquiſſimo, ut, quemadmodum is unus ſubiectas ſibi ecclesias regeret, nec ulli alii Epiſcopos ibi ordinare', ſimilesve exercere functiones ſacras integrum foret, ſic ad eius typum alexandrino quoque Antiſtiti privilegia ſua metropolitana, ſine cuiuſquam interpellatione, ſervari deberent illibata. 3) De pane *ἐπιούσιῳ*, quem in Oratione dominica petimus, Exercitatio antiſalmaſiana. *Salmaſius* enim ſub finem Diſſertationis de fœnore trapezitico p. 794, ſtatuerat, Chriſtum eſſe panem illum, quippe qui alibi dicatur panis ζωοποιὸς· at Kortholtus de pane naturali, cunctiſque ad vitam hanc homini neceſſariis interpretatur. 4) I. P. O. (id eſt, Ioannis Paulini *Olivekranſii*) Pater noſter, ſive dominicæ orationis Explicatio compendiaria; una cum Epiſtola auctoris noſtri ad Sam. *Reyherum*, ICtum & Mathematicum, a quo Explicationem iſtam acceperat. Fatetur autem in Epiſtola, ſe eam plane auream deprehendiſſe, perfectamque ab auctore pio, docto, ingenioſo, & ſacrarum ſcripturarum interprete peritiſſimo; unum duntaxat hoc ſibi non probari, quod panem naturalem, quo ad vitæ noſtræ ſuſtentationem egemus, putet, non ea eſſe dignitate, ut in oratione Domini locum habeat. 5) Syllabus omnium librorum, quos ſcripſit ediditque *Kortholtus* noſter. 6) Adami *Tribbechovii* Exercitationes V. ad Baronii Annales, inde ab eo loco, quo Iſaacus *Caſaubonus* deſiit, continuatæ. De quibus vide *Sagittarium* Introduct. in Hiſtor. eccleſiaſt. 316. *Acta erudit.* A. 1709. 306. Io. *Mollerum* in Hypomnem. ad Morhofii Polyhiſt. T. III. lib.

lib. IV. 122. & *Clarmundi* Einleitung 204. In prima ſermo eſt de Hiſtoria ſacra ab aſcenſione Chriſti uſque ad Matthiæ electionem: in ſecunda de Actibus Apoſtolorum, antequam abirent Hieroſolymis ad varias gentes: in tertia de Horis canonicis: in quarta de Diaconis eccleſiæ primitivæ. Sebaſtianus *Kortholt*, filius Chriſtiani, auctor eſt Præfationis: in qua Adrianum *Bailletum* temeritatis accuſat, quod Diſquiſitiones parentis vocarit *Parvum Antibaronium*, iiſque nec viſis, nec lectis, exprobraverit exiguitatem: occupationum multitudinem parenti ſuo ait tantum otii non indulſiſſe, ut telam, quam laudabiliter texere cœperit, pertexeret feliciter, omneſque Annales convelleret: auctorem indicat Explicationis dominicæ orationis: fraudem detegit editi ſub parentis nomine opuſculi, quod auctor inſcripſerat, *Methodus & apparatus ſtudii theologici*, cum inſulſo & inepto hoc titulo, *Prodromus ingenui theologiæ cultoris academicus:* Tribbechovium in eodem cum patre ſuo pulvere deſudaſſe refert: & Pauli *Sarpii* atque Iſaaci *Caſauboni* de Baronii Annalibus, immo contra Baronium Epiſtolas, quas Præfationi ſubiunxit, a Marq. *Gudio* ad parentem ſuum perveniſſe teſtatur.

In altera Præfatione,)( )(3. Io. Henr. *Hottius*.	*Ottius*. Vide *Sagittarium* Introduct. in Hiſt. eccl. 318.
Pag. 99. Chryſoſtomus, non, ut ipſe (Baronius,) de Petro ſeorſum verba *facile* ſeſquipedalia.	*Facit*. In priori editione credendum eſt exſtitiſſe, *proiicit* ampullas & ſeſquipedalia verba; quia *Crenius* Animadverſion. P. XVI. 251. id carpit, oſtendens, *proiicere* in phraſi illa non ſignificare idem ac uſurpare, ſed omittere, abiicere.
155. Alibi, libro nempe V. cap. 6. *Sylveſtro* Papæ *diſtinctionem eccleſiaſticorum Ordinum adſcribit* (Polydorus Virgilius de Rerum invent.)	At hoc in Polydori loco citato *reperire non potui*, *Crenius* l. c.

Sebaſtianus *Kortholt*, natus Kilonii A. 1675. Philoſophiæ moralis & Poëſeos profeſſor in academia patria ordinarius, & Biblio-

Digitized by Google

thecæ academiæ præfectus, non tantum varios beati patris libros cum Præfationibus ſuis emiſit, verum etiam multa ex erudita penu ſua depromſit, eaque ſunt ſequentia: Diſſertatio de enthuſiaſmo poëtico, Commentatio de 150. poëtis epiſcopis, Vita *Spinozæ*, Oratio de meritis veterum ſcriptorum contra Perraltum, Diſſertatio de viris illuſtribus, qui tarde animum ad litteras appulerunt, (quod argumentum præter *Bailletum* tetigerat nemo) Ανδρεπαις, ſive de pueris doctis, a *Bailleto* omiſſis, Poëma de itinere ſuo belgico & anglicano, cum Programmate de Poëtis, qui itinera verſibus complexi ſunt, Defenſio *Lotichii* vatis, obſidionem Magdeburgi prædicentis, contra Petrum *Bayle*, Vindiciæ veteris Poëticæ græcæ & latinæ, contra Io. *Clericum*, ſcriptorem Parrhaſianorum, Diſſertatio de bibliotheca academica kilonienſi, & alia de ſcriptoribus, quorum virtus ſingularibus in Philoſophiam moralem meritis illuſtratur, Diſquiſitio poëtica, utrum de ea recte iudicare poſſit, qui non eſt poëta? Oratio de veteris corruptæ vitæ academicæ cauſſis, optimaque eandem emendandi ratione, & alia de Rectoribus academiarum durante hoc magiſtratu defunctis, iterumque alia numeris heroicis illigata, & anno Lutheranis iubilæo ſecundo habita, de *Lutheri* Principumque meritis in ſacra cimbrica, ac denique alia de vita & meritis illuſtris G. G. *Leibnitii*. Edidit etiam Programmata plurima, & plura Poëmata, latina & germanica, publico & privato nomine. Iudicia de hiſce ſcriptis deprehendes inter Poëmata *Brouckhuſii* p. 31. 108. in *Francii* Poſthumis 257. 312. & in Miſcellaneis abbatis *Breithauptii* 54. 64. Confer *Nova litter. german.* A. 1703. m. Iul. p. 245. *Memoires de Trevoux* A. 1702. m. April. p. 318. *Bayle* T. I. edit. III. Operis hiſtor. & crit. p. 640. 784. 786. & T. II. 616. 624. Pet. *Burmannum* in Dial. contra Clericum p. 23. *Gœtzium* de odio Pontif. in hymnos Lutheran. p. 5. *De la Roche* Memoirs of literature A. 1711. m. Octob. p. 332. Memoires par Mr. *Ancillon* p. 279. *Becmannum* ſub exitum operis de natali academiæ francofurt. P. III. 139. Io. *Mollerum* paſſim in notis ad Morhofii Polyhiſt. *Gundlingiana* T. III. 142. & *Struvium* paſſim in Hiſtoria litteraria, alioſque.

Adamus *Tribbechovius*, lubecenſis, *Dorſchei*, *Varenii*, *Conringii*, *Schraderi*, Balth. *Cellarii*, G. *Calixti*, *Haberkornii*, *Misleri* & *Siricii* diſcipu-

diſcipulus, primum apud Kilonienſes Moralium & Hiſtoriarum profeſſor, deinde conſiliarius conſiſtorialis & eccleſiaſticus, ſupremusque antiſtes gothanus, edidit librum de Doctoribus ſcholaſticis, Meditationes de vita æterna, Soliloquia de paſſione Chriſti, & inter varias diſputationes inauguralem unam de Chriſto unica via, veritate & vita ex Ioh. XIV, 6. non exiguum in componendo Theologorum wittebergenſium & ienenſium diſſidio ſtudium poſuit, in pacificationis & collocutionis cum Epiſcopo tinenſi negotio fideliter *Fergio* adſtitit, vir ſanctus, doctus, ſpecimen columenque reip. chriſtianæ, in quo ſtudium fuit uberrimum, cognitio ſacrarum ſcripturarum exactiſſima, iudicium acre, & exterſum, ingenium ad miraculum acutum, quique neminem offendit, niſi præpropero abitu: abiit enim ac deceſſit, inſultibus apoplecticis, & convulſionibus epilepticis infeſtatus, anno Chriſti 1687. quum nondum compleviſſet annum ætatis 46. *Pipping* in Memor. theologor. p. 187. & *von Seelen* Athen. lubec. P. II. 363. Elogia eius deſideras? En W. E. *Tenzelium*, qui in Exercitation. ſelect. p. 228. eum vocat maximæ pietatis doctrinæque virum; Io. *Mollerum*, cui in Iſag. ad Hiſtor. cimbricam P. II. 370. audit theologus excellens, ac antiquitatum, in primis eccleſiaſticarum, peritiſſimus; Gothofred. *Vockerodtium*, a quo in Præfat. in II. Partem Latinit. reſtit. Guntheri n. V. laudatur, ut litterarum fautor ſingularis & æſtimator, ſollertiſſimusque ſacrorum antiſtes ſupremus; & Caſp. *Sagittarium*, qui Introduct. in Hiſtor. eccleſ. p. 317. ſcribit: Quanta variæ rariorisque doctrinæ ſeges in his Exercitationibus collecta ſit, deprehendent omnes illi, quibus volupe eſt easdem cum cura legere: ſic ut non immerito doleamus, auctorem tum per occupationes alias, tum nova illa in Thuringia munera, ab tam utili labore fuiſſe abſtractum. Plura reperies in clariſſimi *Von Seelen* libro prædicto.

Io. Paulinus *Olivekrans*, CHRISTINAE auguſtæ, Suecorum reginæ conſiliarius, Dominiorumque gubernator generalis, dominus in Vlwehal & Hofmantorp, vir, cuius meritis, teſte Sebaſt. *Kortholto* in Præfatione, exquiſitiſſimæ laudes non ſufficiunt, vixit, lumenque virtutum ſuarum ſparſit ſæculo XVII.

Io.

Io. Frid. KREBSII Schediaſma de iure alienandi imperia, cum animadverſionibus ad Cæſ. *Baronii* Annalium eccleſiaſticorum Tomum IX. A. 800. Lipſiæ & Hamburgi 1709. Editio ſecunda. Animadverſiones iſtæ ſunt politicæ, hiſtoricæ & theologicæ, iiſque excutitur *Baronii* ſententia de translatione Imperii romani ab Orientalibus ad CAROLVM Magnum per Papam, & conſtant IIX. Exercitationibus ſeu diſputationibus, quarum I. agit de translatione Imperii, II. de Imperio a Græcis derelicto, III. & IV. de CAROLI M. patriciatu romano. V. de quæſtione, An Imperator germanus eſſe debeat? VI. de Pontificis poteſtate transferendi Imperia. VIII. de quæſtione, An Leo Papa rom. convenienter vel ob hæreſin, vel iuris divini prætextu, Græcis Imperium abrogare potuerit? Et plures compoſuiſſet CL. auctor, niſi Io. Henr. *Ottius*, Hiſtor. eccleſ. profeſſor tigurinus, ad ipſum ſcripſiſſet, ſe iam abſolviſſe Examen perpetuum in Baronii Annales.

Io. Frid. *Krebs*, natus Baruthi A. 1651. *Friſchmuthi*, *Weigelii*, *Boſii*, quid? polymathiæ ſtudio etiam *Wedelii* medici, & Ioan. *Strauchii* ac G. W. *Struvii* ICtorum diſcipulus, eoque progreſſus, ut poſt impetratos magiſtri honores Philoſophico ordini in academia ienenſi adiungeretur, deinde per complures annos Gymnaſii heilsbrunnenſis rector, iam vero paſtor ibidem, S. theologiæ profeſſor, & ſereniſſimor. Marchionum Brandenburg. conſiliarius eccleſiaſticus, Caſpar. *Sagittario* Introduct. in Hiſtor. eccleſiaſt. p. 319. agnitus, dictusque vir reconditæ doctrinæ, dedit etiam Scientiam morum & iuris, tam univerſalem, quam particularem, Commentationem de inſigni diſceſſione in eccleſia, ad Theſſal. 2. Diſſertationes de re litteraria, in ſcholis illuſtribus non ad oſtentationem, ſed ad uſum vitæ, ipſumque hominis finem referenda, Commentarios metaphyſicos & logicos, Introductionem ad ſcientias mathematicas, Diſputationes de cometis, & coniunctionibus planetarum, de angulo contactus, de ſectis philoſophiæ gentilis, de latinitate, ad eamque pertinentibus ſcriptoribus, de poëſi latina & germanica, Obſervationes ad Caſp. *Sagittarii* Nucleum hiſtoriæ german. Annotata ad Iac. *Thomaſii* Doctrinam Imperii, Conamina de lingua germanica & gothica, Hiſtoriam pragmaticam Regnorum & Rerumpublicarum, Hiſtoriam moralem cærimonia-

Digitized by Google

moniarum, pacis & belli temporibus, in eccleſia & republica, Orationem inauguralem de ſtudiorum cyclopædia, & Opuſcula theologica, de quibus vide *Relat. innoc.* A. 1719. 363. Parata etiam ad edendum habet Librum de obedientia Chriſti, Symbola eccleſiæ lutheranæ, Theologiam naturalem, Controverſias cum Naturaliſtis, Arminianis, Socinianis, Pontificiis, Anabaptiſtis, Criticam biblicam V. & N. Tti, Iudaicarum vanitatum in ritibus, & falſitatum in doctrinis detectionem, Chriſtianæ autem veritatis demonſtrationem, Commentationem de concordia imperii civilis & poteſtatis ſpiritualis; & iam verſatur in delineanda Franconia litterata & euangelica, cum Hiſtoria reformationis in Franconia, atque in erigendo Mauſoleo brandenburgico, & recludendis aliarum illuſtrium, equeſtrium, nobilium & honeſtarum familiarum monumentis ad Salutis Fontem.

Chriſtiani KORTHOLTI de tribus impoſtoribus magnis liber. Hamburgi 1701. Quinam illi? Eduardus *Herbert*, Thomas *Hobbes*, & Benedictus *Spinoſa*: quos auctor noſter fraudum & impoſturarum, quibus omnem religionem ſublatum eant, poſtulat, ideoque impoſtores vocat. Notum eſt, famam circumferri de impio libro, qui agat de Tribus impoſtoribus magnis, *Moſe, Chriſto*, & *Mahummede. Quod exemplum ſecuti alii*, adfero verba celeberrimi *Struvii*, de doctis impoſtoribus p. 40) *qui ſub eodem titulo impoſtores alios deſcripſerunt. Exſtat enim ſcriptum de tribus ſeculi XVII. famoſis impoſtoribus & Turcarum ſeductoribus*, P. Ottomanno, Mahomed Bei, ſive Io. Mich. Cigala, & Sabatai Sevi, *quod A.* 1666, *in Anglia prodiit, & non multo poſt in Germania publici iuris factum. Sic etiam comparuit Vincentii* Panurgi *Epiſtola de III. impoſtoribus ad CL. virum, Io. Bapt.* Morinum, *D. M. atque regium Matheſeos profeſſorem, Pariſiis* 1654. *Quem ipſius* Morini *partum eſſe, teſtatur* Menagius *Anti-Bailleti T. I.* 267. *in quo triumviros iſtos*, Gaſſendum, Neureum & Bernierum *pro impoſtoribus habet.* Hactenus Struvius. Atque horum veſtigia legens Kortholtus noſter, librum & ipſe compoſuit de tribus, uti diximus, impoſtoribus magnis. Præfatio huius libri eſt Sebaſt. *Kortholti*, filii, in qua ille diſputat contra Bailletum pro Io. *Caſa* & patre ſuo, auctores indicat, qui legi poſſint de vita ingeniique monumentis triumvirorum præſentium, multaque ipſe verba facit de eorum ultimo, videlicet Spinoſa.

CLXIV.

Caſp. SAGITTARII Anmerkungen, Animadverſiones in ſcriptum contumelioſum, quod inſcribitur Ausführliche beſchreibung des unfugs, welchen die Pietiſten zu Halberſtadt geſtiftet. 1693. In ſcripto illo dicitur, Sagittarium a Spenero miſſum eſſe ad Aulas & urbes, ut diſcipulos faceret pietiſticos, diſtribuiſſe theſes pietiſticas in Iudiciis & Conſiſtoriis, in converſatione æque male, ac Spenerum ſe geſſiſſe, exiguum vidiſſe ſucceſſum in actionibus ſuis, atque ideo a Spenero exauctoratum eſſe. Sed hæc omnia Sagittarius negat, pernegatque.

Caſp. *Sagittarius*, luneburgenſis, Caſparis paſtoris luneb. filius, *Bangerti*, *Sauberti*, *Rachelii*, *Schraderi*, *Vogleri*, *Conringii*, F. V. *Calixti*, *Titii* & *Cellarii* diſcipulus, primum rector ſcholæ ſalfeldenſis, deinde profeſſor hiſtoriarum ienenſis, & hiſtoricus ſaxonicus, multa edidit in hiſtoricis, & quædam in theologicis, ut, Hiſtoriam urbis Bardewici, goslarienſem, halberſtadienſem, lubecenſem, luneburgenſem, thuringicam, gothanam, *Northerti* archiepiſcopi magdeburgenſis, *Eckardi* II. Miſniæ marchionis, IO. FRIDERICI Electoris Saxoniæ, Epiſcoporum numburgenſium, Marchionum atque Electorum brandenburgicorum, Origines urbis Brunſvici, nec non Ducum brunſvic. ac luneburgenſium, Antiquitates alſtetenſes & Palatinatus ſaxonici, Antiquitates lacus Bodanici cum Specimine hiſtoriæ lindavienſis, Origines & ſucceſſiones Principum arauſionenſium, Notas in loca inſigniora N. Tti, Tractatum de cruciatibus martyrum, Harmoniam paſſionis dominicæ, Refutationes P. Marci *Schœnmanni* ieſuitæ, Theſes de vero pietiſmo, Introductionem in Hiſtoriam eccleſiaſticam, & alia, tantiſque laboribus exhauſtus, confectus & debilitatus ſpiritum Deo reddidit anno 1694. cum vixiſſet annos 49. Io. Andr. *Schmidius* in eius Vita, *Zeumer* in Vitis profeſſorum ienenſium P. IV. 157. *Calvœr* in Append. Saxoniæ inferioris p. 573. Ab Henr. *Meibomio* iuniore laudatur in Tomi II. Rerum germanicarum p. 372. ut hiſtoriæ patriæ curioſiſſimus; a *Bandurio* Biblioth. nummar. p. 118. quod in Introductione in Hiſtor. eccleſiaſt. de iis, qui veteris ævi hiſtoriam nummorum ope illuſtrare aut reſtituere aggreſſi ſunt, accuratius multo diſſeruerit, quam ab ullo ante factum ſit; atque a

Schurzfleiſchio Epp. arcanar. T. I. 410. & 613. ob inſignem diligentiam in ſcribendis hiſtoriis præſtitam; ſed addit, humanitatis & pragmaticæ plura & ſelectiora ſubſidia debuiſſe ſibi comparare, & hinc neque iudicium, nec dictionem eius probari.

Gottfriedi ARNOLDI Erklærung, Declaratio de vulgari re ſectaria, & auditione concionum, atque uſu S. cœnæ. Cum *amici* (ſi non ipſe eſt *Arnoldus*) Animadverſionibus in Erneſti Salom. *Cypriani* Refutationem Hiſtoriæ eccleſiaſticæ & hæreticæ Arnoldinæ. Lipſiæ 1700. In priore oſtendit auctor, non ſufficere ad verum chriſtianiſmum, ſi nobis tribuamus nomen Lutheranorum, & templa frequentemus concionum auſcultandarum cauſa, ſtatiſque temporibus confeſſionem peccatorum edamus coram miniſtro eccleſiæ, atque ad S. cœnam accedamus, ſed debere nos eſſe novas in Chriſto creaturas, & fidem bonis demonſtrare operibus. Atque hoc demum veram eſſe notam eccleſiæ veræ ac chriſtianæ. Poſterioris ſcripti ſcopus, quem in fronte libri expreſſum eſſe legimus, hic eſt, ut demonſtretur, non *Arnoldum*, ſed *Cyprianum* ex præconceptis opinionibus ſectariis oportuiſſe in favorem partis ſuæ ſcribere, ſuas contra univerſalem, minime partialem & veram eccleſiam accuſationes infirmis fundamentis ſuperſtruere, tamque ſacras litteras, quam alios ſcriptores uſque adeo detorquere, ut verba Auguſtini, & Arnoldi, in favorem ſuarum accuſationum, ſophiſtice falſaverit.

EIVSDEM Endliche vorſtellung, Finalis oſtenſio doctrinæ & confeſſionis ſuæ, adverſus D. Eliæ *Veielii* & *Corvini* accuſationes: cum propoſito, nemini amplius reſpondendi, ſuoque Hiſtoriam eccleſiaſticam marte emendandi. Francofurti 1701.

Io. Wilh. PETERSENII Vnterſuchung, Inquiſitio, num *Arnoldus* (Tomo I. lib. IV. c. 8. ſ. 189.) in translatione verborum *Dannhaueri*, contra conſcientiam, manifeſtum commiſerit falſum, eoque Hiſtoriam ſuam eccleſiaſt. & hæreticam, ſeque ipſum arianiſmi ſuſpectum reddiderit? Id quod negat. Tractatus autem hic oppoſitus eſt *Corvino*, paſtori hornburgenſi in Principatu halberſtadienſi. Pag. 39. annectitur Iudicium illuſtris Chriſtiani *Thomaſii* de Arnoldi Hiſtoria eccleſiaſt. & hæretica: & huic ſubiungi-

iunguntur aliorum eruditorum, etiam contradicentium, Teſtimonia.

Io. Ioſ. WINCKLERI Arcanum regium. Cum defenſa Vitemberga. 1703. Agit illud de concordia inter Euangelicos ſeu Proteſtantes facienda. Vitembergam autem ſtrophis VII. germanicis defendit M. Chriſtian. Mich. *Fiſchbeck*, S. theol. candidatus, & Facultati philoſoph. vitembergenſi adiunctus.

Io. Ioſeph. *Winckler*, natus Luckæ, Altenburgum inter & Pegaviam, anno Chriſti 1670. a concionibus pomeridianis Magdeburgi in eccleſia S. Petri habendis, ad paſtoratum militarem Chiliadis sereniſſimi Marchionis brandenburgici Ludovici promotus, atque ſic occaſionem nactus videndi Italiam & Belgium, vigilantia & fidelitate ſua meruit, ut diaconus conſtitueretur in æde cathedrali prædictæ celebris urbis; nunc autem altius aſcendit, atque ibidem eſt paſtor primarius, inſpector diœceſeos in circulo ſilvatico Ducatus magdeburgenſis, & conſiliarius conſiſtorialis.

EIVSDEM Aufrichtige entdeckung, Ingenua revelatio cordis ſui erga omnes fideles Chriſtianos, & in primis erga eccleſiam ædis cathedralis magdeburgenſis, poſt exortas ex Arcano regio magnas turbas. Wernigerodæ (1704). Arcanum regium non eſſe ſuum ſcriptum ait, ſed aliunde ad ſe tranſmiſſum, ſe autem id tantum addidiſſe, quod ad promotionem pietatis videretur utile, & hoc iam declaraturum: tradidiſſe quidem Arcanum illud auguſtiſſimo Regi, ſed non eo animo, ut in aliorum veniret manus, multo minus, ut typis exſcriberetur. Ceterum de Reformatis ita iudicat, eos in doctrina de S. cœna ita ſe declarare, ut realem manducationem corporis Chriſti agnoſcant, abſolutum decretum reiiciant, controverſiam de perſona Chriſti miſſam faciant, nec dubitent aperte confiteri gratiam Dei univerſalem.

Io. Adolphi FROHNII Das Recht des geiſtlichen prieſters, Ius ſacerdotis ſpiritualis ad opera miniſterialia in quavis neceſſitate. Muhlhuſii 1705. Diſputaverat auctor cum P. *Baumanno*, & Lutheri doctrinam de ſacerdotio ſpirituali vindicaverat. Sed quia aliquis Doctorum lutheranorum (ipſius ſymmyſta, D. Ge-

D. Georg. Chriſtian. *Eilmar*, paſtor ad D. Mariæ eadem in urbe) emiſit ſcriptum ſub titulo (Grundlicher Erœrterung) Fundamentalis deductionis doctrinæ de ſpirituali ſacerdotio, & auctoris propoſita contumelioſe attigit, ideo ille ſibi incumbere putavit, ad argumenta eius ut reſponderet. Hoc autem ita facit, ut 1. ipſa *Lutheri* verba exhibeat. 2. falſum Lutheri ſenſum, quem adverſarius ſibi facit, redarguat. 3. extenſionem ſacerdotii ſpiritualis ad opera miniſterialia, in caſu neceſſitatis, probet. 4. falſa antagoniſtæ præſuppoſita convellat. 5. eius argumenta refutet, & 6. veram tradat definitionem ſeu deſcriptionem ſpiritualis ſacerdotii, quæ hæc ſit: Spirituale ſacerdotium eſt opus admirabilis lucis, ad quod Chriſtus homines a tenebris vocat, quod etiam producit, atque in iis operatur, dum eos lavat ſuo ſanguine, quo fideles ſe, ut lapides exſtruunt ad domum ſanctam, ſacrificia Deo placentia offerunt, virtutem Dei annunciant, Deique peculium ſunt, per quod etiam laicus ius ac poteſtatem habet in caſu neceſſitatis abſolvendi, viceſque paſtoris ſive miniſtri eccleſiæ apud proximum ſuum obeundi.

Bedæchtliches antwortſchreiben, Præmeditatum reſponſum ad amicum de rebus pietiſtarum in urbe argentoratenſi. 1705. In eo narrat auctor rigoroſum proceſſum, qui contra ſic dictos Pietiſtas ibi fuit ſuſceptus, ita ut coram diverſæ religionis Magiſtratu fuerint accuſati, facultatibus eorum manus iniectæ, alii ab officiis ſuſpenſi, alii carceri incluſi, & cum ignominia ex urbe eiecti. Exiſtimat vero auctor, in talibus rebus accuſandis & diiudicandis maiori opus eſſe circumſpectione & moderatione, atque ad ea, quæ contra illos obiici poſſunt, reſpondet, tandemque cauſſam aperit perſecutorii zeli, ut vocat, perverſi.

Petri Sigismundi PAPII Chriſtliches Sendſchreiben, chriſtiana epiſtola ad Mart. *Hillium* de quæſtione: An omnibus hominibus ſine diſcrimine ianua gratiæ uſque ad finem vitæ pateat? Berolini 1705. Auctor quidem amplectitur ſententiam negantem, quia 1. Deus vult ſalvos facere homines in ordine ad pœnitentiam & fidem. 2. multi homines indurationis iugo colla ſubdunt, atque in eo permanent uſque ad finem vitæ. 3. Aliqui volunt ſalvi fieri, nec tamen propria culpa poſſunt ſalvi fieri. 4. pertinacibus

Digitized by Google

nacibus gratiæ divinæ contemptoribus atque induratis gratia revocatrix ad pœnitentiam eſt denegata.

IRENOPHILI Antwort, Reſponſum ad D. Sam. *Strimeſii* quæſtiones, concordiam Euangelicorum & Reformatorum ſpectantes. 1705. Auctor nemo alius eſt, quam Caſp. CALVOER, de quo dictum Parte II. p. 422. Quæſtiones autem ſunt hæ: 1. an diſcrimen ſit faciendum inter mere theologicas ſeu in ſcriptura ſacra fundatas veritates, & eas veritates, quæ peculiare ſecum pondus vehunt, cuius intuitu omnino ſint retinendæ: & num hoc diſcrimen faciendum reſpectu chriſtianæ, quæ nunc agitatur, concordiæ? 2. In quonam pondus harum veritatum errorumve conſiſtat, & quis ſit character, quo momentoſæ doctrinæ a non momentoſis diſtinguendæ?

Friedfertiges bedencken, Pacificum iudicium de controverſiis S. cœnæ, extractum ex Guil. FORBESII Conſiderationibus controverſiarum, atque in germanicam linguam translatum. Brunſvigæ 1705. Librum Forbeſii, alias rariſſimum, denuo edideram ego, iſque ob variam doctrinam & inſignem moderationem adeo placuit sereniſſimo *Antonio Vlrico*, Duci Brunſvicenſium ac Luneburgenſium, ut particulam aliquam in germanicum idioma transferendam curaverit.

Guil. *Forbeſius*, aberdonienſis, a profeſſione Logices, quam in patrio collegio obiit, in exteras profectus eſt regiones, & quidem in Pruſſiam, Germaniam & Hollandiam; reverſus autem ad penates ſuos, atque a Conſule & Senatu aberdonienſi, honoris & benevolentiæ cauſſa, municeps creatus, primum Alfordiæ, deinde Aberdoniæ verbum Dei annunciavit. Cum vero corpuſculum eius infirmius atque imbecillius eſſet, quam ut præconis munus ſuſtinere poſſet, Aberdonienſes, optimi civis, & iam promoti doctoris theologiæ miſerti, eccleſiaſtico eum onere ſublevarunt, & Collegii mareſchalliani præfectum fecerunt. In qua nova & honorabiliore provincia ille ita meruit, ut non tantum iuventutem hebræam linguam & theologica fideliſſime doceret, ipſe vero ad decani Facultatis theologicæ & rectoris magnifici dignitates eveheretur, verum etiam publicorum ædificiorum, collegii videlicet, biblio-

bibliothecæ & fani S. Franciſci ſive exſtructione ſive inſtauratione, vigilantiam, pietatem ac prudentiam ſuam maiorem in modum demonſtraret. Et quamvis in patria ſua uſque ad ultimum ſpiritus halitum permanere ipſi conſtitutum eſſet, edenburgenſes tamen cives, eloquentem hunc & pium virum ut paſtorem ſibi redderent, nulli pepercerunt operæ, nullis precibus, ac pollicitationibus nullis, nec deſtiterunt, donec eum nolentem volentem ad ſe traherent. Sed cum doctrinam eius de primatu epiſcopali, quam etiam publice proponebat, verbi divini illum auctoritate, praxi apoſtolica & primitivæ eccleſiæ conſuetudine niti aſſerens, ferre non poſſent, nec volerent, priſtinamque benevolentiam atque æſtimationem in odium & contemtum converterent, & ſic metuendum eſſet, ne informationis ſuæ ſemen, velut in agro ſterili ſatum, nullos fructus proferret, prætereaque tenue ac macilentum corpus perpetuo urbis fumo involutum periclitari inciperet, communicatis cum viris piis ac prudentibus conſiliis ad Aberdonienſes ſuos redire ſtatuit, & vale dicens pertinacibus Presbyterianis hiſce, Deo favente, rediit. Sed hæc felicitas, de qua Senatus, clerus, populusque aberdonienſis ſibi gratulabantur, non erat diuturna: mox enim CAROLVS Stuartus Rex, in Scotiam veniens, cognita viri doctrina, ſanctitate, & facundia ex aliqua eius concione, iuſſit eum creari Edenburgenſium epiſcopum, & quidem primum. Ecce autem dum epiſcopus hic multa præclara parat, atque egregia molitur paci & reformationi diœceſeos ſuæ apprime neceſſaria, morbo graviore corripitur, atque a ſummo vitæ Moderatore ovibus ſuis, per placidiſſimam mitiſſimamque mortem, qualem antiquitas viris ſæpe maximis ſanctiſſimisque obvenire obſervavit, ſubducitur, anno 1634. cum epiſcopatum tres tantum menſes tenuiſſet, vitæ autem numeraſſet annos 49. Pauca ſcripſit, immo nihil edidit: Conſiderationes enim controverſiarum, quas in lucem publicam reduxi a mendis plurimis repurgatas, ſummæ doctrinæ & pacati moderatique animi ingens ſpecimen, poſt fata eius, amici cuiusdam cura, typis exſcriptæ fuerunt. Si noſſe autem cupis, cur pauca ſcripſerit, ſic habeto: Scire ac diſcere eum maluiſſe, quam ſcribere. Atque ideo ſcripturienti cuidam, & magnos labores oſtentanti, ſuaviter & amice dixit: *Lege plura, quaſo, & ſcribe pauciora.* Ceterum Forbeſius noſter incredibili

bili pollebat memoria, & iudicio præditus erat ſublimi, vir vere apoſtolicus, non pontificius, ut quidam calumniantur, antiquitatis catholicæ callentiſſimus, qui nulli priorum ab ævo apoſtolico doctrina, ſanctitate, humilitate, temperantia, modeſtia, gravitate, orationis & ieiunii tam publici, quam privati frequentia, bonorum operum praxi, induſtria pauperum cura, clinicorum crebra viſitatione & conſolatione, omnique virtute chriſtiana erat ſecundus. Eius igitur beatam memoriam nullum tempus delebit, nulla invidia corrumpet, nulla calumnia obliterabit. Vide eius *Vitam* ab anonymo deſcriptam, & libro Conſiderationum controverſiarum præmiſſam, nec non alteram Georgii *Gardenii*, quæ exſtat in Operibus Io. *Forbeſii*, cuiuſque mentionem faciunt Collectores *Actorum erudit.* A. 1705. 227. eadem *Acta erud.* A. 1686. 240. & A. 1704. 421. *Rollium* de nobilibus theologis p. 277. *Voetium* Biblioth. theolog. 635. & *Strimeſium* Præfat. in Conſenſum ſendomirienſem §. 13.

Opus poſthumum. (Brunſvigæ) 1705. Quod conſtat Meditationibus, Contemplationibus theologicis, & variis, perilluſtris auctoris pietatem, variam eruditionem, prudentiam, & iuſtitiæ bonique ordinis ſtudium ſatis ſuperque comprobans. Auctor vero eius eſt Aſcan. Chriſtoph. *a* MARENHOLZ.

Aſcanius Chriſtoph. Liber Baro *a Marenholz*, hereditarius in Swulper, Nienhagen, Sylda, e. r. ſereniſſimi Electoris Brunſvic. & Luneb. a conſiliis ſanctioribus, inter illuſtres eruditiſſimus, & inter eruditos illuſtriſſimus, tam præclare de publico meruit hiſce commentationibus, ut exinde chriſtianus ac verus aulicus dextre ac feliciter formari queat; ipſe autem æternum ſui deſiderium omnibus, queis de meliore luto finxit præcordia Titan, reliquit, decedens anno 1705. ætatis 61.

CLXV.

Caſp. CALVOERI Fiſſuræ Sionis. Lipſiæ 1700. Eſt tractatus theologico-hiſtoricus de controverſiis, quæ eccleſiam Domini ab aſcenſu eius ad decurſum ſæculi XVII. uſque agitarunt. Primas ille lineas, uti auctor in Præfatione teſtatur, debet bibliothecæ Theodori *Iordanu*, conſiliarii, dum viveret, eccleſiaſtici electo-

lectoralis brunſvicenſis, & ſuperintendentis in Hercynia generalis clausthalienſis; a cuius genero, Wilh. *Meckovio*, phyſico ac medico civitatum in Hercynia metallicarum ordinario, rogatus Calvœrius, in lucem ut emitteret, multaque in eo abeſſe, alia eſſe ſuperflua, & quædam emendanda occurrere deprehendens, aliam ei formam adaptandam iudicavit. Atque ita factum, ut libellus ſatis antea exiguus in novum quaſi opus, & iuſti voluminis formam redigeretur. In primis hoc operam dedit celebris Calvœrius, ut præcipuam cuiuſvis religionis ſeu ſectæ theſin recenſeret, indeque concluſiones & poriſmata deduceret. Magnum etiam laborem in hiſtoriam controverſiarum noſtri temporis impendit; atque ut operi univerſo Tabulam præmiſit, qua orbis hodierni facies ſecundum ſacra & religionem breviter delineatur, item Hermetem, varia ſive Hæreticorum, ſive Schiſmaticorum devia ad catecheſeos regulam ex *Danæo* monſtrantem, ita duos ſubiunxit Tabulas, oſtendentes, in quibus detur ſive conſenſus, ſive diſcrepantia tam inter Euangelicos & Pontificios, quam inter Euangelicos ipſos. In Hiſtoria, quæ quaſi corpus eſt huius libri, ad ſæculorum ordinem reſpexit, omniaque ſecundum calculos chronologicos, additis in margine Imperatoribus ac Pontificibus, ſub quibus quævis religio aut ſecta nata eſt, diſpoſuit, maxime, ne falſa cui ſententia tribueretur. Vide *Præfationem* auctoris, & *Acta erudit.* A. 1700. 504. *Peterſenium* Præfat. in Tomum Myſterii reſtit. omnium §. 16. & *Sonnemannum* Ablehnung p. 33.

CLXVI.

S. CAES. MAIESTATIS & S. R. Imp. eccleſiaſticorum & politicorum STATVVM Receſſus & Conſtitutiones, item Regum, Electorum & Principum Edicta adverſus rebelles Anabaptiſtas, Fanaticos, Ioriſtas, Weigelianos, Roſæcrucios, Panſophiſtas, Bœhmiſtas, Chiliaſtas, Enthuſiaſtas, Quackeros, Labadiſtas, Apocalypticos, Quietiſtas, & Somniatores. 1702.

Io. Theodori HEINSONII Bedencken, Iudicium de nova hac orationis formula: *Miſerere, Domine, eorum, qui tua miſeratione digni ſunt.* Oldenburgi 1702. Quæ improbatur, quia homines non merentur, ut Deus ipſorum miſereatur. Pag. 57.

appendicis loco proponitur quæſtio: An homo renatus legem ſive decalogum Dei penitus implere, ſeu perfecte obſervare poſſit? Ad quam auctor reſpondet: Chriſtianum regenitum poſſe quidem ac debere per vires gratiæ initium facere ſervandæ in hac vita legis divinæ, non tamen eo uſque in ſanctitate pervenire poſſe, ut omnibus numeris perfectæ & abſolutæ impletionis omnium & ſingulorum Dei præceptorum gloriam ſibi tribuere valeat.

Io. Theodorus *Heinſon*, natus Hanoveræ anno 1666. C.T. *Widebur gii, Werlhofii, Niemeieri, Buſmanni, Heigeli, Meieri* & F. V. *Calixti* diſcipulus, tantos in mathematicis, atque in primis in Algebra, progreſſus fecit, ut inclyta Societas ſcientiarum regia Londinenſis doctiſſimum hoſpitem, cum in Anglia degeret, in collegium ſuum recipere nulla dubitaret. Honore hoc ornatus cum in patriam rediiſſet, ſereniſſimus Friſiæ orientalis Princeps vocavit eum ad generalem epiſcopiam eccleſiarum Auguſtanæ confeſſionis, ſeſſionem in conſiſtorio, & primarias Aulæ ſuæ conciones, atque ut maiori cum dignitate ſplendidis hiſce muneribus præeſſet, eundem voluit creari doctorem theologiæ: quem quidem honorem, dexterrime præſtitis præſtandis, hic obtinuit me decano & promotore. Nunc autem in celeberrimo Germaniæ emporio, quod Hamburgi eſſe nemo negaverit, ſanctitatis, eruditionis & facundiæ ſuæ dotes explicat, Paſtor conſtitutus eccleſiæ SS. apoſtolorum Petri & Pauli, pariterque ſcholarcha. De ſcriptis eius proſtant Diſputatio inauguralis de paradiſo, Refutatio monachi cuiuſdam pontificii de origine lutheraniſmi, & reformatione lutherana; ut alia præteream. Hoc autem minime reticendum, laborare eum in opere algebraico, quod erudito orbi utiliſſimum erit gratiſſimumque.

COLLABORATORIS in euangelio Fragen an einige Mænner, Quæſtiones ad aliquos homines, qui propter certos ſcrupulos, a confeſſione peccatorum, uſu S. cœnæ, & cultu divino publico ſe ſubducunt. 1704. Auctor eſt Caſp. CALVOER, tunc cellerfeldenſis ſuperintendens, nunc paſtor clausthalenſis, & generalis ſuperintendens eccleſiarum Ducatus grubenhagenſis, & Conſiſtorii hanoverani aſſeſſor: de quo diximus P. II, Hiſt. bibl. p. 422.

Aller-

Allerunterthænigſte Adreſſe, Subiectiſſima inſtructio ad Regiam Maieſtatem, nomine Euangelico-lutheranæ eccleſiæ, de concordia religionum: cum chriſtiano conſilio ad ſalutarem pacem eccleſiaſticam. A. 1703. Auctor eſt D. Valentinus Erneſtus LOESCHERVS, cui tam ſplendidum legationis munus ſimulare, & ſua id auctoritate, ſub ſpecioſo Lutheranæ eccleſiæ titulo, obire placuit. Præcipuas autem controverſias inter noſtram & Reformatorum eccleſiam ait eſſe de VI. capitibus, videlicet de prædeſtinatione, S. cœna, perſona & proprietatibus Chriſti, mediis ſalutis, vocatione univerſali, & univerſali merito Chriſti. In ſingulis iſtorum duo conſiderat, 1. quid Reformati in eo cedant, 2. an Euangelici ſalva veritate quid cedere poſſint. Et hoc negat, mox adverſarium nactus D. Io. Chriſtoph. *Becmannum*, qui, ſine nominis quidem ſui expreſſione, oppoſuit exceptionem.

Valentinus Erneſtus *Læſcherus*, natus A. 1673. Sondershuſæ in Thuringia, Caſp. *Læſcheri* filius, S. theol. D. primum paſtor & ſuperintendens iutterboccenſis, deinde delicienſis, poſtea profeſſor theologiæ vitembergenſis, tandem ſuperintendens dreſdenſis, ſummique adſeſſor Conſiſtorii, vir plurimæ eruditionis, & in arena theologica luctator impiger, ac refutator perpetuus, ſed & ſæpiſſime ab aliis refutatus, multa edidit ſcripta, ac plura, uti ſtupendus edendorum ipſius catalogus promittit, editurus eſt. Auctor *Muſei novi* Tom. III. 505. *Struve* Introduct. in notit. rei literar. 16. 291. & in Supplementis pag. 5. Ioachim. *Lange* Aufricht. nachricht. P. IIX. 74. Elogia eius paſſim exſtant, eoque tendit elegans Commentatio M. Io. Chriſt. *Wendleri*, de Meritis D. Læſcheri in eccleſiam & literas politiores, edita Ienæ A. 1720.

Gottlieb WERNSDORFII Entdeckung, Revelatio ſic dicti Arcani regii. Wittebergæ 1705. In quo illius fundamenta & conſilia de conciliandis Euangelicis, ſecundum Scripturam & ſanam rationem examinantur, & offenſiva, infirma, partimque periculoſa iudicantur.

Gottlieb *Wernsdorf*, natus Schœnewaldæ, oppido Saxoniæ, A. 1668. *Schurzfleiſchii*, *Rærenſeei*, *Deutſchmanni*, *Læſcheri*, & *Neumanni* diſcipulus, S. theol. D. & profeſſor princeps in academia vitembergenſi, aſſeſſor Conſiſtorii eccleſiaſtici, & ſuperintendens

eccleſiarum in Circulo electorali ſaxonico generalis, vir in omnibus theologiæ partibus, præcipue autem in polemica hiſtoriaque eccleſiaſtica excellens: atque ut acri iudicio, ita & elegantiſſima, & admodum concinna facilique ſcribendi ratione inſtructus, tantoque erga Lutherum affectu & amore flagrans[t], ut nunquam cubitum eat, quin partem quandam ex eius Tomis legerit, multis variiſque ſcriptis in orbe erudito ſe manifeſtavit. Eius enim ſunt Diſſertationes de cenſu, quem Cæſar OCTAVIUS Auguſtus tempore nativitatis Chriſti per orbem terrarum fecit, de confeſſione tetrapolitana, ſive argentoratenſi, de Henrico Pio Saxoniæ Duce, ac Miſniæ Marchione, de henotico ZENONIS Imp. de Apollinari laodiceno, de fanaticis Sileſiorum, de auctoritate librorum ſymbolicorum, de exploratione ſuæ ipſius fidei, de libro Sapientiæ & eccleſiaſtico, quod pro canonicis non ſint habendi, contra *G. Arnoldum*, de termino vitæ non fatali, de libertiniſmo docendi, contra Io. *Merckerum*, de diſſenſu fundamentali inter ſocios Auguſtanæ confeſſionis & Reformatos in articulo de S. cœna, de ſpiritu teſte fidelium interno, de Auguſtana confeſſione, contra *Strimeſium*, *Becmannum*, maximeque G. *Arnoldum*, de contriſtatione Spiritus obſignatoris, de metamorphoſi chriſtiana, de prædeſtinatione & reprobatione, contra Paullum *Ember*, de Chriſto ceu ſine exemplo homine, de perpetuitate eccleſiæ euangelicæ, de recentioribus circa baptiſma controverſiis, de origine baptiſmi Chriſtianorum mere divina, de circumciſione, de peccatis ſemel remiſſis, an homini relapſo denuo imputentur, de verbo Dei ſcripto, de fundamento fidei, contra *Strimeſium*, de loco 2. Pet. I, 20. contra Herm. *Von der Hardt*, de recentioribus controverſiis de S. cœna, de gratia Spiritus ſancti docente, contra Io. *Olearium*, *Zieroldum*, *Langium*, de poteſtate Principis circa ſymbola civium in religione ab ipſo diſſentientium, de ſimplicitate in Chriſto, de analogia fidei, contra *Lichtſcheidium* & *Medicum* quendam longo-ſaliſſanum, de communione fidelium cum Deo, contra G. *Arnoldum*, de theologia myſtica, de libris Io. *Arndii* de vero chriſtianiſmo, de textu euangelico dominicæ II. Adventus ex *Luca* 21. coll. *Matth.* 24. & *Marc.* 13. de adventu Chriſti ultimo accipiendo, contra *Kœnigsmannum* & *Zeltnerum*, de polygamia, contra *Willenbergium*, de primo primi hominis ſtatu, contra *Fa-*

naticos

naticos, & *Obſervatores haleuſes*, de abſolutione miniſtri eccleſiæ non mere declarativa, de Oſiandriſmo in pietiſmo renato, de ſpiritu Brendeliano, contra Georg. Chriſtoph. *Brendelium*, de primordiis emendatæ per Lutherum religionis, contra *Heumannum*, & de progreſſu emendatæ per Lutherum religionis. Longum foret omnia eius Programmata academica, Orationes, & Præfationes recenſere. Libri autem, & tractatus, quos ſcripſit, non ſunt a nobis prætereundi: ut, Breve iudicium de D. *Strimeſii* Delineatione concordiæ Lutheranorum & Reformatorum in fundamento fidei, de Cabbala, contra D. *Buddeum*, de Oratione dominica, contra Novaturientes, atque in primis D. *Maium*, & denique de indifferentiſmo religionum, contra Ericum *Friedliebium*, hoc eſt, Iac. Frid. *Ludovici*. Vide Io. Chriſtoph. *Colerum*, ordinis philoſoph. vitembergenſis aſſeſſorem, in Deſcriptione vitæ D. Gottlieb Wernsdorfii, qua ei novam dignitatem gratulatus eſt, editam Vitembergæ anno 1719. 4. qui & Profeſſorum vitembergenſium Vitas pollicetur, opus eruditis pergratum futurum.

Exception-Schrift, wider die allerunterthænigſte Adreſſe, Exceptio contra Subiectiſſimum Iudicium, nomine Evangelico-lutheranæ eccleſiæ ſcriptum. Anno 1703. Auctor eius eſt D. Io. Chriſtoph. BECMANNVS, theologus & profeſſor in academia viadrina, qui preſſo pede ſequitur dicta *Læſcheri*, eaque ordine refutare laborat, in principio ſtatim contra ſimulationem Eccleſiæ lutheranæ intercedens, ac dicens, ſibimet nihil rei eſſe cum illa, ſed cum ipſo ſcriptore, qui, quaſi mandatarius illius eſſet, in publico comparuerit.

Abhandlung etlicher fragen, Enodatio aliquot quæſtionum de poſſibilitate, neceſſitate & utilitate chriſtianæ concordiæ inter eccleſias euangelicas. 1703. Quæſtiones ſunt tres, & quidem de rebus modo dictis: & in fine expenduntur poſtulata Præpoſiti *Lutkenii*, atque oſtenditur, minime ei gratum fuiſſe collegio intereſſe de præliminaribus faciendæ conciliationis deliberantium, operamque dediſſe omnem, ut illud deſereret.

Hiſtorie der erſten Religions-motuum, Hiſtoria primorum religionis motuum Lutheranos inter & Reformatos: cum Reſponſione

ſione ad Exceptionem *Becmanni.* Lipſiæ 1704. Hiſtoria hæc profecta eſt a D. Val. Ern. LOESCHERO, atque in eo occupatur, ut dicta ſua confirmet, & potiſſimum hoc probet, Lutheranos a Reformatis multis in locis male tractatos, eiectos atque expulſos eſſe. Sed *Becmannus* oppoſuit ei Chriſtliche erwegung i. e. Chriſtianum examen Hiſtoriæ primorum motuum religionis inter Lutheranos & Reformatos, de quo vide Dav. *Schultetum* de doctoratu theol. apud Reformatos non aſſumendo p. 5.

Chriſtiani REINECCII Boeſianiſmus per reſponſa & teſtimonia theologorum condemnatus. Lipſiæ (1704.) Quo id agitur, ut oſtendatur, M. Io. Georgii *Boeſii*, diaconi ſoravienſis, doctrinam de termino gratiæ peremtorio, ſive tempore gratiæ ſæpe diu ante mortem hominum finito & elapſo, a Lutheranis theologis reiectam & improbatam eſſe. Et huic ſcripto præmittitur 1) D. Thomæ *Ittigii* Præfatio, in quo de *Puccio* & puccianiſmo pluribus agit, negatque ſe puccianum eſſe, quoniam nihil minus, quam hoc ſtatuat, quoſcunque homines, etiamſi de Chriſto nihil unquam audiverint, neque in eum crediderint, modo honeſtam duxerint vitam, ſalvari poſſe. Præterea diſputat contra *Lichtſcheidium*, & *Papium.* 2) Præfatio *Reineccii*, in qua inſtitutum ſuum exponit, ne forte quis exiſtimet, ſe iudiciis & teſtimoniis plus, quam fas eſt, tribuere. 3) Catalogus ſcriptorum, contra terminum gratiæ peremtorium editorum.

Chriſtianus *Reineccius*, germanice *Reineke*, natus Mulingæ Saxonum A. 1668. *Schomeri*, Io. Nic. *Quiſtorpii* & *Fechtii* diſcipulus, philoſ. magiſter, ſacræque theologiæ baccalaureus, variis eruditionem ſuam ſcriptis comprobavit, interque ea ſunt Diſpp. de nomine *Iehovah*, traditione *Eliana*, Terminorum philoſoph. in theologia uſu, & VII. dormientibus, Nucleus theologiæ poſitivæ, Epitome controverſiæ de termino gratiæ, & Epitome Epitomes, Iuſta animadverſio in Monitoriam D. Phil. *Mülleri* pro libro Concordiæ, Biblia Lutheri germanica recognita, Alcoranus *Marraccii* cum Synopſi univerſæ theolog. muhammedicæ, Ianua hebrææ linguæ, & Biblia ſacra quadrilingua, de quibus vide *Novum muſeum* T. III. 621. A Theologis roſtochienſibus & uno lipſienſi præclara habet teſtimonia ſtudiorum & vitæ.

Tobiæ

Tobiæ PFANNERI Iudicium de G. *Arnoldi* Hiſtoria eccleſ. & hæret. cum ipſius ARNOLDI Duplica, & *Pfanneri* Declaratione. Gothæ 1701. Vide *Eccardi* Monatl. Auszuge ſive Extracta menſtrua A. 1701. 39.

Tob. *Pfanner*, auguſtanus, conſiliarius ſaxonicus, & Tabulario ducali gothano præfectus, vir celeberrimus, in publicum emiſit Hiſtoriam pacis monaſterienſis & oſnabrugenſis, Hiſtoriam comitiorum anno 1652. 1653. & 1654. celebratorum, ex archivo friedenſteinenſi depromtam, librum de catechumenis eccleſiæ antiquæ, Eccleſiaſticarum obſervationum Partes II. Iudicium de Io. Georg. *Roſenbachio*, eiuſque Defenſionem, & ſcripta de fide archivorum adverſus *Ludevvigium*, deque inviſibilitate eccleſiæ ante Lutherum contra Io. Bapt. *Crophium*. Paul. *Amberger* diſp. de Auguſta litterata p. 70. *Crenius* de furib. librar. p. 281.

Erneſti Salom. CYPRIANI Allgemeine Anmerckungen, Vniverſales obſervationes in Gottfriedi *Arnoldi* Hiſtoriam eccleſiaſticam & hæreticam. Francofurti & Lipſiæ 1701. Editio tertia cuius contenta ſunt hæc: 1) Præfatio ad tertiam editionem. 2) Præfatio ad primam editionem. 3) Proœmium de *Arnoldi* doctrinis. 4) Vniverſales obſervationes. 5) Obſervationes de *Arnoldi* falſationibus. 6) Obſervationes de eiuſdem erroribus. 7) Epiſtola ad Arnoldum. 8) Reſponſio ad eius Declarationem. 9) Reſponſio ad *Anonymi* Commonefactiones. Huc etiam pertinent Auctoris noſtri Fernere proben, Vlteriora ſpecimina de *Arnoldi* ſtudio partium in Hiſtoria eccleſiaſtica.

Erneſtus Salomo *Cyprianus*, Oſthemio-francus, natus A. 1671. cuius maiores ex Italia in Poloniam, & inde in Germaniam delati ſunt, primum profeſſor philoſophiæ extraordinarius in academia Iulia, deinde athenæi Caſimiriani, quod Coburgi eſt, director & profeſſor theologiæ primarius, iam doctor theologiæ, & conſiliarius conſiſtorialis, nec non præfectus bibliothecæ gothanus, vir variæ eruditionis laude celebris, laudatusque a D. Io. *Fechtio* in Epiſtola ad Manzelium, Criticæ in Gottfr. Arnoldi Criticam præfixa)(4. multis variisque ſcriptis remp. litterariam locupletavit: eius enim ſunt, ne quid de Programmatibus, Præfationibus & Orationibus utriuſque linguæ dicam, Diſſertationes de

de ſudore Chriſti ſanguineo, ſudariis & faſciis Chriſti, mortibus primorum Socinianorum, pictura teſte veritatis ſub papatu, occiſione furis nocturni, iure regio, & dicto *Tertulliani*: *Hæretico-rum patriarchæ philoſophi*: de fabrica crucis Chriſti, ſiglis, omophorio Epiſcoporum græcorum, *Tertulliano* euangelico, *Clemente* romano euangelico, annulo Gygis, propagatione hæreſium per cantilenas, (quæ recuſa Londini, cum Conr. *Theodorici* Oratione de mixta hæreticorum prudentia, A. 1720. in 8. maiori) officio Principis circa ſubditorum felicitatem æternam, vitis Paparum adverſus eorundem infallibilitatem, Cæſare MAXIMILIANO I. pontificatum maximum affectante, & tacitis iudiciis populi: item Animadverſiones in Liberii *de S. Amore* Epiſtolas theologicas, Notæ in Hieronymi & Gennadii Catalogum ſcriptorum eccleſiaſticorum, Vita Thomæ *Campanellæ*, Vindiciæ iuſtinianeæ pro *Iuſtini* martyris dialogo cum Tryphone, Centrum papatus, *Grotius* de V. R. C. cum Analectis, Io. Canutus *Lenæus* de V. R. C. cum Programmate de ſcriptoribus, qui chriſtianæ religionis veritatem aſſeruerunt, Animadverſiones in libellum pontificium, qui inſcribitur Kurtz und gut, Breve & bonum, Programmata ſelecta cum Diſſertationibus tribus de Regibus ſubditiis, MARIA Stuarta Scotiæ regina, & vere ſacro, Ethica CHRISTI, ex antiquis eccleſiæ doctoribus explicata, Hiſtoria pædobaptiſmi reſtituta adverſus G. *Arnoldum* & Galenum *Abrahamsz*, Informatio de iure primogenitorum in illuſtribus familiis, Liber de eccleſia ſubterranea, Catalogus codicum MSS. bibliothecæ gothanæ cum Epiſtolis clarorum virorum, Hilaria evangelica, *Tenzelii* Hiſtoria reformationis, cui & altera pars acceſſit, *Myconii* Hiſtoria reformationis cum præfatione, *Spalatini* Annales Lutheri cum præfatione adverſus Galenum *Abrahamsz* & D. *Schyn*, Convincens deductio de initio & progreſſu papatus, cum apologia pro reformatione, ac denique Epiſtola ad D. Chriſtoph. Matth. Pfaffium de non facienda cum Reformatis concordia.

H. G. W. E. M. Augenſcheinliche Erweiſung, Clara demonſtratio, Gottfriedum *Arnoldum* nec erudite, nec fideliter *Theodoti* Valentinianum fragmentum tranſtuliſſe, exiguamque eo notitiam græcæ linguæ prodidiſſe. Vlmæ 1701. Edita

ta a D. E. V. id eſt, Doctore Elia *Veiel:* qui & Epiſtolam ad Theologos euangelicos præmiſit, eis deliberandum proponens, an non Arnoldus pro apoſtata habendus, talis publice declarandus & condemnandus, & Præloquium, quo zelum ſuum contra Hiſtoriam Arnoldi hæreticam prodit, eamque *hæreticiſſimam* appellandum eſſe iudicat, ſe tuetur contra anonymum Arnoldi defenſorem, iudicium prodit ſuum de fragmento *Theodoti*, eiuſque verſione, nec non propoſitum ſuum de refutanda Arnoldi Hiſtoria, & diſquirit, utrum pietiſmus ſit ſecta. Demonſtrationis autem formator eſt G. WACHTER. Vide *Narrat. innoc.* A. 1701. 57. & *Serpilii* Epitaphia theol. ſuevor. p. 77.

Georgius *Wachter*, Eccleſiæ memmingenſis miniſter, de ſacris & elegantioribus litteris bene meritus, eum conſecutus eſt honorem, ut a D. Elia *Veielio*, viro laudatiſſimo, impenſe amaretur, nec parvi æſtimaretur.

EIVSDEM Aufrichtige Vorſtellung, Ingenua indicatio falſitatum *Arnoldi* erga veteres & recentes ſcriptores, & improbæ defenſionis hæreticorum & atheorum. Cum Confirmatione cenſuræ adverſus translationem Fragmenti valentiniani. Vlmæ 1702. In principio exſtat Epiſtola D. *Veielii* ad Wachterum, qua negat ſe pœnitere vel unius verbuli contra Arnoldum, eiuſque opus hiſtoricum prolati, neque etiam hac in cauſſa ſive Arnoldo, ſive alicui eius defenſori reſponſurum, adoptare autem præſens opuſculum, idque pro ſuo agnoſcere.

CLXVII.

Ausführliche beſchreibung des unfugs, Accurata deſcriptio turbarum, quam Pietiſtæ Halberſtadii fecerunt menſe Decembri A. 1692. Sine expreſſione loci, qui tamen videtur eſſe Lipſia, 1693. Vbi pariter de re pietiſtica in genere multa narrantur, aut, aliorum iudicio, finguntur. Auctor huius deſcriptionis fertur eſſe percelebris eo tempore apud Lipſienſes theologus & philologus, idque indicare videtur D. Ioach. *Langius* Antibarbari T. II. 570. Plures ei apologias oppoſuere, & ex ultimis etiam *Spenerus*, quem vide in ipſius Conſiliis & iudiciis latinis P. III. 743. 750. & *Reitzium* Hiſtor. regenitorum P. V. 318.

Neues muſter pietiſtiſcher gottloſigkeiten, Novum ſpecimen pietiſticarum impietatum, propoſitum in litteris clientis cuiuſdam ad ſuum patronum. (1702.) Eſt Apologia pro D. Chriſtoph. *Sonntagio* adverſus ea, quæ de illo relata fuerant in novis Colloquiis menſtruis, & quidem menſe Ianuario anni 1702. Et fama tunc temporis tulit, ipſum SONNTAGIVM eius auctorem eſſe.

Categoriſche antwort, Categorica reſponſio ad D. Chriſtophori *Sonntagii* propoſitos articulos IX. concordiæ, inter Fanaticos & Orthodoxos ineundæ. Lipſiæ & Francofurti 1705. Eorum autem, ut cum *Tertulliano* loquar, inſufficientiam ſcriptor oſtendere ſtudet ex Verbo Dei, Compendiis theologicis, Io. *Arndii* Præfatione in Theologiam teutonicam, Agendis eccleſiaſticis Civitatis noribergenſis, & Minore *Lutheri* catechiſmo; atque e contrario unicum producit articulum, cuius beneficio ad ſanctam & chriſtianam concordiam pervenire liceat. Dic, quæſo, quis ille? Dicam: Finem faciendum eſſe quæſtionum, diſputationum, & logomachiarum, e quibus oriuntur invidia, contentio, convicia, bella ſcholaſtica, quæ ſint hominum corruptos ſenſus habentium, veritate privatorum, credentiumque, theologiam tantum eſſe opus oris, & lucri cauſſa faciendum; ex adverſo autem inſtituendam ſui abnegationem, Chriſti crucem in ſe ſuſcipiendam, eumque preſſo pede atque indeſinenter ſequendum. Adiungitur etiam *Facultatis theol. lipſienſis* Reſponſum ad IV. quæſtiones, datum A. 1705. de regeneratione, iuſtificatione, renovatione & fide viva.

Schuldige danck-pflicht, Officium gratitudinis in vindicanda doctoris bene meriti fama poſitum, & prurituí cuiuſdam theologo-maſtigis oppoſitum. 1707. Idque eſt refutatio prioris ſcripti, videlicet Categoricæ reſponſionis, atque in eo D. *Sonntagii* Articuli concordiæ X. defenduntur.

CAROLI XI. Regis Sueciæ contra Io. *Matthia* conſilia irenica: cum Io. Andr. *Gæbelii* in illud & Caſp. *Calvœri* Conſultationem de pace eccleſiaſtica inter Proteſtantes ineunda Annotationibus. Hamburgi & Lipſiæ 1709.

Carolus

Carolus XI. filius CAROLI GVSTAVI, Bremam obſidione cinxit, triplicis fœderis ſocius fuit, inquiſitionem in bona nobilium inſtituit, & donationes CHRISTINAE revocavit, abſolutam poteſtatem a Statibus obtinuit, ſtrenuus dux belli fuit, ſed & doluit, ſe in iuventute litteris non fuiſſe imbutum, in Lapponiam, terras illas ut cognoſceret, iter inſtituit, multiſque operibus præclare geſtis, quod mortale erat depoſuit anno 1697. ætatis 41. cum dimidio.

Io. Andr. *Gœbel*, tunc temporis erat ſtudioſus theologiæ: de quo in *Vnpartheyiſchen Gedancken* über Seb. Edzardi Refutation des Moderaminis inculp. tutelæ D. *Buddei* p. 4. & 9.

Erdmanni NEVMEISTERI freymüthige widerrede, Libera defenſio contra D. Io. Wilh. *Peterſenii* Liberam allocutionem, Gœrlicii 1709. Quæ recenſetur in *Narrat. innoc.* A. 1709.

Erdmannus *Neumeiſter*, natus A. 1671. in pago Vehteriz prope Weiſenfelſam, ſero, ſed tamen magna cum induſtria ac feliciter ad ſtudia litterarum ſe ſe adplicavit, ſolaque Dei providentia adiutus variis admotus eſt muneribus: primum enim fuit ſubſtitutus, deinde paſtor biebranus, & ephoriæ eckartsbergenſis adiunctus, poſtea diaconus, & mox concionator Aulæ weiſſenfelſenſis, præterea ſuperintendens, conſiſtorialis, primuſque concionator aulicus Soraviæ in Luſatia inferiore, & nunc paſtor hamburgenſis ad S. Iacobi, ſcriptis homileticis, poëticis & muſicis clarus, eiuſque eſt etiam Diſſertatio hiſtorico-critica de poëtis germanicis. Totus in lætitiam reſolvitur, quoties Dei admirabilem atque immenſam benignitatem, quam a puero expertus eſt, cogitat, atque ideo in Symbolum ſibi elegit verba Pſalmi 84, 12. *Sol & ſcutum eſt Iehova Deus.* Vide Io. Sam. *Magni* Hiſtoriam ſoravienſem.

SCHWALCHII Sermo introductionis profeſſoris theologiæ, 1709. Introducendus erat ad profeſſionem theologiæ in Gymnaſio ſtetinenſi D. Georg. Balthaſar *a Maſcovv*. Hoc igitur officium nomine regio ſuſtinuit excellentiſſimus Schwalchius, pia & gravi oratione theologos profeſſores adhortans ad veram & operibus fructuoſam theologiam. Huic ſimilis eſt oratio Iacobi *Facciolati*, Gymnaſii patavini præfecti, ad theologiam, dicta A. 1717.

1717. & hic loci denuo excuſa, qua neminem eſſe verum theologum, niſi pariter ſit vir bonus, firmiſſimis argumentis evincit.

N. *a Schvvalch*, tunc erat Regiæ Maieſtatis Suecicæ miniſter Status, & Regiminis regii in urbe ſtetinenſi cancellarius: eiuſque memoria durabit, quamdiu erunt homines, qui practicam æſtiment, colendamque ſtatuant theologiam.

Gedancken, Cogitationes de doctrina Ioan. Iulii *Struvii*: cum D. Simonis Ioannis *Arnoldi* Epiſtola de eadem materia. 1711. Melius tamen ille inſtructus poſtea, atque admonitus, ſcrupulos ſuos abiecit, iiſque nuncium miſit. Erant autem illi de vocatione miniſtrorum eccleſiæ, ſubſcriptione librorum ſymbolicorum, auctoritate Conſtitutionis eccleſiaſticæ & Magiſtratus, baptiſmi efficientia, baptiſmo infantum, regeneratione per baptiſmum, confeſſione & abſolutione, S. cœnæ adminiſtratione & fructu, iudiciis Facultatum theologicarum, & virorum piorum ex plebe, denique de inhabitatione Chriſti in Turcis, Ethnicis, & impiis hominibus.

Bartholdi FEINDII Züchtigung, Caſtigatio in dehortatione & correctione Chriſtiani *Krumbholzii*, paſtoris hamburgenſis ad S. Petri. 1707. Acerbum eſt ſcriptum, quo huic delicta ſua ob oculos ponit, & quantum erga ſe etiam elencho abuſus ſit eccleſiaſtico per integrum biennium, libere & confidenter oſtendit atque obiicit.

Bartholdus *Feindius*, hamburgenſis, natus A. 1678. Iuris utriuſque licentiatus, parum, ut videtur, curavit ea, quæ contra ſe ſcripſerunt Theologi ſaxonici in Apologia pro Krumbholzio, quæ poſt hæc a nobis recenſebitur, p. 31. & 51. ac mira expertus eſt fata: ſi non ipſe ea provocavit, ſuæque faber fuit fortunæ.

Aliquot candide ſentientium THEOLOGORVM ET PASTORVM IN SAXONIA SVPERIORE Hœchſtnothwendige anrede, Summe neceſſarium Alloquium ad omnes & ſingulos theologos & Paſtores in & extra Germaniam, itemque omnes Chriſtianos civitatis hamburgenſis, & in primis ſanctos S. Petri, de liberatione captivi D. Chriſtiani *Krumbholzii*. Lipſiæ & Francofurti 1709. Cui etiam inſerta eſt p. 55. Epiſtola *Lutheri*,

theri, qua iudicium fert de IV. civium deprecatione ad Comitem arnſtadianum pro expulſo paſtore ſuo D. Ioach. *Martino*, Rogant igitur & adhortantur omnes, quos alloquuntur, ut cauſſam Krumbholzianam faciant ſuam, eumque quovis modo e carcere liberare ſtudeant, &, ſi viri diœceſeos Petrinæ, cui captivus erat præpoſitus, libellum ſupplicem pro paſtore ſuo forte non audeant offerre, ne rebelles videantur, id faciant piæ eorum uxores & matronæ; ceterum ſuadent, ut per amneſtiam diſſidium inter Magiſtratum & Krumbholzium ſopiatur atque tollatur. Sed Hamburgo ad conſulentes vox audita eſt hæc: *Quis hoc requiſivit a manibus veſtris?* Non enim defuere cauſæ huic iuſti & æqui iudices, quorum ſententia Krumbholzius ad perpetuam condemnatus eſt cuſtodiam.

Noſce te ipſum, ſive Relationes de Pietiſtis. Partes II. A. 1711. In priore XVI. producuntur notæ Pietiſtarum characteriſticæ, & excerpta ex D. Io. Frid. *Mayeri* Brevi Relatione de Pietiſtis, & Hartwigi *Bambamii* Catechiſmo pietiſtico; in poſteriore hoc negotium continuatur, & calumniæ calumniis, iniuriæ iniuriis cumulantur, Pietiſtæ in VI. claſſes diſtribuuntur, & variæ adferuntur quæſtiones de Pietiſtis, cum ſuis reſponſionibus. Notandum autem, *Facultatem theologicam halenſem* contra Mayeri ſcriptum Apologiam edidiſſe.

Ioan. Gottlob STOLZII Bedencken, Iudicium de abſolutione, quando & quo in caſu, ſine Conſiſtorii præſcitu & conſtitutione, confitenti denegari poſſit. Dreſdæ & Lipſiæ 1708. Putat, id fieri poſſe 1. erga eum, quem miniſter eccleſiæ ex certis indiciis impœnitentem eſſe iudicet. 2. qui iuſſus fuerit abſtinere a loco confeſſionis ſine prius peracta pœnitentia. 3. qui nolit correctionem vitæ promittere. 4. qui non doleat de peccato, quod diffiteri nequit. 5. ſi Superiores faveant confitenti. 6. ubi non ſit formatum iudicium eccleſiaſticum, nec commiſſarii cauſſæ ſufficientem habeant inſtructionem, resque eccleſiaſticæ non in conſilio, ſed in conclavi Principis, aut in cancellaria tractentur. 7. erga ipſum Principem, territorii dominum, & ſupremum epiſcopum, non in quantum denegatio habeat ignominiam & realem effectum in foro & vita civili, ſed in quantum ſit mera publica declaratio,

Digitized by Google

claratio, qua coram eccleſia teſtimonium feratur, hominem talem non eſſe verum eccleſiæ membrum, quamdiu non egerit pœnitentiam. Atque in hiſce ſententiis ſequitur veſtigia Sam. *Edzardi*, Logices & Metaphyſ. profeſſoris in Gymnaſio hamburgenſi; excitat tamen etiam illuſtrem *Thomaſium* de clave ligante, aliter in re tam gravi docentem.

Io. Gottlob *Stolze*, natus Pirnæ in Miſnia A. 1667. philoſ. & theol. doctor, & ſuperintendens primum waldenburgenſis, nunc lubbenenſis, edidit, cum adhuc eſſet academicus, Diſſertationes de *Euſebio*, *Theophilo* euangelico Luc. I. & Act. I. Silentio divino, Metaphyſica falſo pro lexico philoſophico venditata, Amicitia inter pocula: & poſtea Propoſitionem de fide, quod non poſſit conſiſtere cum propoſito peccandi, Quid ſit faciendum chriſtiano, & quomodo ſe gerere debeat in controverſiis religionis, Epiſtolas IV. videlicet 1. de charactere piorum motuum. 2. quo fundamento irregenitus dicatur *illuminatus*. 3. de influxu gratiæ in intellectum & voluntatem ſimultaneo. 4. de dupliciunione Iuſtificationis & Renovationis, Verum pœnitentiæ ordinem, de Scriptis *Arndianis*, Tectas cogitationes ſub nomine *Ingenui Germanici Symbolici*, earumque Continuationem, Diſſertationem de præſervatione maſſæ, ex qua Chriſtus naſci debuit, Præiudicia puritati doctrinæ in vita chriſtiana damnum inferre, Epiſtolarum paſtoralium faſciculum, Reſponſionem ad quæſtionem, an concubinatus ſit tolerabilior polygamia? Iudicium de neutralitate in religione, & huius Defenſionem, ſub titulo: Neutralitas religionis iure reiecta.

COELESTINI Weiſſagung, Prognoſticon de ſucceſſione hiſpanica, turbis ſuevicis & bavaricis, & geſtis Imperatoris eiusque Confœderatorum contra Regem Galliæ, ac felici & glorioſo eorum exitu. 1707. Antea 1704. Sed in plurimis prophetia hæc, ab anno 1703. uſque ad 1707. pertingens, a vero aberravit.

Cœleſtinus, ordinis S Benedicti, vir pius & religioſus, ſed ſimplex, nec habens, ſed affectans ſpiritum propheticum, Prognoſticon illud edidit anno 1671.

CAROLI XII. Regis Suecorum Quotidianæ preces & cantiones, cum pſalmo CI. 1707.

Carolus

Carolus, filius CAROLI XI. Suecorum, Gothorum & Vandalorum Rex, compoſita pace ryſvicenſi, glorioſeque geſto bello cum Polonis & Ruſſis, fortunam adverſam expertus eſt ad Pultavam, ita ut in obſidione læſus in calce alterius pedis, & acie victus a Ruſſis, cum paucis equitibus Benderam Sarmatiæ ad Nieſterum fugere, & turcici Imperatoris favorem & protectionem implorare cogeretur. Abſoluta autem hac cataſtrophe, cum ſuis, poſt aliquot annos, per Hungariam & Germaniam in regnum ſuum reverſus a Danis vindictam ſumere conſtituit, atque in Norwegiam hiberno tempore irrumpens, & Friderici Halam obſidione premens globo per caput traiecto interiit, & magnanimitatis, generoſitatis ac fortitudinis, qua per totum terrarum orbem cluebat, finem fecit anno 1718. die XI. Decembris, cum vixiſſet annos 36.

Io. Frid. MAYERI Kurze und einfæltige erklærung, Brevis & ſimplex explicatio cantionis, *Nun komm der heiden Heyland*. Gryphiſwaldiæ.

Sigm. Chriſtiani GMELINI Apologetiſche erklærung, Apologetica declaratio de lutherana eccleſia, eiuſque doctrina, miniſterio eccleſiaſtico, externo cultu divino, ſacramentis, e. r. 1708. Cum Chriſtiani Gottfriedi SCHMOLLERI & Polyc. Iac. BAVERI ſcriptis eadem de materia. Quæ omnia tradita ſunt Conſilio ſanctiori ſereniſſimi Ducis wurtembergici: & ſunt ſpeculum multarum corruptelarum, e quo tam ſtudioſi theologiæ, quam paſtores ſe emendare poſſint.

Chriſtianus *Gmelin* erat diaconus herrenbergenſis in illo Ducatu; *Schmoller*, repetens in collegio Stipendiariorum tubingenſi; & *Bauer*, ſtudioſus theologiæ.

S. K. Antwort, Reſponſio ad II. quæſtiones, 1. quid iudicandum de ſeparatione malorum hominum a bonis? 2. ecquid de ſeparatione bonorum a malis? Cum N. T. Replica. (1709.) S. K. eſt Samuel KOENIG, & N. T. Nicolaus TSCHERNIVS: atque hic Separatiſtarum partes tuetur.

Freye gedancken, Liberæ cogitationes de poſſibilitate & impoſſibilitate obſervandi Edictum ſaxonicum de vitandis duellis. 1708. Eſt dialogus inter Libertatem & Obedientiam, in quo Libertas,

tas varias proponit obiectiones contra illud Edictum, quaſi ſervari nequeat; ſed Obedientia eas diſſolvit, & Conſtitutionem iuſtam, ſumme neceſſariam, utilemque eſſe pronunciat.

Caſp. NEVMANNI Gutachten, Iudicium de pueris & puellabus in Sileſia publice orantibus. 1708. Anno 1707. coeperunt iſti liberi preces ſuas facere in aperto campo, extra pagos & oppida, hoc tamen diſcrimine, ut alii dicerent, ſe ſe orare pro reſtitutione ædium ſacrarum, alii templa & ſcholas ſuas deſererent. De hoc opere ita iudicat *Neumannus*, id eſſe mixtum, & habere quid divini, humani, & diabolici; maiores autem natu humillima adoratione proſequi debere Deum O. M. cuius iudicia ſint inſcrutabilia, & cuius viæ imperveſtigabiles, pœnitentiam agere, atque ardentius precari, ſimplicemque & rudem iuventutem recte informare, quod preces ſecundum primum & ſecundum præceptum ita ſint faciendæ, ne obedientia erga tertium & quartum, per contemtum cultus divini in templis & ſcholis, & inobedientiam erga parentes ac Superiores, negligatur. Additur etiam Oratio, quam iuventus ſileſiaca, in primis glogovienſi in Principatu, tam in oppidis, quam in pagis, ſponte ac ſine parentum adhortatione, ſub cœlo, cum devotis cantionibus, bonoque ac tranquillo ordine, quotidie dixit. De auctore inferius dicetur.

Auguſti *Von* SCHOENFELD Aufrichtige erwegung der Erlauterung Fürſtl. meklenburgiſchen kirchen-ordnung, Ingenua expenſio illuſtratæ Conſtitutionis eccleſiaſticæ in Principatu meklenburgico, quæ publicata fuit A. 1708. Hamburgi 1709. In qua laudabilia eius repetit & adprobat, ſed & p. 67. ac ſeqq. ea proponit, quæ dubia & erronea videntur. Præcipue multus eſt in doctrina de ſanctificatione ſabbati, p. 16. & de mutatione confeſſionarii, p. 67.

Io. Adolphi FROHNII Nohtwendige ablehnung, Neceſſaria depulſio calumniarum apud exteros ſparſarum, quaſi recederet ab orthodoxia, atque chiliaſmo & quibusvis novitatibus deditus eſſet. Mulhuſiii 1700.

H. B. Geſpræch, Dialogus inter Orthodoxum & Alethophilum, de hæreticis, 1712.

Aaronis

Aaronis SINCERI Nothwendige Adreſſe und warnung, Neceſſaria ſupplicatio & dehoratio ad Germaniæ Rectores ſive Magiſtratus de dura perſecutione ſic dictorum Pietiſtarum. Sine die & conſule. Sub larva autem Sinceri latitat Erneſtus Chriſtophorus HOCHMANN ab Hochenau, qui lamentatur, illos, qui Pietiſtæ vocentur, quique Chriſti mandato ſe ſe a pravis ſeparaverint, atque ad Chriſtum, lucem æternam, intus divertant, illumque ſolum, ne in tenebris ambulent, ſed ut lucem vitæ habeant, ſequantur, perſecutionem pati, in carcerem compingi, puniri, civitate ac bonis ſuis ſpoliari, eiici, atque in exilium propelli, eosque rogat, ut eiusmodi actus intermittant, atque innocentes, & Deo Chriſtoque eius dicatos, ſuo quemque iure frui & gaudere ſinant.

Species facti & quæſtio, quid faciendum ratione confeſſionis peccatorum, & ſumtionis S. cœnæ, poſtquam quis excommunicatus, & publice remotus eſt a participatione ſacramenti altaris, & officio patrini. 1698. Auctore Chriſtiano NEVBAVRIO, Cum variis appendicibus, videlicet Formula excommunicationis, Litteris I. M. *Luſtii*, *Alardi*, A. *Pfeifferi*, Delineatione ineundæ concordiæ, Iudicio *Gieſſenſium theologorum*, & *Vltraiectenſium*, aliisque.

Chriſtianus *Neubaur*, Præfectus civitatis bremenſis præſidio & Dux cohortis, (Commandant und Obriſt-Lieutenant) illiteratus quidem vir, ſed curioſus tamen rerum, etiam theologicarum, & liberior aliorum cenſor, atque ita odium & perſecutionem incurrens, & publice in eccleſia, ſine expreſſo quidem nomine, ſed ea tamen deſcriptione, qua ab omnibus noſceretur, excommunicatus, atque ab officio patrini in poſterum excluſus, quod ille poſtea iniuriam interpretatus eſt, obiit Bremæ A. 1717. ætatis 71.

EIVSDEM Echte und rechte wahl Gottes, Vera Dei electio ad hominum ſalutem. 1698. Propoſita III. quæſtionibus: 1. An Deus homines elegerit eo modo, quo Papæ romani eliguntur? 2. Aut, ſicut eliguntur Reges Poloniæ? 3. Vtra harum electionum hominibus ſit gratiſſima, ita ut optent, ſe ſe hac ratione electos eſſe? Primam negat, alteram adfirmat, ſtatuens, ſecun-

dum pacta conventa electionem factam eſſe: ad tertiam autem reſpondet, electionem papalem, qua unus ex Cardinalibus, dum nihil agit, & laute tractatur, ad tantum faſtigium pluralitate votorum exaltatur, hominibus ſuaviorem atque optabiliorem eſſe altera, qua ſecundum Dei ordinem atque præſcriptum debeat vivere.

EIVSDEM Glaubensbekentnis, Confeſſio de ſatana. 1699. In qua de exiſtentia, attributis, & operationibus mali ſpiritus diſſeritur, omniaque dictis Scripturæ comprobantur.

EIVSDEM Erœrterung etlicher fragen, Solutio quæſtionum aliquot. 1699. Earum ſunt III. 1. Soline in primitiva eccleſia Apoſtoli & conſecrati Epiſcopi baptizaverint, abſolverint & S. cœnam adminiſtraverint, an laici? 2. Iuſtum ne & verbo ac voluntati Dei conforme fuerit, quod hac in re vetus eccleſia libertatem permitteret, an hoc ipſo peccaverit, impieque egerit? 3. Vtrum hodierni ſic dicti Chriſtiani, eo quod talem laicis libertatem non amplius permittunt, ſed omnia illa Statui eccleſiaſtico ſive clericis, qui Spirituales vocantur, tanquam propria vindicant, hoc modo melius, aut peius, quam veteres Chriſtiani faciant? Ad primam reſpondet, etiam laicos interdum illos actus obiviſſe: ad ſecundam, iuſtum id fuiſſe: ad tertiam, non facere melius. Interim ſollemniter teſtatur tam hic, quam in Præfatione, non eſſe ſibi mentem, quod Miniſterium ſacrum tolli, ſuoque privari iure debeat, ſed tantum oſtendere voluiſſe, certis in caſibus illos actus etiam a laicis exerceri poſſe.

C. N. B. id eſt, Chriſtiani NEVBAVRII Grundliche vorſtellung, Solida oſtenſio, binos paſtores Principi ſuo abſolutionem & acceſſum ad S. cœnam denegantes iniuſte egiſſe. 1706. In qua eorum rationes proponit, atque ad eas reſpondet.

EIVSDEM IV. Epiſtolæ ad Sebaſt. *Edzardum*, 1707. 1708. In prima earum ſimulat, ſe eius ſcripta de benedictione toti cœtui eccleſiaſtico impertienda, deque concordia, Lutheranos inter & Calvinianos minime ineunda, magna cum delectatione, nec minore fructu legiſſe, cupere tamen hac de re ulterius cum eo agere. In reliquis adverſarium agit, ac diſputatorem, ſupponens, Reformatos non errare in fundamento, ideoque concordiam cum

iis iniri poſſe. Ad primam reſpondit *Edzardus* in Appendice ad Refutationem D. *Breithaupti*, atque ad ſecundam in Excuſſione quæſtionis, An Calviniſtæ, ſive ita dicti Reformati, id ex animo credant, quod credendum ſimplici eſt homini, ſeu idiotæ.

EIUSDEM Antwort, Reſponſio ad M. Magni *Gartneri* libellum famoſum, quem inſcripſit Neubaurſche Læſterungen, Convicia neubauriana. 1707. Primo adfert rationes, cur non ſtatim reſponderit: deinde vero ad ſingulas eius obiectiones reſpondet.

Vnpartheyiſche gedancken, Mediæ cogitationes de Sebaſt. *Edzardi* Refutatione Moderaminis inculpatæ tutelæ D. *Buddei*. 1708. Auctor eſt quidam ex diſcipulis Profeſſorum halenſium, ſicut ipſe prodit p. 7. & 9. Sed ſcriptum non magni eſt momenti; neque etiam rubro ſive titulo reſpondet.

CLXIIX.

Io. Melchioris STENGERI Buch, Liber pro iis, qui chriſtianiſmum ſuum melius diſcere, veramque ad ſalutem a deviis bene & accurate diſcernere cupiunt. Erfurti 1669. Quo uſitata hodie magna pœnitentia multorum errorum accuſatur, & fidei fructibus carenti larva detrahitur, ſimulque bonorum operum ſumma neceſſitas, ſalva tamen fidei, reſpectu ſalutis, operatione, efficacius urgetur. In Præfatione aperit auctor, quid ipſum impulerit ad librum hunc ſcribendum atque edendum; detonat contra vitia & ſcandala Paſtorum quorundam, quodque non omnes illorum recte diſtinguant inter obiecta terrenda & ſolanda; docet, ſalvam rem eſſe in homine tentato & de miſericordia Dei quaſi deſperante, ſi 1. animum habeat non peccandi voluntarie, & 2. ſerio expetat ſitiatque gratiam Ieſu Chriſti; denique ſolvit obiectiones, quæ ſibi fiant: videlicet 1) An velit accuſare Eccleſiam Dei, quaſi non recte hac de re docuerit? 2) Cur non maneat in uſitatis loquendi formulis? 3) Doctrinam ipſius eſſe terribilem, & facile quem poſſe in deſperationem coniicere: aut 4) anſam dare ad ſpiritualem ſuperbiam, ita ut putent homines, ſe eſſe magnos ſanctos, ſe bene obſervare præcepta Chriſti, &c.

Io. Melch. *Stenger*, erfurtenſis, tranſactis in V. univerſitatibus, ienenſi, lipſienſi, wittebergenſi, erfurtenſi, & argentinenſi

XII. annis, primum diaconus ædis Prædicatorum in patria, & poſt remotionem ab officio inſpector ſtorckovienſis ad fines Luſatiæ, tandemque paſtor primarius, & inſpector wittſtockienſis, vir præſentis ac fortis animi, pœnitentiæ aſſertor, & pietatis chriſtianæ promovendæ ſtudioſus, ſed correctionum impatiens, & quod excedere videretur, multos nactus adverſarios, interque eos *Hartnaccium*, *Herzium*, *Pertſchium*, *Rangonem*, Io. Frid. *Mayerum*, ne quid de integris Collegiis dicam, præter ea, quæ hic iam recenſentur, ſcripſit Quæſtiones & reſponſiones pro iis, qui ad S. cœnam ſe conferre volunt, A. 1667. Legitimum & chriſtianum zelum adverſus impudentem *Hartnaccium*: Formulam abſolutionis, militibus a Ioanne datæ, 1688. Reſponſionem ad *Hartnaccii* Nova Parnaſſi, 1689. Vindicias Reſponſionis contra *Hartnaccii* Retorſionem, 1689. Contra Iudicium wohnſidelenſe (M. Io. Georg. *Pertſchii*) de obſervantia præceptorum Dei, 1691. Ieſum, unicum noſtrum dominum & legislatorem, 1693. Deliquia *ienenſium*, & Dedekenno inſertarum cenſurarum, 1693. Provocationem Io. Frid. *Mayeri* & Conr. Tiburtii *Rangonis* ad pugnam, 1694. Iteratam & Tertiam provocationem *Mayeri*, 1694. *eiuſdemque*, ut equitis haſtati, poſt multam in campo martio olympico ſpumantis equi agitationem, tandem tentatum; ſed vanum impetum atque aſſaltum, 1694. & finitis tot pugnis, totque duellis, eo ivit A. 1710. ubi nullæ ſunt commotiones, nullæ contentiones, & diſputationes nullæ, poſtquam in tumultuoſo hoc mundo vixiſſet annos 71. menſes 5. G. *Arnold* Hiſt. eccleſ. & hæret. P. III. c. 14. p. 135. *Hartnaccius* in Continuat. Syntagmatis Micræliani p. 1078. *Spener* Conſil. theol. latin. P. I. 265. P. III. 46. 482. 496. 539. 551. & ipſe *Stenger* de Hartnacciſmo c. 2. C 3.

EIVSDEM Einſchærfung, Inculcatio duorum utilium, atque ad verum chriſtianiſmum pertinentium dogmatum. Erfurti 1670. Quænam illa? 1. Qui in fine vitæ non habet teſtimonium ſanctæ, & ad normam præceptorum Chriſti tranſactæ vitæ, is non moritur beate, nec venit (puta, ordinarie) in regnum Dei. 2. Magna pœnitentia non toties, ut multi arbitrantur, a veris Dei filiis repetitur; ſed ea vel non opus habent, vel certe non ſecunda, multo minus tertia, decima, aut centeſima vice. Scopus autem huius ſcripti eſt, veros Chriſtianos in curſu pieta-

tis

tis confirmare, eos vero, qui ſibi videntur eſſe chriſtiani, dehortari, & ex ſecuritatis ſomno excitare. Additur Summaria recenſio eorum dogmatum, quæ ab ipſo de pœnitentia & vero chriſtianiſmo propoſita, in contentioſo autem & perverſo hoc ſæculo cenſita, improbata & condemnata ſunt, & Dan. *Seileri*, ſuperintendentis ichtershuſani, Iudicium de Stengeri doctrina, quam ſcripturæ ſacræ conformem agnoſcit.

EIVSDEM Reſponſio ad Dan. *Hartnaccii* librum invectivum & maledicum. 1670.

EIVSDEM Apologia & Reſponſio ad *Ienenſium theologorum* Relationem, in qua eam erroneæ accuſarunt doctrinæ. Francofurti ad Viadrum 1672. Pariter ea defenduntur, quæ Ienenſium Cenſuris, operi Conſiliorum Dedekenniano additis, anno ſuperiore oppoſuit: cum brevi Refutatione Stengeriſmi enervati, ab *Hartnaccio* editi.

CLXIX.

Ioannis Matthæi MEYFARTI Chriſtliche erinnerung, Chriſtiana admonitio de exulantibus, apud Academias euangelicas, bonis conſtitutionibus, & intruſa in earum locum barbarie. Schleiſſingæ 1636. & poſtea 1641. Eaque IV. abſolvitur libris; quorum primo agitur de turpi atque horribili barbarie, quæ in euangelicas irrepſit academias: ſecundo de iis, quæ ſecuta ſunt poſt expulſionem diſciplinæ & honeſtatis, & introductionem pravorum & barbarorum morum: tertio de cauſſis, propter quas reformatio academiarum noſtrarum ſuſcipienda: quarto de mediis neceſſariis, quibus inhiberi poteſt introducta in academias euangelicas impia & barbarica vita. Hiſce præmittitur longum Prooemium, V. conſtans capitibus; quorum primo oſtenditur, qui fiat interdum, ut eiuſmodi incidant tempora, in quibus martyres & confeſſores ſunt rariſſimi: ſecundo tractatur de ſtudioſis theologiæ, quorum multi non perpendant ſcopum ſuum, quid ſacro in ſtatu ſint acturi, & quas ipſis dotes Deus conceſſerit: tertio, ſolatio eriguntur ſtudioſi, qui in academiis vexantur, & cum egeſtate contemtuque conflictari neceſſe habent: quarto reſpondetur ad obiectiones, quæ contra hos libros formari poſſent: quinto conſilium datur de barbarie ex academiis expellenda, ſi

nempe in illis ſeminaria ſive collegia erigerentur, in quibus veri & pii educarentur ſtudioſi ſacrarum litterarum. Hiſce ſubiungitur epilogus de ſcopo huius operis: qui quidem hic fuit, ut auctor pro virili tolleret magnum illud malum, & pernicioſiſſima illa zizania, quibus maieſtas univerſitatum euangelicarum læditur, earumque honor, gloria & fama magnum patitur detrimentum. Sancte etiam teſtatur, non eſſe ſuum propoſitum, euangelicis eccleſiis & academiis maculam affricare, easque odioſas aliis, & famoſas reddere, neque etiam piorum, & nomen ſuum implentium ſtudioſorum ſe eſſe hoſtem, ſed vitia eorum taxatum atque abolitum ire, in primis ſtudioſorum theologiæ, quorum (turpe dictu) maxima pars improbi ſint, multisque & magnis vitiis dediti. Certe proficuum, ſi non neceſſarium, foret, ut omnes & profeſſores & diſcipuli academici diligenter ſæpiusque hoc legerent opus, atque officium inde ſuum cognoſcerent, & quidquid indecens, quidquid inhoneſtum, deponerent, atque ita ſe ſe gererent, ut vere dici poſſet, academias noſtras eſſe fodinas puræ veritatis, templa virtutis, ſacraria pietatis, & morum palæſtras optimorum atque ſanctiſſimorum, quibus litterati a plebe humi repente, vitiisque ſæculi immerſa, diſtinguantur. Multa etiam alia præclara habet hic auctor, ut, Pontificios ſcriptores & theologos in aliquot punctis multo ſe melius explicaſſe, quam tempore reformationis, p. 92. Euangelicorum ſectas duas peſſimarum ſe hæreſium mutuo poſtulaſſe, & non obſtante Concordia marpurgenſi controverſias mirum in modum auxiſſe; obſervaſſe tamen ſe, omnes illos theologos, qui conciliationi Euangelicorum obſtiterunt, aut iuſto citius hinc abreptos, aut in ipſorum filiis atque nepotibus horribiliter punitos eſſe, p. 98. male etiam ceſſiſſe illis, qui de effuſo in Gallia & Belgio ſanguine Chriſtianorum tripudiarunt, p. 99. nec ſatis doleri poſſe, quod etiam iuvenes atque imperiti theologaſtri, qui ne per momentum quidem ad portam mortis fuere, neque in ulla anguſtia, tentatione & periculo verſati, quique nihil niſi ſyllogizare, declamare, ac deblaterare ſciunt, de maxime arduis ac ſublimibus rebus loqui, ſcribere & iudicare audeant. p. 99. Hæc & ſimilia alia ulcus academiarum euangelicarum & multorum pſeudotheologorum tangentia, non poterant ſane grata & ſuavia illis eſſe, qui mali affecti erant: inde factum, ut bonus vir pluri-

plurimorum invidiam & odium incurreret, peſſimeque audiret, quaſi qui academiis convicium dixiſſet, easque everſum ac ſublatum iret, honorem ordinis theologici læſiſſet, papiſta & calviniſta eſſet, aut certe indifferentiſta, & religionum commixtor, librique venditio ſevere prohiberetur. De quo legi poteſt G. *Arnold* P. IV. 468. Sed omnes hæ accuſationes in fumum abeunt, ſi quis librum ipſum legerit, & abuſum rei ab eius uſu diſtinxerit: imo cognoſcet, *Bæclerum* Bibliographiæ criticæ p. 818. bene ac recte ſic iudicaſſe: *De reformatione Academiarum Meyfartus ſcripſit librum germanicum multa libertate, qua odium auctori apud multos conciliavit, Sed fatendum eſt, vera dici.* Qui quidem addit: *Licet forte conſultius fuiſſet, latina lingua ſcribi ea, qua homines imperitos facile movere poſſent, ut ſtudia & ſcholas odio proſequerentur.* Sed ſi Academici non verentur peccare coram imperitis & plebe, quin potius magnum illis offendiculum præbent, cur vernaculo idiomate non taxentur, præſertim ab eo, qui probis ac laudabilibus academiis debitum exhibet honorem, & ſtudia, tamquam rem utiliſſimam, etiam atque etiam commendat?

Io. Matth. *Meyfartus*, natus Ienæ in Thuringia, primum Coburgi in Gymnaſio caſimiriano linguarum, philoſophiæ & theologiæ profeſſor, tandemque ipſius Gymnaſii director, deinde, cum doctoris honores impetraſſet, profeſſor theologiæ in vetuſtisſima univerſitate erfurtenſi, ac poſtremo S. Miniſterii ſenior & paſtor in æde Prædicatorum, vir pius, veri amans, moderatus, multis tentationibus exercitus, inter eos, qui eccleſiæ noſtræ tam vitæ innocentia, quam doctrinæ gloria inſigne decus attulerunt, iure meritoque numerandus, multisque ſcriptis, in primis vero Mellificio oratorio, Anti-*Becano*, Diſſertatione de pace inter Euangelicas per Germaniam eccleſias concilianda, Meletematis theologicis, Imagine veri ſtudioſi SS. litterarum, & Solida inſtructione de paſtorum & præceptorum ſcholaſticorum ſalariis celeberrimus, pie placideque ex ingrato mundo migravit A. 1642. ætatis fere 57. poſtquam ante obitum paternis ſummi Numinis oculis manibusque totam patriam, venerabile miniſterium, antiquiſſimam ex academicis ſcholam, civium honeſtiſſimam communionem, omnemque ſtudioſorum coronam toto ſe pectore iam dudum commendaſſe faſſus eſſet. *Witte* Memor theol. 1007. *Micraelius* Syntagm. hiſtor.

hiſtor. eccleſ. 768. & *Spener* Conſil. theolog. latin. P. III. 140. ac Præfat. in Io. Henrici Vindicias dicti Salvatoris noſtri Luc. 18, 8. §. 15.

Palinodia Stengeriana. 1671. In qua 1) traditur hiſtoria controverſiæ ſtengerianæ. 2) apologia fit contra Cenſuras wittebergenſem & ienenſem. 3) diſſeritur de diſcrimine legis Chriſti & Moſis. 4) harmonia indicatur, bella ſcilicet, ipſarum Cenſurarum. Titulus autem libri eſt ironicus, quo cauſſam ſuam, ſi *Speneri* iudicium in Conſil. theol. lat. P. III. 496. admittimus, auctor corrupit, ſeque plane alium, quam de eo ſperabatur, demonſtravit.

Io. Melch. STENGERI Secta cervicodurorum, ſeu de Hartnacciſmo. 1681. In qua auctor ſe purgat contra ea, quæ *Hartnaccius* in Continuatione Syntagmatis Micræliani p. 1077. & ſeqq. adverſus ſe effutiverat. *Ingenue fateor* (ſcribit *Spenerus* Conſilior. theol. latin. P. III. 46) *Hartnaccio, quam Stengero, etiamſi hic ſe reduci, non ita, uti decebat, paſſus ſit, magis me indignari: cum apud illum pleraque malitioſo animo ſuſcepta fere conſtet.*

EIVSDEM Deutliche Furſtellung, Perſpicua oſtenſio, quam improbi contemtores verbi divini & doctrinæ Chriſti ſint illi paſtores & profeſſores, qui fidelem veritatis confeſſorem, Io. Melch. *Stengerum* oderunt, aut etiam condemnant. 1685. In Procemio ſolvit auctor dubia, quæ alii contra ipſius tractatus, ad reſtaurationem chriſtianiſmi editos, moverunt; ipſius autem libri capita agunt 1. de diſcrimine peccatorum: aliud enim eſſe ait peccata voluntaria, aliud humanos lapſus. 2. de vera contritione. 3. de neceſſitate bonorum operum. 4. de officio renatorum. 5. de lege Chriſti. 6. de perſeverantia chriſtiana. 7. de poſſibilitate novæ obedientiæ. 8. de neceſſitate incrementi in ſtudio pietatis. 9. de perfectione renatorum. 10. de gloratione licita. 11. de duplici certitudine: quarum videlicet alia ſit impetratæ iam remiſſionis peccatorum, alia futuræ in bono perſeverantiæ. 12. de diſcrimine pœnitentiæ: aliam enim eſſe piorum, ſive quotidianam, aliam lapſorum, ſive maiorem & ſolemnem. 13. de voluntate Dei iudiciali. 14. de ſera pœnitentia: eam eſſe dubiam

CLXX.

Bewæhrung, Evictio, S. apoſtolum Petrum non veniſſe Romam, nec ibi paſſum eſſe; adeoque Romanum pontificem non poſſe ſe venditare illius ſucceſſorem. Sine expreſſione loci, & anni. Ex typis autem & ratione ſcribendi apparet, opuſculum iſthoc ſtatim in principio reformationis impreſſum eſſe. Et habet II. Partes, quarum prior continet XVIII. argumenta, quibus probatur, S. Petrum nunquam veniſſe Romam; poſterior VII. obiectiones Romanenſium, cum earum ſolutionibus.

Gabriel REEHAANII Kleiner Peter-Calender, Parvum calendarium Petrinum. Wittebergæ 1622. Eſt chronologia peregrinationis Petri & Pauli, ſecundum annos paſſionis Chriſti, & eius temporis Imperatorum romanorum: in qua monſtratur, pontificatum Petri antiochenſem & romanum meram eſſe fabulam.

Io. HIMMELII Calviniſcher Schafspelz, Calviniana pellis ovina Relatoris berolinenſis, qui Confeſſionis auguſtanæ III. editiones germanicas ſimul edidit Francofurti ad Viadrum, atque ita oſtendere voluit, etiam Reformatos adhærere Auguſtanæ confeſſioni, nec niſi verbalem pugnam eſſe de variata & invariata Auguſtana confeſſione. Ienæ 1639. Quatuor hic ventilantur quæſtiones: 1. An inter invariatam & variatam Confeſſionem auguſt. reale ſit diſcrimen? 2. An reale hoc diſcrimen Calvinianos a pace religionis excludat? 3. An quis ſalva conſcientia utrique poſſit adſtipulari Confeſſioni? 4. An Calviniani genuini ſint ſocii Auguſtanæ confeſſionis. Auctor quidem adfirmat duas priores, duas poſteriores autem negat. Et p. 31. agit etiam de differentia inter Electorum confeſſionem, & confeſſionem IV. Civitatum. In Dedicatione loquitur de officio Principis ſeu Magiſtratus erga eccleſiam chriſtianam, dicens, præſtare ei debere commodam habitationem, legitimam defenſionem, ſufficientem alimoniam, & artificioſam inſtitutionem; eundemque ſibi providere pios, chriſtianos & incorruptos conſiliarios atque miniſtros, & iuxta cum iis vivæ religionis praxi operam dare ſedulam atque perpetuam. Neque in Præfatione tegit iram ac zelum ſuum adverſus Calvi-

nianos, ſcribens, eos modo vi uſos eſſe contra Lutheranos, modo fraude: & ad hanc refert præſens negotium de exhibitione trium exemplarium Auguſtanæ confeſſionis.

Io. MVLLER de quæſtione, An quis unquam, laici præſertim in V. T. ad ſalutem pervenerint ſine Chriſti cognitione? Hamburgi 1628. Hæc quæſtio reducitur ad III. capita, quorum primo aſſeritur, neminem unquam æque in veteri, ac novo fœdere, ſine Chriſti cognitione ſalvatum eſſe: ſecundo reſpondetur ad argumenta contraria: & tertio ea proponuntur, quæ chriſtiano ad ſalutem ſcitu de Chriſto ſunt neceſſaria.

EIVSDEM Nothwendige vertheidigung, Neceſſaria defenſio accuratæ relationis de novorum prophetarum, qui ſe vocant illuminatos doctores & Theoſophos, religione, doctrina, & fide. Hamburgi 1636. Oppoſita, Miniſterii lubecenſis & luneburgenſis nomine, Nicolai *Tetingi* Apologiæ. Et conſtat X. capitibus: 1. Tetingum ad nullum principalem ipſorum libri articulum reſpondiſſe. 2. Eundem multa recoxiſſe, quæ iam ante fuerint refutata. 3. de illius erroribus, & quidem in doctrina de incarnatione Chriſti. 4. de regeneratione. 5. de vocatione ad ſacrum miniſterium. 6. de auditu interno. 7. de iudiciis politicis, iuribus iurandis, & iure gerendi bellum. 8. de confeſſione coram miniſtro eccleſiæ, & S. cœna. 9. de contradictionibus Tetingi. 10. de perſonalibus, quæ ille immiſceat. Hiſce ſubiungitur Io. *Gerhardi* Iudicium de uſuris.

Io. Georgii SELDII Bericht, Inſtructio de Ieſu Chriſti regno gratiæ. Hamburgi 1661. Contra Chiliaſtas. Tractatur igitur cap. 1. de nomine, origine & progreſſu Chiliaſtarum. 2. de fundamentis, quibus ſecta hæc refutari poſſit. 3. de quibuſdam inſignibus quæſtionibus, quæ ex chiliaſmo ſequuntur. 4. de confutatione obiectionum Chiliaſtarum. 5. de officio piorum Chriſtianorum erga Chiliaſtas. Quibus additur Appendix de loco Apocalypſeos *Ioannis* cap. 20, 1. ſeqq.

Io. Georg. *Seldius*, philoſ. magiſter, primum ſcholæ primislavienſis conrector, deinde variis in locis paſtor, tandem eccleſiæ havelbergenſis paſtor & inſpector, medio ſec. XVII. & ultra floruit, mor-

mortuus A. 1671. ſuumque hunc tractatum cenſendum obtulit Ordini theologorum vitembergenſium, qui & eum adprobarunt. In Præfatione meminit, plures etiam lucubrationes in parato ſe habere ad imprimendum, videlicet Theoriam nominis *Ieſu*, eiuſque Praxin, Annotationes theoreticas & practicas in Epiſtolam S. apoſtoli *Iudæ Thaddæi* cum caſibus conſcientiæ, Speculum boni & mali patroni eccleſiaſtici, Manuale ſeu Vade mecum, & alia: publicæ autem luci commiſit Concionem de incendio A. 1658. & Cogitationes pœnitentiæ, propter 2. porcellos monſtroſos, A. 1663. natos.

Kommet her, und leſet mit verwunderung, Venite huc & legite obſtupefacti, quomodo Ioſeph, B. Mariæ maritus, a Papiſtis vocetur. 1665. Oppoſitum Io. *Scheffleri* Idolo rationis Lutheranorum. Vocatur autem omnipotens Protector, Tertia perſona Trinitatis creatæ, optimus Auxiliator contra Turcas, unicus pueri Ieſu Angelus tutelaris, Opitulator in omni periculo, S. Trinitatis neceſſarius, Cui omnes angelos ſervire debeant triſagio, Qui partes ſuas habuerit in redemtione mundi, Salvator, qui ſalutem noſtram operatus ſit, Communis conſalvator mundi, Generalis protector ducatus Bavariæ, Qui in omnibus anguſtiis opem poſſit ferre, qui omni tempore, cunctis in locis, in quibusvis caſibus, omnia valeat efficere, omnia, omnia: Cui totus mundus cum omnibus creaturis ſubiectus eſſe debeat, Qui Chriſto imperet, & toti mundo imperare poſſit, Ad cuius mandatum Chriſtus ſol ſubſiſtat, Cui Ieſus obedienter ſerviat, ita ut ipſa etiam Maieſtas divina maiori non colatur ſervitio, quam Ioſeph: Eſſe, quod Ieſus iuret, dicendo: Ita me Deus amet, niſi eſſem Chriſtus, ego vellem Ioſeph eſſe. Præterea vocatur Subſtitutus Deo Patri & Spiritui ſancto, qui Spiritus ſancti, ut ſponſi, vices peregerit apud virginem Mariam, Incarnatus Spiritus ſanctus, eiuſque conſponſus apud B. Virginem, Qui in perſona & nomine Spiritus ſancti concurrerit in magno myſterio incarnationis Verbi: Omnium dominus creaturarum, qui ſit ſupra omnes cœlites, ſupra ipſum cœlum, Qui habeat clavem paradiſi, qui Chriſto portas cœli aperuerit, & ſalutarem eius ſanguinem ſudore commiſcuerit ſuo: Bavariam non potuiſſe meliorem contra Turcas protectorem invenire, quam Ioſephum, atque hunc a tota Bavaria inclinato capite, toto corde,

magnaque fiducia, ut defenſorem omnipotentem, adorandum eſſe. Hæc ſunt excerpta ex P. F. Andreæ *a S. Thereſia*, diſcalceati carmelitæ & ordinarii concionatoris monacenſis, concione, habita & cum adprobatione Superiorum impreſſa Monaci A. 1664. Excerpſit autem ea, preloque commiſit *Studioſus quidam*.

Kommet her, und entſetzet euch noch mehr, Venite huc, magiſque obſtupeſcite, quomodo erga Ioſephum & Sanctos idololatria committatur in papatu, id eſt, Refutatio Defenſionis homiliæ Patris carmelitani Andreæ a S. Thereſia de Ioſepho. 1665. Defenſio illa, ſub titulo *Beſcheids* ſive Declarationis, in lucem emiſſa fuit Neyſſæ anno prædicto. Præſenti autem Refutationi ſubiungitur Specimen & narratio, quomodo apud Pontificios de invocatione Sanctorum & imaginum publice doceatur. Ad quam tamen controverſiam peritia, iudicio & æquitate opus eſt, ne plura dicas, quam probare poſſis.

Ausführlicher beweis, Accurata demonſtratio, quod doctrina de interceſſione, invocatione & adoratione Sanctorum falſa ſit, & idololatrica. Brunſvici 1666. Eſt colloquium trium hominum de concione P. Andreæ *a S. Thereſia*, quæ & ipſa in fine addita: atque auctor Demonſtrationis oſtendere ſtudet, doctrinam de invocatione & adoratione Sanctorum defunctorum eſſe fabulam & ſomnium humanum, de qua neque S. ſcriptura, neque antiqua Eccleſia chriſtiana quidquam ſciat. Ecquis vero auctor, qui Præfatiunculæ litteras haſce A. H. B. S. B. ſubſcribit? Eſt Andr. Henricus BVCHOLZ, ſuperintendens brunſvicenſis.

Andr. Henr. *Bucholz*, Schœninga-brunſvicenſis, philoſoph. magiſter, in ſchola hamelenſi conrector, Gymnaſii lemgovienſis rector, in academia rintelienſi philoſophiæ practicæ & poëſeos profeſſor, nec non ibidem theologiæ extraordinarius, inde coadiutor, tandemque ſuperintendens brunſvicenſis, vir induſtrius, affabilis ac prudens, ideoque amorem ac venerationem cunctorum expertus, concinnavit Ethicam, Notas in *Lucianum*, Poëmata ſacra germanica, Meditationes ſabbaticas, Herculem & Herculiſcum, (quibus tecte hiſtoria proponitur tricennalis belli germanici, & tota traditur philoſophia ac theologia) Tractatum de indulgentiis, & Cauſſam præcipuam, cur prudens chriſtianus euangelicus

cus non fieri velit debeatve romano-catholicus, nimirum quia unicum ſit verbum Dei, Scriptura ſacra, viribuſque exhauſtus deceſſit A. 1671. ætatis 63. *Witte* Diar. biograph. E e e e 2. ac *Rehtmeyer* Hiſt. eccleſ. brunſvic. P. IV. 596. 670.

Io. Conr. ZELLERI Wiederholte bekentnis, Repetita confeſſio veræ euangelicæ eccleſiæ in Ducatu wurtembergenſi de ſabbato hebdomadali in Novo teſtamento. Tubingæ 1672. Aliquot quæſtionibus propoſita, auſpiciiſque ſereniſſimi Ducis edita. Et quæſtiones quidem ſunt ſequentes: 1. An chriſtiana & N. Tti eccleſia etiam habeat ſabbatum, ad cuius ſanctificationem ſit obligata? 2. Quodnam illud ſit? 3. Quomodo ſanctificandum? Vbi & de tolerantia mercatuum vicinorum, & recreatione in diebus dominicis. 4. Quis debeat ſanctificare? 5. Quamdiu ſanctificatio durare debeat? 6. Cur, & quem in finem?

Io. Conr. *Zeller*, Heidenheima-wurtenbergicus, philoſ. magiſter, primum diaconus, deinde paſtor wildbergenſis, porro theol. doctor, abbas bebenhuſanus, conſiliarius eccleſiaſticus, & ſuperintendens eccleſiarum generalis, elaboravit Explicationem ſummariam librorum Moſis, nec non hiſtoricorum, & reliquorum uſque ad Canticum canticorum, item totius N. Tti, Inſtitutiones catecheticas, Commentationem in Auguſtanam confeſſionem, & Exegeſin in Poſtillam Lutheri eccleſiaſticam, oculoſque clauſit A. 1683. cum ætate eſſet ſatis provecta, hoc eſt, octogenarius. *Witte* Diar. biograph. T. II. 129.

Ioannis MVSAEI Ablehnung, Depulſio ſparſæ horrendæ calumniæ, quaſi Ienæ in ſede principali & academia ſaxonica ſit ſecta *Conſcientiariorum*, (der Gewiſſener) eique magno numero addicti tam cives, quam ſtudioſi. Ienæ 1675. Editio altera. Cum accurata narratione de impiis & ſeditioſis A. 1674. ſparſis chartulis, unde calumnia iſta ſuam traxit originem: cumque Defenſione S. ſcripturæ contra blaſphemias in impiis illis chartulis contentas. De Conſcientiariis illis rumor vagabatur, eos reiicere S. cœnam, nilque credere, niſi quod eorum conſcientia ipſis ſuggerat. Chartulæ autem, ſive impia diaboli folia continebant bina colloquia, unum quidem inter hoſpitem & tres peregrinos diver-

Digitized by Google

ſarum religionum Altonaæ, alterum inter D. Henr. *Brummerum* paſtorem bellicum & latinum ſcribam militarem, videturque earum auctor eſſe Matthias *Cnuzen*, Eiderſtedta-holſatus, qui ſomniis deceptus David-Georgianis ad Naturaliſtas ſe converterit, & inde lapſus ſit in atheiſmum. Suntque Conſcientiarii hi Naturaliſtis peiores, quia hos eructarunt articulos: Non eſſe neque Deum, neque diabolum, Magiſtratum nihili æſtimandum, templa contemnenda, ſacerdotes reiiciendos, coniugium a ſcortatione nihil differre, & unicam eſſe vitam, poſt quam nec præmium detur, nec pœna.

Henrici BVNTINGII Deſcriptio monetarum & menſurarum S. ſcripturæ. Helmſtadii 1583. In qua omnes monetæ argenteæ & aureæ, & omnes menſuræ ſiccorum & liquidorum, quibus Ebræi, Græci & Latini uſi ſunt, quarumque in V. & N. Tto mentio fit, explicantur, & cum noſtris monetis ac menſuris conferuntur.

Pauli EGARDI Auslegung, Explicatio admirandi, pretioſi & artificioſi cornu CHRISTIANI V. Daniæ & Norwegiæ e. r. electi Principis. Luneburgi 1642. Quæ abſolvitur IV. capitibus: nam 1. diſquiritur, quando & ubi inventum fuerit? nimirum ab ancilla quadam nomine Chriſtina, quam alii Catharinam vocant, filia Svenonis, A. 1639. 20. Iulii, in Iutlandia, in via, quæ Oſterbya ducit ad oppidum Tundriam. 2. quæ ſit eius materia & forma? Materia eſt aurum obryzum; forma poteſt cognoſci ex figura in lignum inciſa. 3. quid ſignificent variæ illæ figuræ & imagines hominum, draconum & ſerpentum, in cornu expreſſæ. 4. unde nam veniat, & quid ſignificet. Auctor quidem putat, non ab ethnico, ſed a chriſtiano Principe aut Dynaſta illud paratum eſſe, eiusque figuris & imaginibus ſignificari, res præclaras, præcipue in religione, geſtum iri ſub CHRISTIANO V. eiusque Patre glorioſiſſimo. De hoc cornu primus ſcripſit Olaus *Wormius*, quem ſecutus eſt *Egardus*, & hunc exceperunt Enewald. Nicol. *Randulphus*, Thom. *Bartholinus*, Pet. *Winſtrupius* & Trogillius *Arnkiel:* de quibus lege, ſi placet, *Sibbernii* Bibliothecam hiſtoricam Dano-norvegicam c. 12. p. 337.

Paulus

Paulus *Egard*, paſtor nortdorpianus in Holſatia, vir religioſiſſimus, & utiliſſimis ſcriptis, quæ A. 1679. a Spenero edi cœperunt, celebris, vixit A. 1622. Ne tamen nihil de illis dicamus, hoc addam, ab eo nos habere Medullam theologiæ, *Salomonem* eccleſiaſten, Hominem microcoſmum ſecundum naturam & gratiam, Vindicias *Arndianas*, Chriſtianiſmum *Ioannis*, Divinum ſanctuarium in heredibus Ieſu Chriſti, Mundum immundum, Tubam divinæ gratiæ & lucis in *Apoc.* 20. Myſterium regni Dei in homine, Theſaurum ſapientiæ ex epiſtola ad Romanos, Informatorium chriſtianum, & reliqua. *Micralius* Synt. hiſt. eccleſ. 749. *Spenerus* Conſilior. latin. P. II. 128. Atque hic plurimum ſe fatetur delectari eius ſcriptis, virumque l. c. vocat pientiſſimum, ſicut Io. *Mollerus* Introduct. in Hiſtor. cimbr. P. II. 170. incomparabilem ſtudii pietatis, & veræ chriſtianiſmi praxeos *εϱγοδιωκτην*.

Iſraëlita revertens armatus, verus ne, an fictus? ſive, Vera narratio de X. tribubus Iſraëlis, a Salmanaſſare captivi in Aſſyriam abducti, 2. *Reg.* 17. A. 1666. Inquiritur, quorſum venerint? an adhuc ſuperſint, & redituri ſint, Palæſtinam ut recuperent & regnum reſtaurent iſraëliticum? Docetur autem, translatos fuiſſe in Mediam, nec niſi conditionate ipſis promiſſum reditum in patriam, fruſtra vero alium exſpectari Meſſiam.

Claudii Franciſci MENETRERII Grundliche widerlegung, Solida refutatio venditatæ ab Arnoldo *Wion* pro *Malachia*, epiſcopi hibernici, opuſculo, prophetia de romanis Pontificibus, ab A. 1143. uſque ad finem mundi regnaturis, e gallico in germanicum translata a Chriſtiano *Wagnero*. Lipſiæ 1691. Et Menetrerio quidem prophetia videtur eſſe partus alicuius clientis Cardinalis SIMONCELLI, qui in Conclavi A. 1590. ſenior fuit Collegii. Samuel autem *Andreæ* illam Malachiæ vindicare nititur.

Claud. Fran. *Menêtrier*, gallus, Soc. Ieſu, emblematicis, heraldicis, aliiſque ſcriptis clarus, diem ſupremum obiit A. 1705. *Acta eruditorum* paſſim, & *Narrat. innoc.* A. 1705. 502.

Malachias, hibernus, abbas bangorenſis, deinde epiſcopus comerenſis, tandem archiepiſcopus armachanus, S. Bernardi familiaris, cum aliquot annis ſedi illi præfuiſſet, modeſtiæ cauſſa ſponte eam reliquit, & dunenſi inſpectione functus eſt uſque ad finem

finem vitæ, qui incidit in annum Chriſti 1148. cum eſſet in cœnobio claravallenſi, Romam denuo profecturus, & annum ætatis agens 54. poſtque mortem in Sanctorum numerum relatus eſt. *Menêtrier* hic C 4. *Cave* de ſcriptorib. eccleſ. 461. Kœnig 497. *Olearius* Biblioth. ſcriptor. eccleſ. T. I. 457. *Placcius* de pſeudon. 178. *Tableau* de la cour de Rome 476. & *Lexicon univ. hiſtor.* T. III. 423.

Arnoldus *Wion*, duacenſis, natus A. 1554. monachus S. Benedicti de Mantua, ordinis D. Benedicti Nigrorum, Congregationis caſſinenſis, alias S. Iuſtinæ de Padua, ſcripſit Vitam S. Gerhardi, & duos libros, unum de antiquiſſima familia romana *Anicia*, e qua S. Benedictum & Auſtriæ Duces derivare conatur, alterum de claris Benedictinis, atque hos duos libros compegit in unum opus, idque, eo quod ex ſtirpibus conſtaret, & arboribus genealogicis, vocavit Lignum vitæ. *Menêtrier* h. l. C 3. *Kœnig* 871. & *Lexicon univ. hiſtor.* T. IV. 698.

Chriſtianus *Wagner* inter eruditos notus eſt, ut philoſ. magiſter, & paſtor lipſienſis ad S. Ioannis.

CLXXI.

Io. Wilhelmi PETERSENII Nubes teſtium veritatis de regno Chriſti glorioſo. Francofurti ad Mœnum 1696. In Dedicatione ſententiam de regno Chriſti glorioſo ſeu millenario ait ſe didiciſſe ex verbo Dei, & credidiſſe noſtratium relationi, quod Patres primitivæ eccleſiæ ab ea alieni fuerint, ſed cognoſcentem, quam iniuſte ſibimet ea, quæ ne in mentem quidem ſuam unquam venerint, ab adverſariis impoſita ſint, ipſos adiiſſe Patres, eoſque ſtudioſe evolviſſe, & alia omnia inveniſſe. Ipſum autem opus tribus conſtat libris, quorum primo teſtes ex veteri teſtamento uſque ad Chriſtum, ſecundo ex novo, a Chriſto uſque ad Bernardum & Aelredum ſeculo XII. & tertio e temporibus reformationis, a Waldenſibus ad auctoris uſque ætatem, producuntur, & in fine narrat auctor, quid ſibi & uxori ſuæ Iohannæ Eleonoræ, natæ ex nobili familia ab & in Merlau, circa lectionem Apocalypſeos S. Ioannis contigerit, & catalogum promit ſcriptorum, quæ de regno Chriſti glorioſo teſtantia vulgaverit. Minime autem craſſo chiliaſmo addictus eſt auctor, teſte *Spenero* in Conſil. theol. lat. T. III. 730. 740.

EIVS-

Digitized by Google

EIVSDEM Regnum Chriſti defenſum. Francofurti 1698. Contra D. Io. Georg. *Neumannum*, alioſque αντικειμενες, videlicet, Frid. Vlr. *Calixtum*, Geb. Theod. *Meierum*, Io. Bened. *Carpzovium*, Godofred. *Weiſium*, Herm. *Von der Hardt*, & Barthol. *Niemeierum*. In quo ſimul (ut verba rubri habent) demonſtratur, tantum abeſſe, ut doctrina hæc de Regno Chriſti glorioſo, e cœlis venturo, atque in terris erigendo, ſit contra fidei articulos, ut nullus eorum abſque huius cognitione, ſecundum totam extenſionem & latitudinem ſuam, digne intelligi poſſit.

Henningi HVTHMANI Prodromus Novi fœderis, *Ier.* 31, 31. ad conſenſum in articulo de Iuſtificatione Chriſtianis reſtituendum expoſiti. Cum II. libris ipſius Novi fœderis. A. 1696. Quorum primo præmittuntur univerſalia: collectio enim fit plerorumque, quæ ad Novum fœdus pertinent, & demonſtratur, quid rationis in Novo fœdere quidlibet eorum obtineat: ſecundo oſtenditur, quid rationis fides, & quid ſpontanea obedientia in Novo fœdere obtineat. Sed & duos alios ſcribere ſibi propoſuerat, tertium nempe, quo exactiſſima exhiberetur declaratio, & conciliatio: & quartum, quo examinarentur ii, qui in Scripturis notati exſtant, vel a fœdere novo plane aberrantes, vel eidem non convenienter ſe ſe gerentes. Sed hi duo ultimi libri in lucem non prodierunt; dubiumque eſt, an affecti fuerint unquam. Interim ex editis illis conſtat, auctoris ſcopum fuiſſe, probare, quod non minus ſpontanea obedientia, quam fides, ad iuſtificationem ſit neceſſaria.

Henningus *Huthman*, philoſophiæ magiſter, per XV. annos rector ſcholæ ilfeldenſis, abdicato hoc munere ſcripſit ediditque Fœdus novum ad conſenſum in articulo de iuſtificatione hominis coram Deo Chriſtianis reſtituendum, de quo ſupra, nec non Cogitationes grammaticas de L. C. *Sturmii* Demonſtratione mathematica de S. cœna A. 1715. & poſtea Caſſellis Matheſeos ſtudiis atque excercitiis operam navavit. *Leuckfeld* Antiqq. ilfeldenſ. p. 206.

Io. Philippi ODELEMII Diſſertationes II. de diſtinctione legum moſaicarum in Morales, Forenſes, & Ceremoniales. (Helmſtadii) A. 1702. In priore varia continentur paradoxa, ut, Omnes

leges moſaicas eſſe politicas: Legem moralem nunquam in rerum natura fuiſſe: Decalogum non ſolum ſua natura Deo eſſe mutabilem, ſed & quemlibet Principem poſſe eundem reiicere, ſi ſalvum hoc modo eius imperium eſſe poſſit: Legum cærimonialium non eſſe ſignificationem typicam & umbratilem. Poſteriore autem illa corriguntur, immo auctor ea ex aliorum mente ſe attuliſſe declarat. Hinc quum unum illorum de Principe *Narrat. innoc.* A. 1717. p 342. perſtringeretur, *auctor* ad illud reſpondit in Annotat. ad Kochii Indifferentiſtam p. 114.

Io. Phil. *Odelem*, brunſvicenſis, natus A. 1678. philoſ. & utriuſque Iuris doctor, & antehac Eccleſ. collegiatæ magdeburg. S. Nicolai canonicus, regiique Regiminis advocatus ordinarius, iam vero in urbe patria advocatus percelebris, olim *theologorum* huius & ſalanæ academiæ, deinde, mutato ſtudiorum genere, *Thomaſii*, *Stryckii* iunioris, ceterorumque *ICtorum halenſium* diſcipulus, liberioris vir ingenii, quam ut traditionum iugo collum facile ſubmittat, non tamen pertinax, ſi meliora doceatur, edidit, ut potiora commemoremus, diſputationes de Re monetali Ebræorum, de Diaconiſſis primitivæ eccleſiæ, de Lingua hebræa, (primum enim ſacris addictus erat ſtudiis) & inauguralem A. 1704. de Reliquiis ſacramenti in matrimonialibus; item Vindicias Tractatus wolfenb. de quæſtione, An, qui a lutherana ad romano-catholicam tranſit religionem, propterea ſalutem amittat? contra D. Val. Ern. *Læſcheri* Iudicia ſecreta adverſus Papatum, 1706. Reſponſionem ad *Tolandum* de Aula regia berolinenſi, & elect. hanov. 1706. Tractatum iuridicum de ſucceſſione coniugum brunſvicenſium ſtatutaria, 1707. Expoſitionem panegyricam numiſmatis argentei in memoriam ducalis palatii Salzthalenſis, A. 1708. Iudicium de hac quæſtione, An Princeps lutheranus, impetrandi muneris eccleſiaſtici gratia, ſine læſione conſcientiæ ſuæ & ſalutis, religionem ſuam cum romano-catholica permutare queat? 1710. & Catecheticam defenſionem huius Iudicii, 1712. contra Michaëlem *Trenge*, A. 1712. Iudicium de Io. *Rempenii* argumentis in actibus publicis academiæ Iuliæ propoſitis, 1711. Epiſtolam ad I. F. contra novelliſtam londinenſem, 1709. Alteram ad eundem de utendo contra ſycophantam iure retorſionis, A. 1711. Tertiam ad eundem contra theologos tub, 1712. Epiſtolam ad Chriſt. Rittmeierum de

de Statuum Imperii iure reformandi, & quaſvis religiones A. 1624. in ſuis territoriis non uſitatas recipiendi, 1709. Diſſertationem de Reliquiis conſiſtoriorum Proteſtantium romano-catholicis, 1704. & 1713. Reſponſionem ad D. Chr. Frid. *Plathnerum* de pacto inter coniuges, quo maritus ſuo imperio in uxorem renunciat, an ſit validum? A. 1714. Iudicium de Doctorum *Sonntagii* & *Stolzii* reiecta Neutralitate religionis theologica & politica, 1715. Apologiam pro diſputatione inaugurali de Reliquiis ſacramenti in matrimonialibus, contra D. Val. Ern. *Læſcherum*, & D. Mich. Henr. *Gribnerum*, A. 1716. Reſponſio ad Zephyrinum de Pace adverſus D. *Læſcheri* Cenſuram Cogitationum palæo-chriſtianarum, 1718. Sub Chriſtiani *Anonymi* nomine, Annotationes ad IV. controverſiam de lectione Scripturæ ſacræ, in D. *Læſcheri* Refutato Dema, A. 1716. Annotationes ad I. C. *Kochii* Refutatum indifferentiſtam, & D. *Læſcheri* Narrationes innocuas, A. 1719. Præfationem in D. *Peterſenii* Piam Chloën corinth. 1719. & Vlteriorem reſponſionem ad D. Io. Gottlob *Stolzii* Reiectam neutralitatem religionis.

CLXXII.

Chriſtiani DEMOCRITI Eroeffneter weg zum frieden mit Gott und allen creaturen, Aperta via ad pacem cum Deo & omnibus creaturis, ſive omnia eius opera theologica. Amſtelodami 1709. Auctoris enim, ut in Præfatione dicitur, intentio hæc erat, confuſos in Babele animos a ſectaria lue, & furore zeli intempeſtivi liberare, e contrario autem immotam in communione fidei cum Chriſto ſalutem iiſdem vel maxime commendare. Atque, ut cetera prædictæ Præfationis perſequamur, adverſariorum impetu expreſſa in meliorem flecti partem rogat: quædam etiam mutari iam potuiſſe fatetur, quæ in hac vel illa ſententia per accidens irrepſerunt, aut quæ zelus adverſus *ἀταξίας* regni antichriſtiani ipſi ſuggeſſit, omnes ſcilicet congregationes externas deſerendas eſſe; ſed conſultius viſum fuiſſe, omnia ita relinquere, uti antea ſcripta erant, lucique expoſita. Sunt autem horum operum partes XX. 1) Orcodoxia orthodoxorum, ſive vera mendacia, & mendax veritas imprudentium zelotarum (cogor loqui cum auctore) in ſecta lutherana. Contra *Lænizeri*, paſtoris weitershuſani, Defenſionem, & ſimul Detectionem hodiernæ novæ

Digitized by Google

formæ docendi pietiſticæ. Fatetur autem in Vitæ ſuæ curriculo p. 337. ſe in hoc libello, quamvis non nulla liberius ſcripſerit, contra conſcientiæ ſuæ convictionem adhæſiſſe traditionibus Seniorum, ne forte promotioni ſuæ in patria futuræ remoram iniiceret. *Narrat. innoc.* A. 1712. 929. 2) Papiſmus Proteſtantium vapulans, ſive caſtigatus papiſmus in cæcis defenſoribus egenarum traditionum humanarum in eccleſia Proteſtantium. Cum librum hunc ſcriberet ac publicaret, ſpes erat, ipſum ad tertiam profeſſionem theologicam in academia giſſena vocatum iri: at ille nihilo minus libertatem muneri & honoribus anteferre maluit; prout ipſe refert p. 338. Vide etiam *Narrat. innoc.* A. 1701. 64. & Ioach. *Langii* Ingenuas narrationes T. I. 11. 3) Vinum & oleum in vulnera caſtigati papiſmi Proteſtantium, ſive declaratio, confirmatio & defenſio præcedentis libri: in qua ſpeciatim D. *Schvvarzenauii* marpurgenſis Apologia, & *Lenizeri* Defenſio examinantur. Annectitur Babelis Epicedium p. 313. & Curriculum vitæ auctoris p. 315. Vide etiam *Narrat. innoc.* A. 1701. 306. 4) Principium, medium & finis orthodoxiæ & heterodoxiæ, ſive Narratio, quibus ex cauſſis intricatæ controverſiæ religionis ortæ ſint, quibus mediis propagatæ, & quo tandem modo dirui queant. *Narrat. innoc.* A. 1712. 931. 5) Axioma Adami veteris perperam theologizantis, detectum in hypomnemate D. Phil. Lud. *Hannekenii*, prof. wittebergenſis, de gradibus ſanctitatis viatoris chriſtiani. Sunt Theſes XVI. in quibus præcipue docetur, Chriſtum æque mediatorem eſſe ratione officii prophetici & regii, atque ſacerdotalis: fidem ſalvificam non tantum dicere relationem ad Chriſtum mediatorem, qua eſt ſacerdos, ſed etiam, qua propheta eſt, & rex; eamque denotare talem cordis aſſenſum & plerophoriam, quæ nixa verbo veritatis, Chriſto reſtauratori, abdicata voluntate propria, & captivata ſub obedientiam fidei ratione, ſe tradit, & ex eius plenitudine omnem ſalutem exſpectat: fidem hanc ſalvificam admittere gradus, & pro ratione graduum fidei variare quoque gradus ſanctitatis in fideli; interim quemvis fidelem anniti debere, ut mortificatione & depoſitione hominis veteris in dies proficiat in ſanctitate, & perfectior reddatur. 6) Coram Veritatis tribunali accuſatus, auditus, & condemnatus confeſſionarius. Proponitur hæc res ſub forma dialogi, & auditio confeſſionis peccatorum,

rum, facta a miniſtro eccleſiæ, inutilis, minimeque neceſſaria declaratur. 7) Chriſtiani *Democriti* Confeſſio fidei. Qua omnia eius dogmata uno quaſi faſce comprehenduntur: nimirum de S. ſcriptura & verbo Dei, eſſentia divina eiuſque triplici manifeſtatione, officio mediatorio I. Chriſti, fide ſalvifica in Chriſtum redemtorem, iuſtitia fidei, electione in Chriſto, gradibus, incremento & conſummatione novæ in Chriſto creaturæ, baptiſmo, S. cœna, confeſſione peccatorum & abſolutione, officio Spiritus novo in fœdere, Magiſtratu ſæculari, ſtatu œconomico & laboribus, ac vera chriſtiana religione. 8) Civitas Chriſti in terris ſine uſitato ſtatu eccleſiaſtico, politico & œconomico. Prætendit nimirum, hos ordines ſive ſtatus ex regno naturæ ortos, & ira Dei, inter homines babelicos, qui Chriſti nomen gerunt, ſtabilitos eſſe: cum examine in hiſce ordinibus fundati, contaminati & irrationalis cultus per preces, deprecationes & gratiarum actiones. Additur appendix, in qua iudicium fertur de D. *Speneri* libello, inſcripto: Querelarum de corruptio chriſtianiſmo abuſus, & rectus uſus. 9) Detecta falſa menſura Examinis *Neuſſiani*. Qua auctor ſe purgat contra quorundam calumniatorum accuſationes, doctrinamque repetit euangelii. 10) Delineatio theologiæ academicæ, contra D. Io. Erneſt. *Gerhardi* Programma, publice affixum Gieſſæ A. 1703. quo ſtudioſos invitat ad collegium diſputatorium. Egeſtati externi hominis in vita civili & œconomica opem ait ferre Medicinam ſive Phyſicam, cum Aſtrologia & Pyrotechnia ſive Chemia, tanquam ſociabus ſuis: deinde Matheſin cum omnibus ſuis diſciplinis, ut Arithmetica, Geometria, Vranometria ſive Aſtronomia, Architectonica, Optica, Statica & ſimilibus; quibus addi poſſint Ars muſica, Poëſis, Geographia & Hiſtoria; omnia tamen hæc mortem, venenum & tenebras eſſe ſine regimine divinæ ſapientiæ. Veram autem theologiam in eo ait occupatam eſſe, ut homo interior, ſive ſpiritus, liber redeat ad amiſſam imaginem divinam, & locum ſuum poſt brevem hanc vitam reperiat in terra viventium. 11) Illuminata delineatio theologiæ academicæ, ſive Replica ad eiuſdem *Gerhardi* Reſponſionem, ſeu, ut vocat, Brevem confutationem. 12) Verus baptiſmus Chriſtianorum. Eſt hiſtorica recapitulatio omnium S. ſcripturæ N. T. dictorum, in quibus mentio fit baptiſmi aquæ. Ceterum negat,

ſacramenta eſſe ſigilla gratiæ aut verbum viſibile, in iiſque darir egenerat. remiſſ. peccatorum, confortationem fidei, ſalutem ac beatitudinem. Pag. 601. Appendix exhibetur, qua auctor ad *Cronii*, paſtoris treburienſis, Clavem ligantem reſpondet, eamque, cum non ſoleamus clave aliqua ligare & obſerare, irridet, & Græcos prius, quam Latinos, ritum confitendi & abſolvendi habuiſſe negat. 13) Hodegeta ad amiſſam lucem & perfectionem, cum Præfatione, in qua Io. *Merckeri* duo tractatus, videlicet Chriſtiana inſtructio 1. de libertate docendi, & ſenſu clavis ligantis ac ſolventis, 2. de communione ſanctorum, ſummarie repetuntur. Ipſe autem Hodegeta II. conſtat Partibus, quarum priore, quæ reſpicit theologiam, agitur 1. de differentia veteris & novi fœderis, ſecundum internam œconomiam, in opere regenerationis. 2. de eorundem differentia, ſecundum externam œconomiam, in ſeparatione ſanctæ eccleſiæ. 3. de falſo iudaiſmo & gentiliſmo, atque irrepente apoſtaſia a Chriſto & iuſtitia regni eius; deque hæretico, quis ſit, & quo modo ſecundum Scripturam cognoſcendus. 4. de doctrina hæretica, e IV. ſcaturiginibus profluente, quippe quæ ſint (a) gratiæ divinæ detorſio ad impietatem. (b) iugum legis. (c) fraus rationis, Chriſtum in regno gratiæ poſſe in interiori homine opus ſuum peragere, & novam promovere creaturam, etiamſi externus homo in regnante ſua vita ſe ſe in omnibus conformet filiis huius ſæculi. (d) converſio Chriſti in miniſtrum peccati. 5. de exemplis impurorum ſpirituum ex quarta modo dicta ſpecie: poſteriore, quæ reſpicit externam, 1. de origine corporum naturalium. 2. de origine lapſus & maledictionis in naturalibus corporibus, deque magia prava. 3. de origine benedictionis, & correctione, erga maledictionem in exteriore natura, ſive de bona magia, in natura, & ſupra naturam. 4. de morbo naturalium creaturarum, earumque medico, & medicina in genere. 5. de œconomia ſpiritus naturæ in corpore viſibili, ad eius ſuſtentationem, incrementum, & propagationem, deque termino vitæ humanæ. 6. de duobus in medico requiſitis, videlicet medicaminis inventione ac præparatione. 7. de igne, aqua, terra, aëre; & quid ſub nomine Lucis & Perfectionis ſit in natura intelligendum. Quid ergo? Lux, inquit, & perfectio externæ naturæ eſt extracta pura lucis & ignis ſpecies, ſi ad perfectam ſuam durationem

tionem in igne ſublimata & evecta eſt. Ceterum ſicut in Præfatione ſecundæ Partis, Fata ſua chemica communicat auctor, ita in fine tractatus duplicem exhibet Appendicem, unam de choreis & artificioſis ſaltationibus, eas ſtatui ab amico, (puta Io. Chriſtoph. *Langio*, prof. gieſſenſi) & recte quidem, non tantum ſpiritui Ieſu Chriſti & regulis chriſtianiſmi, ſed etiam rationali honeſtati & ſanæ moralitati e diametro adverſari; alteram de ſubſtituto D. *Gerhardi*, profeſſoris gieſſenſis, magiſtrum ſuum defendere, atque oſtendere curante, eum non uſum eſſe ſophiſtica, ſed recte ſtatum controverſiæ formaſſe: quem confutat *Lutheri* iudiciis de academiis. Ad extremum notandum, Hodegetæ huic Io. Guſtavum *Reinbeckium* A. 1719. oppoſuiſſe tractatum de Redemtione per lytron. 14) Vnus paſtor & unus grex, ſive infallibilis via, omnes ſectas & religiones ad unicam veram eccleſiam & religionem reducendi, & ſine ullo ſyncretiſmo conſtanter coniungendi. Ecquænam illa via? Vno verbo, pax cum Deo in pura conſcientia, & uſus caritatis erga proximum. 15) Tres epiſtolæ ad Conradum *Bruskium*, concionatorem aulicum offenbacenſem, adverſarium ſuum, qui ſub nomine Heracliti *Philadelphi* latitare ſe poſſe credidit. 16) Examen & adnotationes ad *Bruskii* Epiſtolam de veteri & bona, item de nova & mala religione. 17) Clypeus veritatis, quo tractatus de uno paſtore & uno grege, contra D. Alb. Ioach. *von Krakevitz* defenditur. Cui tamen hic repoſuit Recenſionem (einen Vortrag) præcipuorum articulorum fidei lutheranæ. Vide *Novam biblioth.* T. V. 42. & *Narrat. innoc.* A. 1712. 901. 18) Cogitationes, ſuper alicuius theologi ſuecici (Io. Frid. *Mayeri*) Brevi relatione de Pietiſtis. Cum Relatione ipſa. Cogitationes haſce M. Iuſtus Weſſel. *Rumpaus* excepit Reſponſione. 19) Fatum fatuum, i. e. ſtulta neceſſitas, ſive evidens Demonſtratio, omnes, qui in theologia & doctrina morali libertatem voluntatis creaturæ rationali denegant, per manifeſtas conſequentias obſtrictos eſſe ad evertendam in eſſentia divina libertatem, aut ad confirmandum *Spinoſæ* atheiſmum: ſimul etiam revelantur myſteria philoſophiæ *Carteſianæ*, atque oſtenditur, quam putide vanitates hæ atque præſtigiæ ſe ſe ipſas evertant, & quantum damni publicæ inde rei accedat.

Chriſtia-

Chriſtianus *Democritus*, ſive, ut ipſe indicat p. 1231. Io. Conradus *Dippel*, natus Franckenſteinii in Haſſia A. 1673. ſtudiis tam medicinæ quam theologiæ deditus, olim unus ex aſperrimis antipietiſtis, deinde vero lectione libri *Speneriani* de iuſtitia fidei, & informatione Godofredi *Arnoldi* mitior redditus, ita ut nec ſic dictorum Pietiſtarum, nec Orthodoxorum omnia probaret, ſed eorum dogmata ad examen revocaret, & liberius vel licentioſius contra receptas ſententias ſcriberet, multos ſibi adverſarios excitavit, quorum non nulli ſuperius ſunt indicati; ſed illis addi debent D. Val. Ern. *Laſcher* cum ſuis ſociis in Narrationibus innocuis, D. Chriſt. Gottlieb *Koch* paſtor apenrodenſis, Io. Guſtavus *Reinbeck*, Sam. *Schroeer*, D. Io. *Fecht*, Io. Andr. *Gœbel*, Criſpinus *Welſe*, Fran. Alb. *Aepinus*, plureſque alii. Ipſe præterea edidit, ut homo transſcendentalis, quum honores in philoſophia peteret, Diſputationem de nihilo, & aliam de converſione relapſorum; ſcripſitque etiam Hodiernum corruptum chriſtianiſmum, & Vitæ animalis morbum ac medicinam, &, poſtquam conſecutus erat honores magiſteriales, Diſputationem de creatis ſpiritibus, quod ſecundum eſſentiam ſuam certo reſpectu ſint materiales, eiuſque ipſe volebat eſſe moderator; ſed Philoſophi argentoratenſes petenti repulſam dederunt, atque ita manſit inedita. Felici ac præcoci gaudebat ingenio, atque ideo a condiſcipulis ſcholaſticis dicebatur habere ſpiritum familiarem. In academiis aliquandiu diſſolute vixit, ut hoc ſcilicet egregio documento comprobaret, ſe non eſſe pietiſtam: tandem vero in ſe deſcendit, & leges chriſtianiſmi ad animum revocavit. Et quoniam ſcriptis ſuis theologicis multos offenderat, idemque prope erat, ut Berolini capiendus eſſet, e Germania celeri pede aufugit in Hollandiam, Leidæ honores doctoris medici conſecutus eſt, & Amſtelodami, impetrato iure civitatis, medicinam & chemiam exercuit. Sed reverſus in Germaniam, & gratia, qua apud ſacratiſſimum Regem florebat, præcipue cum ad conſiliarii dignitatem evectus eſſet, confiſus, Altonaæ prope Hamburgum in Scyllam incidit: cum enim neſcio quid contra illuſtriſſim. aliquem Miniſtrum ſcripſiſſet, hic autem iniuriam ſibi vindicandam putaret, atque iuſtitiam imploraret, commiſſarii prædicto in loco conſtituti, iuſſique ſunt rem cognoſcere & iudicare. Facta igitur cauſſæ cognitione, reus iuſſus eſt dignita-

gnitatem conſiliarii deponere, cum lictore in forum deſcendere, & famoſorum cremationem ſcriptorum, a carnifice faciendam, ſuis intueri oculis. Inde reductus ad tribunal, traditus eſt Centurioni cuidam, qui eum vinculis conſtrictum ſub militum cuſtodia Havniam duceret; poſtquam illuc adpulerat, Bornholmiam translatus fuit, & perpetuo carceri mancipatus. Atque hæc contigerunt A. 1719. ſub finem menſis Septembris. Vide *Narrat. innoc.* huiuſdem anni p. 879. Novum hic habemus exemplum litterati infelicis, & ingenii ſui dotibus, communi iudicio, abutentis. Ipſe autem ſibi hoc quaſi fatum prædixit Operum ſuorum p. 580. ubi ſatis animoſe quemvis, quantuſcunque ſit, qui manum ſibi vellet immittere, provocat, uſque dum veniat hora, atque a Deo permiſſa poteſtas tenebrarum. An vero in præſente ſtatu, ſicut ibidem ſibi promittit, hora libertatis atque ſolatii ipſi oritura ſit, dies docebit. Quod ad aliorum de eo iudicia attinet, *Spenerus* P. III. Conſilior. latinor. p. 780. ſcribit, eum inter zelotas antipietiſticos eminuiſſe, poſtea vero animum ita mutaſſe, ut ab uno extremo ad aliud tranſiliret, media, quæ ſola optima, via neglecta. Ioach. *Lange* P. I. Cenſuræ Narrationum innoc. (Aufricht. Nachricht) p. 11. non quidem in ſe vult Democriti ſuſcipere defenſionem, in multis tamen ei falſa & aliena tribui obſervat. Et Burcard. Gotth. *Struvius* Introduct. in notit. rei literar. p. 461. inter Myſticos ait reperiri, qui ſpiritu naturæ ducti ad devia quævis dilabantur, quos ſi non alia, certe ſcribendi ratio tam acerba prodat. Ex hac etiam diiudicat Dippelium, in cuius ſcriptis ebulliens naturæ ſpiritus ſatis adverti atque obſervari poſſit. Hoc unum addimus de Dippelio, eum p. 179. promittere Syſtema acroamaticum contra Orthodoxos. Sed illud, quantum conſtat, lucem non vidit, & manebit forte tenebris ſepultum. *Democritum* autem ille ſe vocavit, non reſpectu perpetuo ridentis Democriti, ſed derivationis nominis, & alterius philoſophi, qui oculos ſibi eruit, ut eo commodius veritatem in rebus divinis cognoſcere, & conſiderare poſſet.

CLXXIII.

Theophili ALETHEI Polygamia triumphatrix, ſive Diſcurſus politicus, cum notis Athanaſii *Vincentii*. Londini Scano-

rum (ſeu potius Amſtelodami. *Placcius* de pſeudon. 88.) 1682. Librum hunc debeo liberalitati illuſtris viri, Georg. Chriſtoph. Ferdin. *a Reſcuviz*, hereditarii in Mogelhof. Athanaſium autem *Vincentium* non eſſe alium, (quamquam ita ſimulet in Præfatione) ſed ipſum Theophilum *Aletheum*, hoc eſt, Ioannem *Lyſerum*, indicat *Placcius* l. c. Atque eius ἔργον hoc eſt, ut polygamiam, ſive libertatem plures ſimul habendi uxores, tanquam rem maxime naturalem, divinam atque catholicam commendet, immo viam vitæ prædicet, quam qui probent, vere ſint illuminati. Atque ut eam facilius perſuadere poſſit, in Præfatione id agit, ut libertatem, tanquam maximum inter humana bonum, multis laudibus efferat, eamque potiſſimum in polygamia ait conſiſtere, nullum autem peius ac deteſtabilius ſervitutis genus eſſe, quam ſervitutem domeſticam, quæ cum coniugio unius uxoris perpetuo coniuncta ſit. Idem poſtea edidit Das kœnigliche Marck aller lænder, i. e. Regiam medullam omnium terrarum: in qua idem agit negotium, & polygamiam, quam poteſt maxime, commendat. Polygamiæ autem huic triumphatici Ioannes *Brunſmannus* oppoſuit Monogamiam victricem, Francofurti 1679. 8.

Theophilus *Aletheus*, ſive Ioannes *Lyſerus*, libro ſuo lucratus hoc eſt præmium, ut non tantum liber publico edicto in Dania ſub CHRISTIANO V. prohiberetur, ſed ipſe etiam paſtoris caſtrenſis munere privaretur, atque e terris danicis omnibus proſcriberetur. Seceſſit igitur in Hollandiam, atque Amſtelodami poſtea non dulces libertatis fructus guſtavit, ſed miſere vixit, miſeriusque obiit. Vide *Struvium* Introduct. in notit. rei literar. p. 459.

CLXXIV.

Campegii VITRINGA Ἀνακρισις Apocalypſios Iohannis apoſtoli. Franequeræ 1705. Qua in veras interpretandæ eius hypotheſes diligenter inquiritur, & ex iiſdem interpretatio facta certis hiſtoriarum monumentis confirmatur atque illuſtratur. Ad inveniendas autem iuſtas hypotheſes, ſicut ex *Præfatione* diſcimus, triplici utitur principio, Ratione videlicet, Characteribus expreſſioribus, & Collatione tum affinium V. Tti prophetiarum, ad quas hoc in libro alluditur, tum variarum ipſius prophetiæ partium parallelarum. Præſentem autem prophetiam non ad proxima,

Digitized by Google

xima, ſed remotiora tempora refert, ita tamen, ut beſtiam geminam, capite XIII. depictam, credat typum eſſe Imperii romani, non papalis, ſed, ex mente etiam *Boſſueti*, gentilis; idemque de millenario Sanctorum & Martyrum regno cap. XX. deque ſponſa Chriſti, nova Hieroſolyma, cap. XXI. XXII. ſentit. *Acta erudit.* A. 1706. 27. & *Clericus* Biblioth. choiſie T. VI. 334.

Campegius *Vitringa*, friſius, *Coccii*, quem tamen non in omnibus ſequitur, diſcipulus, S. theologiæ & Hiſtor. in academia franequerana profeſſor, in linguis orientalibus, & ſcriptis Rabbinorum verſatiſſimus, auditus defectum aſſiduo compenſans labore ac ſtudio, noctu quippe diuque libris ſive legendis, ſive ſcribendis deditus, (unde eſt, quod ab eo habeamus Obſervationum ſacrarum libros VI. Archiſynagogum, & libros III. de Synagoga veteri) laudem habet non tantum viri excellenter eruditi, verum etiam valde mitis ac moderati, tam in refellendis aliorum ſententiis, quam in ſuis defendendis: idque diſputationibus cum *Rhenferdio* de X. otioſis, *Roëllio* de generatione Filii Dei, & Ioan. Henr. *Coccio* de templo Ezechielis demonſtratum dedit. *Benthem.* de Statu eccleſ. & ſchol. holland. P. II. 307. Cui adde *Clericum* in Exod. 21, 8. & I. C. *Wolfium* de Karæis, 108. quorum ille auctorem noſtrum vocat virum diligentem & eruditum; hic antiquitatis hebraicæ callentiſſimum.

CLXXV.

R. Moſis MAIMONIDIS Tractatus duo, 1. de doctrina legis, ſive educatione puerorum. 2. de natura & ratione pœnitentiæ apud Hebræos: ex verſione, cumque notis Roberti *Claveringii.* Oxonii 1705. Præmittitur Diſſertatio de Maimonide, eiuſque operibus. Auctor quidem credebat, ſe primum eſſe, qui utrumque tractatum latinitate donaſſet; poſtea vero intellexit, poſteriorem cum ab anonymo quodam, tum a Io. *Hilperto* traductum exſtare. Interim ille non pœnitendam præſtitit operam, quia amborum illorum labor non tam lætum ſucceſſum habuit, ut claveringiano præferri mereretur. Et ſicut in Animadverſionibus rationes interpretandi oſtendit & vindicat, voces Maimonidis difficiliores explanat, & obſcuriores loquendi formulas illuſtrat, argumentorumque, ſi quæ futilia ſunt, levitatem demonſtrat; ita in Diſſertatione præliminari, quæcunque de perſona

Maimonidis, eiuſque operibus, tam deperditis, promiſſis, ſuppoſititiis, quam exſtantibus dici poſſunt, docte & accurate exponit. Vide Tomum IV. *Supplementorum* Actorum erudit. p. 234.

Robertus *Clavering*, Artium magiſter, & Collegii univerſitatis oxonienſis ſocius, in ſæculi XVIII. initio clarus, ſatis hoc opere oſtendit, quantos in litteratura rabbinica fecerit progreſſus.

Campegii VITRINGA Obſervationum ſacrarum libri VI. Franequeræ 1700-1708. Volumina duo. Primus nunc tertio, ſecundus & tertius iterum prodeunt, novis curis recenſiti, cum quibuſdam acceſſionibus. Datur etiam editio anni 1712. In iis autem de rebus varii argumenti, & utiliſſimæ inveſtigationis, critice ac theologice diſſeritur; ſacrorum in primis librorum loca obſcuriora nova vel clariore luce perfunduntur. Vide *Acta erudit.* A. 1684. 514. A. 1689. 588. 609. A. 1701. 79. A. 1706. 264. *Narrat. innoc.* A. 1712. 39. & *Iournal des Sçavans* A. 1714. 40.

Gottfridi OLEARII Obſervationes ſacræ ad euangelium *Matthæi*. Lipſiæ 1713. Cœptæ ab auctore, cum eſſet profeſſor græcæ linguæ, & continuatæ ab eodem, cum ei etiam theologiæ docendæ munus collatum eſſet. Neque vero ſolius Matthæi effata hic exponuntur, ſed & reliquorum Euangeliſtarum loca, atque Epiſtolarum etiam non pauca ex inſtituto videmus tangi: tum vero Moſis præterea, ac Prophetarum difficiliora, eadem, hoc eſt, exquiſita arte excutiuntur. Vide *Acta erudit.* A. 1713. 325. & *Clerici* Bibliotheque ancienne & moderne Tomo II. 318. In Præfatione ſtudium & ſcrutinium ſcripturarum commendat, philologiæ utilitatem ſtudioſis theologiæ commonſtrat, & contra eos diſputat, qui divinitatem ſcripturis detrahunt.

Gottfridus *Olearius*, Ioannis, theologi lipſienſis filius, natus Lipſiæ, & in patria academia, poſt reditum ex Belgio & Anglia, primum græcæ & latinæ linguæ, deinde theologiæ doctor & profeſſor, & Conſiſtorii lipſienſis adſeſſor, præclara ſummæ eruditionis ſpecimina edidit, publicatis Demonſtratione vernacula, *Ieſum eſſe Chriſtum ſeu Meſſiam*, Verſione latina Hiſtoriæ philoſophicæ Thomæ *Stanleii*, *Philoſtratorum* operibus, & Diſſertationibus aliquot academicis, pluraque edere potuiſſet, niſi ille in vultu vigor, ille

ille totius corporis habitus, qui valetudinem firmam, longamque & vegetam ſenectutem polliceri videbatur, a morbo latente hectico, tanquam a verme, arroſus & corroſus morti dediſſet locum, eaque inſecuta eſſet A. 1715. cum excellens vir annos ætatis numeraret 43. *Acta erudit.* A. 1716. 235. & Auctor *Muſei novi* T. II. 78. Laudes eius paſſim exſtant: nobis autem ſufficiant nobiles duo teſtes, Io. Alb. *Fabricius*, & Lamb. *Bos*, quorum ille Volum. VI. Biblioth. gr. p. 621. eum vocat præſtantiſſimum virum, cui integra relicta ſit palma interpretationis *Geneſis*; hic Exercitat. philologicar. p. 120. Notas eius in Philoſtratos eruditas.

CLXXVI.

Salomonis DEYLINGII Obſervationes ſacræ. Lipſiæ 1708. 1711. 1715. Earum ſunt Partes III. in quibus multa Scripturæ veteris ac novi teſtamenti dubia vexata ſolvuntur, loca difficiliora ex antiquitate, & variæ doctrinæ apparatu illuſtrantur, atque ab audaci (ſic habet titulus) recentiorum Criticorum depravatione ſolide vindicantur. Recentiores illi Critici ſunt *Grotius*, Rich. *Simon*, *Huetius*, *Lightfoot*, Balth. *Bekker*, Iac. *Baſnagius*, Io. *Harduinus*, Th. *Burnetius*, *Clericus*, *Von der Hardt*, pluresque alii. Primæ Parti appendicis loco acceſſit Oratio de ingenio Iſraëlitarum ægyptiacorum, contra Atheos ac nonnullos in Anglia Theoriſtas; Tertiæ autem adiiciuntur III. Diſſertationes in academia vitembergenſi, ubi & huius operis prima iacta ſunt fundamenta, olim conſcriptæ, nimirum de fletu ſuper Thammuz, ad *Ezech.* 8, 14. de aſcetis veterum, & de voce δικαιοῦν. Obſervationum hoc volumen recenſetur & laudatur in *Actis erudit.* A. 1709. 55. A. 1711. 405. & A. 1715. 430. *Nova bibliotheca* T. V. 344. atque in *Narrationib. innoc.* A. 1709. p. 257. A. 1711. 735. & A. 1715. 1037.

Salomon *Deyling*, Weida-variſcus, A. 1677. in lucem editus, philoſ. & theol. D. in omnibus ſcriptis ſuis, inter quæ etiam eſt *Ireneus* euangelicæ veritatis teſtis, elegantem & variam manifeſtat eruditionem, non neglecturus, uti credimus, propoſitum ac promiſſum ſuum de concinnanda atque edenda Chriſtologia moſaica & prophetica, qua typi & oracula Prophetarum, quæ de Chriſto agunt, enucleentur, & contra quoſvis diſſentientes orthodoxe, pro more ſuo, vindicentur. Ex archidiacono eccleſiæ plavienſis

factus eſt ſuperintendens pegavienſis, & poſtea vocatus Islebiam, ut ibi eſſet generalis ſuperintendens & Conſiſtorii præſes. Sed Lipſienſes eum iam ſibi vindicant, ut ſplendidum apud ſe munus obeat paſtoris, ſuperintendentis & conſiſtorialis. Quæ promotio & Eccleſiæ & Reip. litterariæ ſine dubio utilis erit & proficua, ſicut auctori eiuſque meritis decus adfert atque ornamentum.

CLXXVII.

THEOLOGORVM ET PASTORVM IN PALATINATV AD RHENVM Admonitio de libro Concordiæ nuper edito. E latino in germanicum translata & aliquibus in locis aucta. Neuſtadii ad Hardtam, ſive Neapoli Nemetum 1581. Illorum autem nomine librum hunc ſcripſit Zach. VRSINVS, teſte *Placcio* de pſeudon. p. 459. In quo tractatur de perſona Chriſti, S. cœna, falſis accuſationibus, quibus Reformati in libro Concordiæ graventur, de auctoritate Auguſtanæ confeſſionis, eiuſque vero ſenſu, de auctoritate *Lutheri*, & iniuſta condemnatione doctrinæ Reformatorum, de erroribus & contradictionibus, de proceſſu Theologorum bergenſium, & difficultatibus, quas liber pariat Concordiæ. In Epilogo autem tentat auctor monſtrare viam ad chriſtianam concordiam, eaque ei videtur libera & chriſtiana Synodus, aut, ſi hæc obtineri nequeat, mutua partium tolerantia. Neuſtadiana hæc Admonitio etiam belgice verſa eſt, eique oppoſita Erfurtenſis apologia; hanc autem ſub nomine Defenſionis, quaſi a *Studioſis theologiæ neuſtadianis* ſcriptæ, aggreſſus eſt repulitque Marcus *Beumlerus.* Vide, ſi lubet, *Placcium* de pſeudon. p. 460. & Partem III. huius operis p. 384.

Zachar. *Vrſinus*, cuius avus vocabatur *Beer*, wratislavienſis, Phil. *Melanchthonis* diſcipulus, ac poſtea amicus, eiuſdem commendatione inſtructus iter fecit in Helvetiam & Galliam, reverſuſque ſcholæ præfuit in urbe patria, deinde ſumtis laureæ doctoralis honoribus locos communes prælegit in Collegio ſapientiæ heidelbergenſi, dimiſſuſque ab Electore palatino lutherano docuit Neuſtadii, donec inter labores occideret anno 1583. ætatis undequinquageſimo, vir neque ſui amans, neque avarus, neque arrogans & ambitioſus, neque inhumanus, ſed pius, probus, gravis,

vis, teres ac rotundus, ſibique ſemper ſimilis & conſtans; niſi quod pronus ac velox eſſet ad iram. Inter libros eius, qui iunctim editi ſunt Heidelbergæ A. 1613. tribus tomis in folio, comparent Catecheſis heidelbergenſis ſive palatina, Exegeſis veræ doctrinæ de ſacramentis & S. cœna, Confeſſio fidei de Deo, perſona Chriſti, & cœna Domini, FRIDERICI Electoris mandato ſcripta, Conſideratio Commonefactionis *Chytræi*, & Refutationes *Ieſuitarum*, *Samoſatenianorum*, *Schvvenckfeldianorum*, & Conſultationis *Caſſandri.* Interfuit etiam Colloquio maulbrunnenſi, cum *Brentio* & *Smidlino* (cuius verum nomen eſt Iacobus *Andreæ*) de ubiquitate diſputans, variaque, Electoris FRIDERICI auſpiciis, pædagogea ſeu ſcholas illuſtres inſtituit, & ubique prudentiæ atque dexteritatis ſuæ veſtigia reliquit. Neque hoc prætereundum, ſtudiis eum tam fuiſſe deditum, ut muſeo ſuo ſequentia inſcripſerit verba: *Amice, quiſquis huc venis, aut agito paucis, aut abi, aut me laborantem adiuva.* Melchior *Adamus* in Vitis theologorum p. 529. *Ancillon* Tomo II. des Melanges critiques 502. *Clericus* Animadverſ. P. XV. 137. & *Remonſtrantes* in Remonſtrantia p. 6.

CLXXIIX.

THEOLOGORVM ANHALTINORVM Bekentnis, Confeſſio de præcipuis articulis doctrinæ chriſtianæ. Serveſtæ 1589. Cum Iudicio de præfatione Libri concordiæ, & Apologia contra Refutationem adverſæ partis: item Brevi recenſione abominandarum quarundam phraſium in Formula concordiæ, & Teſtimoniis *Lutheri* & *Georgii* Principis anhaltini. Hæc Confeſſio non eſt Lutheranorum, ut quidam putavit, ſed Reformatorum, ſicut *Holzfuſius* teſtatur in Monito ad lectorem de Tractatu de prædeſtinatione B. Intercedunt autem in Præfatione, ſe ſe non novam condere confeſſionem, ſed de præcipuis articulis ſuam tantum aperire ſententiam, &, ſicut alios nolint exoſos reddere, aut condemnare, ita ſibi velle relinqui ſentiendi libertatem, ſubſcribere etiam Auguſtanæ confeſſioni, prout illa auguſtiſſimo Imperatori CAROLO V. tradita, & ſequente anno una cum Apologia Vitembergæ edita, anno 40. repetita, anno 1551. declarata, ut nomine Saxonicarum eccleſiarum Concilio exhiberetur tridentino,

no, & anno 1561. Naumburgi a Statibus euangelicis ſubſcriptione confirmata fuerit: quæ etiam ſine omni dubio comprehenſa in Pacificatione paſſavienſi, quia hæc ſola tunc temporis typis publicis exſcripta, nec alia manibus hominum trita & uſurpata.

Abdruck etlicher ſchriften, Exemplum aliquot ſcriptorum, e quibus genuinus Formulæ concordiæ intellectus apparet. 1597. Sunt autem illa 1) D. Aegidii HVNNII Epiſtola latina, Wittebergenſium, Lipſienſium & Ienenſium quorundam theologorum nomine conſcripta, qua Scholæ helmſtadianæ profeſſorem primarium, D. Danielem *Hoffmannum*, ut in eundem cum ipſis & Wirtembergicis, in fidei negotio, deſcendat ſententiam, interpoſita excommunicationis comminatione hortatur. 2) D. Dan. HOFFMANNI Apologia & Defenſio germanica contra iſtam Epiſtolam. 3) Relatio de Colloquio quedlinburgico ſuper articulo de ubiquitate corporis Chriſti; in qua inter alia narratur, triplicem ſtatui ubiquitatem: cum D. Tilem. HESHVSII Iudicio de Apologia Formulæ concordiæ.

ANHALTINORVM PASTORVM Scriptum, quod ipſorum XLII. contra ubiquitatem argumenta adhuc ſtent firmiter, ſive Refutatio capitis IV. Apologiæ Formulæ concordiæ, a Timoth. *Kirchnero*, Nicol. *Selneccero*, & Martin. *Chemnitio* fabrefactæ. Serveſtæ 1584. Primo narrant ſomnia, ut vocant, Vbiquitiſtarum; deinde argumenta ſua vindicare allaborant.

CLXXIX.

Ambroſii WOLFII Hiſtoria auguſtanæ confeſſionis. Germanice. Neuſtadii 1581. Emendata & aucta; eiuſque partes ſunt 1) De origine controverſiæ ſuper Cœna Domini. 2) De Auguſtana confeſſione, quid circa illam ab anno 1530. uſque ad 1561. in publicis S. rom. Imperii conventibus actum, quibuſque dolis Patres bergenſes (per quos auctores Formulæ concordiæ intelliguntur) uſi ſint. 3) Acta concordiæ inter Lutherum & Eccleſias Helvetiorum euangelicas ſuper Concordia wittebergenſi de articulo S. cœnæ. 4) Argumenta contra oralem & corporalem comeſtionem corporis Chriſti in S. cœna. 5) Aliquot Epiſtolæ Phil. *Melanchtho-*

Lanchthonis, & Caſp. *Crucigeri*, e quibus conſtat, quæ eorum hoc de articulo ſententia fuerit poſt Concordiam wittebergenſem. 6) Relatio de pace religioſa. 7. Refutatio epiſtolæ Frid. *Myconii*, quam de Concordia ſcripſerit wittebergenſi. In Præfatione improbatur *Patrum bergenſium* factum de obtruſione Formulæ concordiæ, *Lutherus* inconſtantiæ accuſatur, oſtenditur, quid ſit ubiquitas ex illorum ſenſu, diciturque, Reformatos, agnoſcere, quod in Concordia wittebergenſi vera & ſana proponatur doctrina de S. cœna; Opus hoc hiſtoricum non ideo eſſe conſignatum, ut Auguſtana confeſſio eiuſque receptores reddantur zvingliani: verumque cauſſæ ſtatum in hoc conſiſtere, quod, ſicut Eccleſiæ ſuperioris Germaniæ in Concordia wittebergenſi, cum ſua doctrina, etiamſi orali manducationi indignorum contradicerent, toleratæ, & pro ſociis Auguſtanæ confeſſionis agnitæ ſunt; ita etiam illos, qui eandem tenent doctrinam, in pari ſtatu ſocietatis Auguſtanæ confeſſionis reputandos & habendos eſſe. Si autem ſcire velis, quis Ambroſius ille ſit Wolfius, conſulendus tibi eſt *Placcius*, qui de Pſeudonymis p. 617. docebit, eſſe Chriſtophorum *Herdeſianum*. Et huic oppoſuerunt aliquot Theologi (*Kirchner* videlicet, *Selneccer* & Mart. *Chemnitius*) Fundamentalem & veram hiſtoriam Auguſtanæ confeſſionis: de qua egimus Parte II. pag. 341.

EIVSDEM Supplementum Hiſtoriæ auguſtanæ confeſſionis, contra Nic. *Selnecceri* & Io. *Magiri* calumnias. Neuſtadii 1584. Sicut Liber hic oppugnat illum aliquot Theologorum, cuius modo meminimus, ita Præfatio eius Præfationi D. *Selnecceri* oppoſita eſt; atque in ea iterum verus controverſiæ ſtatus, uti auctor prætendit, proponitur, falſus autem *Selnecceri* refutatur.

Auguſtanæ confeſſionis, eiuſque Apologiæ & Repetitionis, ac Receſſus francofurtenſis ipſa verba & doctrina de ſacramentis, atque in primis de S. cœna: Cum teſtimoniis *Lutheri*. Neuſtadii 1582. Ad retundendam calumniam non nullorum, qui dicunt, in terris *Io. Caſimiri*, Comitis palatini ad Rhenum, aliter, quam in Auguſtana confeſſione, doceri. Videtur & huius ſcripti auctor eſſe *Herdeſianus*.

Germani BEYERI Fundamentalis Demonſtratio & convictio, D. Nicol. *Selneccerum* X. argumenta de cœna Domini, in

Provocatione ſua aperte pervertiſſe, nihilque ſolidi ad ea reſpondiſſe. Item de vera adoratione humanitatis Chriſti in unitate perſonæ. Neuſtadii 1583. Scriptum hoc oppoſitum eſt Selnecceri & ſociorum eius Apologiæ erfurticæ: eiuſque auctor non eſt Ioſua *Lagus* pomeranus, ſed Chriſtophorus *Herdeſianus*. Vide *Placcium* de pſeudon. 113.

CLXXX.

Mart. BVCERI Gulden brief, Aurea epiſtola, e latino in belgicum converſa a Io. *Vitenbogarto*. Hagæ Comitis 1616. Scripta Argentorati d. 20. Martii 1530. ad Academiam marpurgenſem, ut eſſet Præfatio ſive Dedicatio Explicationis Euangeliſtarum. In qua auctor docet, quid ſit hæreſis, quinam hæretici, (nimirum non illi, qui in aliquo aut aliquibus punctis doctrinæ errant, ſed qui a talibus errantibus, interim in Chriſtum credentibus & caritatem exercentibus chriſtianam, ſe ſe ſeparant, iiſque fraternitatem denegant) & quomodo cum errantibus chriſtiana communio ſit colenda. Interpres Dedicationem præfixit ad Magiſtratum hagienſem, in eaque loquitur de *Buceri* fatis, præſtantia ac meritis, comparat præſentem Belgii ſtatum cum illo, quo Lutherus Zwinglio eiuſque ſociis in colloquio marpurgenſi fraternitatem denegavit, teſtatur, ſe pacem & concordiam eccleſiarum non ſui, ſed ipſarum amore quærere, docetque, cur Buceri Dedicationem appellaverit Auream epiſtolam, videlicet, ob præſtantiam & excellentiam.

Martinus *Bucerus*, argentoratenſis, ordinis Dominicanorum, docuit Heidelbergæ, atque e Belgio, ubi ei inſidiæ ſtruebantur, reverſus, aliquandiu apud Franciſcum *a Sickingen* Equitem in arce nanſtallenſi delituit, poſtque ea Wormatiæ cum Luthero converſatus, ſententiam eius amplexus & aperte confeſſus eſt. Ipſe una cum *Oecolampadio* eccleſiam Vlmenſium reformavit, Concordiæ vitembergenſi ſubſcripſit, quamvis ſequente tempore quædam in ſententia ſua de cœna Domini retractaret, animos Tigurinorum a ſe abalienavit, quod ambiguis formis loquendi uti videretur, interfuit ſmalcaldienſi conventui variiſque Colloquiis, ut hagenoënſi, ſpirenſi, ratisbonenſi, profeſſorem egit in nova ſchola argentoratenſi, Formulam emendationis eccleſiarum Electoris colonienſis cum Philippo *Melanchthone* conſcripſit, atque in Angliam a Re-

a Rege EDVARDO VI. invitatus, ſtipendio 160. coronatorum anglicorum, hoc eſt, longe maiore, quam ceteris theologis numerabatur, Cantabrigiæ docuit, ſed vix per biennium: anno enim Chriſti 1551. inteſtinorum dolore, calculo, faſtidio ciborum, alvi ſiccitate & catarrhis copioſis capitis proſtratus & confectus, inter pia vota, ac monenti ſacerdoti, ut ſe armaret contra diaboli impetum, *Nihil habeo*, reſpondens, *cum diabolo commune: in Chriſto ſolummodo ſum*, placide mortuus eſt, cum haberet annos unum & ſexaginta. Magna eius in docendo fuit auctoritas, doctrina excellens, integritas vitæ, eximia prudentia, vox grandis & canora, cum orationis forma congruens. Accedebat quoque in notandis hominum moribus modeſta libertas, in diſputando humanitas ac lenitas, & diligentia tanta, ut dubium, utrum magis ornandus ac laudandus ſit, quod ipſe ſemper occupatus eſſe voluerit, aut quod alios otioſos eſſe non permiſerit. Cumque cardinalis *Contarenus* e conventu ratisbonenſi rediens a Petro Martyre, in Germaniam proficiſcente, de doctis Germanorum viris interrogatus eſſet, reſpondit: *De* Philippo, *qui notus, nihil attinet dicere: habent autem Germani & Mart.* Bucerum, *qui ea ubertate doctrina theologica & philoſophica, ea etiam in diſputando ſubtilitate felicitateque eſt inſtructus, ut unus ille omnibus noſtris doctoribus poſſit opponi.* Hinc & Cantabrigienſes tanto præclariſſimi viri obitum dolore proſecuti ſunt, ut frequentiſſimo omnium Ordinum funere, ad tria fere millia hominum, magnaque adeo pompa corpus defuncti extulerint; & quamquam illud, tanquam hæretici, ſub MARIAE regimine effoſſum ſit, & cum libris ab ipſo editis publice crematum, tamen ſub ELISABETA in integrum ille una cum *Fagio*, paria fata experto, reſtitutus, omnis generis laudibus celebratus, & martyribus annumeratus fuit. Melch. *Adamus* in Vitis theologorum p. 211. *Narrat. innoc.* A. 1712. 830. *Lexicon univ. hiſtor.* T. I. 460. *Pope-Blount* 575. *Melanchthon* Epp. P. I. 271. *Camerarius* in Vita Melanchthon. 310. *Calvinus* apud Crenium de Singularibus Scriptorum 56. Ioſ. *Hall* Pax terris 29. *Davenantius* apud Geſſelium Hiſtor. S. P. II. 632. *Goldaſtus* Prolegom. in Petronium 263. *Caſſander* 853. *Boineburg.* Epp. p. 230.

Ioannes *Vtenbogartus*, alias, ut ipſe etiam ſcribit, *Vytenbogardus*, ultraiectinus, *Beza* diſcipulus, eccleſiaſtes primum in patria,

deinde Hagæ Comitis, vir fuit ſummæ doctrinæ, ſtupendæ tam in gallico, quam belgico ſermone eloquentiæ, maximæ prudentiæ, & ſingularis erga pacem & concordiam eccleſiaſticam ſtudii atque amoris: ſed, quod *Arminii* partes ſequeretur, atque unus ex Remonſtrantibus eſſet, adeo acerba paſſus eſt, ut Antverpiam, atque inde in Galliam fugere cogeretur. Interea bona eius fiſco addicta ſunt. Et quamvis reverſus ad defendendam cauſſam ſuam ſe offerret, non tamen hoc fuit conceſſum; neque aliam potuit obtinere gratiam, quam ut more patrio unam ex domibus amiſſis ſuo ſibi ære redimeret. Scripſit de autoritate Magiſtratus circa ſacra, ac libertate conſcientiarum, Epiſtolam apologeticam, Reſponſionem ad ea, quæ ipſi Feſtus *Hommius* impegit de controverſiis belgicis, item contra Triglandium, ſuamque ipſius Vitam, & Hiſtoriam eccleſiaſticam, in qua de actis Synodi dordracenſis plenam narrationem adfert, & obiit, A. 1644. cum ingreſſus iam eſſet annum ætatis octogeſimum octavum. *Lexicon univ. hiſtor.* T. IV. 707. *Epp. virorum praſtant.* p. 827. A præfatoribus prædictarum Epiſtolarum, Chriſtiano *Hartſoekero* & Phil. *a Limborch*, viris religioſis ac piis, hoc ornatur elogio: *D. Iohannes* Vytenbogardus, *fidiſſimus* Arminii *Achates, qui ſtylo & lingua ad miraculum uſque promptus, auditores ſape ſuos in ſtuporem egit, omniumque calculo omnibus eloquentia ſtudioſis longe palmam praripuit. Huius enim incomparabilem facundiam multi Principes viri eximie pradicabant, reconditam eruditionem docti extollebant, inſignem pietatem boni colebant, ſummam auxilii erga quosvis promptitudinem cives & exteri grato animo agnoſcebant, ingenuam merum comitatem amici exoſculabantur, ineffabilem denique in conſiliis rebuſque agendis prudentiam patria Proceres aliique viri ſummi ſuſpiciebant; adeo, ut quidem his exquiſitiſſimis natura ornamentis omnis generis mortales in ſui amorem & admirationem pertraxerit, non tantum indigenas, ſed & exteros, imo & longiſſime diſſitos; uſque adeo, ut fama tanti herois Conſtantinopolin uſque ſe diffuderit, magnumque illum* CYRILLVM *Alexandria Patriarcham, qui tum forte Conſtantinopoli commorabatur, excitaverit, ut amicitia ac fraternitatis dexteras cum D.* Vytenbogardo *per literas iunxerit. Sed uti plerumque invidia virtutis eſt comes, & ex invidia quavis mala optimos quosque comitantur, ita & noſter heros, apud exteros ſuſpectus & honoratus, pramia tantis meritis indigna in patria ſua tulit.* Plura vide in opere *Epp.*

Mart.

Mart. BVCERI Wahrhaftiger bericht, Vera relatio de colloquio ratisbonenſi anni 1ſ46. Argentorati 1ſ46. In qua refert, ſe diſputaſſe cum *Malvenda* de vera & viva fide, eam non conſiſtere cum peccatis mortalibus, neque ſe ac ſocios ſuos voluiſſe locum dare iuriiurando de non publicando colloquio; atque adeo falſum eſſe, quod D. Eberhardus *Billick* carmelitanus ſcripſit, Bucerum in hoc colloquio tum Malvenda habito ſuccubuiſſe, & herbam porrexiſſe.

EIVSDEM Chriſtliche erinnerung, Chriſtiana commonefactio ad Maieſtates Cæſaream & Regiam, Electores, Principes & Ordines S. rom. Imperii Nationis germanicæ, eorum officium, ac ſumme neceſſarium eſſe, ut concordiam & reformationem eccleſiarum in Germania tentent atque inſtituant, quibuſque mediis illa poſſit fieri. 1ſ4ſ. V. ſunt capita, quæ hic tractantur: 1. Tantum abeſſe, ut ſoli Papæ romano eiuſque Clero competat opus religionis & reformandæ eccleſiæ, ut minima eius pars illis permitti & concredi queat. 2. Cæſareæ & Regiæ Maieſtatibus, Electoribus, Principibus & Statibus Imperii non ſolum competere, ſed vel maxime ipſorum officium eſſe, Nationale concilium convocare, & pacem ac reformationem eccleſiarum quærere, ſectari, & adornare. 3. Idque facile fieri poſſe. 4. Quænam huius tam præclare operis ſint impedimenta, & quomodo illa removenda ſint. ſ. Offert ſe auctor ad probationem omnium eorum, quæ hic dicuntur, & fortaſſe non nullis non ita clara & perſpicua appareant.

EIVSDEM Chriſtlich bedencken, Chriſtianum iudicium, quomodo tolerabile initium concordiæ eccleſiaſticæ in rebus religionis faciendum ſit. 1ſ4ſ. Lipſiæ compoſitum A. 1ſ39. a viris romano-catholicis & lutheranis. Vbi & Georg. *Wicelius* præſens fuit, omniaque adprobavit. Cum annexa Relatione *Buceri*, quo ſenſu & modo in præcedentes articulos, aliquibus Principibus ad faciendum concordiæ periculum tradendos, conſenſerit. G

EIVSDEM Paſtorale. Heidelbergæ 1ſ74. De vera animarum cura, & vero paſtoratu, quomodo ille in Chriſti eccleſia conſtituendus ſit & obeundus. Et hic inveniuntur vera media, quibus a pernicioſo religionis ſchiſmate ad veram pacem & concordiam eccleſiaſticam, eiuſque aptam conſtitutionem pervenire

 poſſu-

poſſumus. Capita huiui libri ſunt, ut ſequitur: 1 de Eccleſia, quid ſit? 2. de regimine Chriſti in eccleſia ſua. 3. de paſtoratu Chriſti, & opere ſalutis noſtræ, quod ille per miniſtros ſuos ordinarios peragit. 4. De variis miniſtris, quibus Dominus in eccleſia ſua utitur. Item de miniſterio verbi & diſciplinæ ſpiritualis, nec non de miniſterio procurationis neceſſariorum ad vitam naturalem ſuſtentandam. 5. de electione & conſtitutione ſeniorum & miniſtrorum eccleſiæ. 6. de potioribus miniſtrorum eccleſiæ operibus erga univerſum gregem, & ſingula eius membra. 7. de ovibus Chriſti, quod videlicet deperditæ quærendæ, aberrantes in viam reducendæ, læſæ obligandæ & ſanandæ, infirmæ confortandæ, ſanæ & robuſtæ ſervandæ atque in paſcua ducendæ, item de ſatisfactione & remotione eorum a S. cœna, qui enormibus ſe peccatis contaminarunt, immo & excluſione ſeu excommunicatione eorum, qui eccleſiæ offendiculo fuerunt, eamque recuſant audire. 8. denique de obedientia ovium Chriſti. Ex omnibus hiſce *Buceri* ſcriptis clariſſime perſpicitur, cum virum fuiſſe moderatiſſimum, paciſque & concordiæ eccleſiaſticæ ſtudioſiſſimum; ſed qui, obnitentibus ſub orthodoxiæ larva rigidioribus, ſurdis cecinit, atque in vanum laboravit.

C. Q. D. A. Mittel und wege, Ratio ineundæ inter eccleſias euangelicas concordiæ. 1579. Auctor hic 1. dolet ac deplorat ſtatum eccleſiarum chriſtianarum, ac demonſtrat, earum diſcordias non aliunde trahere originem, quam a rixis ac litibus theologorum tumultuantium, qui puram euangelicam doctrinam ſe tenere exiſtimant, eaque ſe ſe efferunt. 2. Summos Magiſtratus ſuppliciter rogat, ut legitimam & a partium ſtudio alienam controverſiarum cognitionem inſtituant, quo illa puncta, quæ ſalutem noſtram æternam non attingunt, nec neceſſaria ſunt, a neceſſariis & ſalutem noſtram promoventibus articulis diſtinguantur & ſeparentur. 3. conſulit in medium, ac media quædam proponit, eaque facilia, apta, & omni tempore obvia, quibus præſentes diſſenſiones tolli, & chriſtiana concordia iniri poſſet. 4. oſtendit, aliquot huc uſque impacatos theologos ſuis venenatis conviciis, contumeliis, & clamoribus, ex mera ſuperbia, ambitione, acerbitate, invidia & odio, chriſtianas eccleſias turbaſſe, curſumque

quę rectæ ac veræ religionis impediviſſe: nec deeſſe, qui operam dent, ut ſemina diſcordiæ ſpargant inter Principes euangelicos, quo diſſoluti ab invicem, ab hoſtibus eccleſiæ facilius ſupprimi atque everti poſſint.

Quid hominis ſit C. Q. D. A. cum ignariſſimis ſcio: theologum autem non fuiſſe, ſed politicum, ex eo patet, quod *Nobilis* appellatur ac *Strenuus*, ſicut ex lectione huius conſilii, eum reformatæ religioni addictum fuiſſe.

Caſp. OLEVIANI Kurzer bericht, Brevis inſtructio, quomodo chriſtianus quam ſimpliciſſime ex controverſia de S. cœna ſe erigere poſſit. Herbornæ 1589. Nempe ex ipſis verbis inſtitutionis, ut credat. 1. verba inſtitutionis non eſſe verba creationis, ſed promiſſionis. 2. neque loqui de corpore figurato, quod nudum ſit ſignum. 3. panem & vinum non eſſe ſimplicem panem & vinum, ſed panem & vinum, verbo mandati & promiſſionis comprehenſum.

Caſp. *Olevianus*, trevirenſis, iurium & theologiæ doctor, docuit Treviris, Heidelbergæ in Collegio ſapientiæ, Berleburgi apud Comitem witgenſtenium, & Herbornæ, & ſicut ex voto, in aquis, cum iam iam ſuffocandus eſſet, concepto, a iurium tractatione ad ſacra ſtudia tranſiit, ita morti proximus amœniſſimo, & cæleſtia præſagiente viſo IV. horis recreatus, atque ineffabili gaudio perfuſus eſt, adeo ut mortem non horreret, ſed invitaret, ac ſæpe hæc verba repeteret: *Ego velim iter meum ad Dominum non diu differri, cupio diſſolvi ac eſſe cum Chriſto.* Diſſolutus autem eſt, atque ad illum migravit anno 1587. ætatis 51. relictis Eccleſiæ commodo aliquibus ſcriptis, Concionibus videlicet, Expoſitione ſymboli apoſtolici, Epitome Inſtitutionis religionis chriſtianæ Io. *Calvini*, & Notis in Euangelia, atque in Epiſtolam ad Galatas. Melch. *Adamus* in Vitis theologorum p. 596.

BELGICARVM ET GALLICARVM ECCLESIARVM Gemeine antwort, Communis reſponſio ad D. Lucæ *Oſiandri*, eccleſiaſtæ aulici ſtutgardiani, Commonefactionem, adverſus ipſas germanice & latine editam. Neuſtadii ad Hardtam 1581. Tractatur autem 1. de initio eccleſiarum in Gallia & Belgio. 2. de S. cœna. 3. de S. baptiſmo. 4. de providentia & prædeſtinatione

natione Dei. 5. de abrogatione idolorum, & reformatione externi cultus in prædictis eccleſiis. In hiſce Oſiandrum aiunt vel imperitum eſſe, vel male docere, vel perverſum ipſis ſenſum affingere, vel inconſtanter docere, vel hæſitare, & male interpretari. In Præfatione aiunt, Oſiandrum ſophiſticen exercere, & per amici fallere nomen: ipſum enim illum eſſe, qui Io. *Sturmium* pro exteris eccleſiis & Synodo ſcribentem magnis proſciderit conviciis, qui Conciones dehortatorias & alios libros ediderit, in quibus ipſarum doctrina de Sacramentis Alcorano turcico, doctores & paſtores lupis, ipſæ autem aberrantibus & ſeductis ovibus comparantur, qui ex primis fuerit, qui Libro bergenſi ſubſcriberet, quique perſpicacior fuerit Patribus bergenſibus: nam cum hi in duobus duntaxat punctis eccleſias ſuas errorum accuſarent, ipſum ſciviſſe quatuor exſculpere, in doctrina videlicet de S. cœna, baptiſmo, prædeſtinatione, & imaginibus; ſed & iam refutatum eſſe a Lamberto *Danæo*.

(BREMENSIVM PASTORVM) Chriſtliche und aufrichtige erklærung, Chriſtiana & ingenua declaratio ad Paſtorum naumburgenſium Confeſſionem de S. cœna, adiectaſque ei adhortationes. Bremæ 1590. Scripta nomine omnium Eccleſiarum reformatarum. In qua loquuntur de X. articulo Auguſtanæ confeſſionis, Articulis ſmalcaldicis, loco Catechiſmi *Lutheri*, verbis Phil. *Melanchthonis* in Ordinatione eccleſiaſtica, Civitatum venedarum Mandato adverſus Anabaptiſtas & Sacramentarios, & Paſtorum hamburgenſium Adhortationibus ac dehortationibus, Confeſſioni ipſorum partim præfixis, partim ſuffixis, dicentes, Articulum X. bene ſe habere ſenſu analogiæ fidei conformi: verba Articulorum ſmalcaldicorum indigere commoda declaratione: locum Catechiſmi *Lutheri* non eſſe ſibi adverſum: neque etiam ingrata *Philippi* verba: Civitatum mandatum loqui de palam convictis calumniarum & contumeliarum adverſus Sacramenta: & Paſtores hamburgenſes poteſtatem alios, ſine prævia cognitione, aut convictione de erroribus, condemnandi ſibimet arrogare. Cum vero hi ipſi in locum præceſſorum ſuorum ſucceſſerint, adeoque obſtricti ſint, ſicut illi in ſe receperunt, ad meliorem informationem deſiderantibus impertiendam, ideo XX. iis Propoſitiones exhi-

exhibent, & declarationem earum ex Verbo Dei, atque indubitatis Hiſtoriis, & Actis publicis amice & humaniter petunt.

EORVNDEM Chriſtliche erinnerung, Chriſtiana commonefactio ad Paſtores hamburgenſes. Bremæ 1590. De formula precum, quam in eccleſia prælegendam curarunt, & publicis typis ediderunt. Conqueruntur itaque, quod Eccleſiæ euangelicæ, in & extra Germaniam, ſub odioſo *Calviniſtarum* nomine, apertis & convictis Euangelii hoſtibus æquiparentur, preceſque contra eas inſtituantur, quaſi falſæ doctrinæ & diabolicorum errorum mendaciorumque convictæ eſſent. Atque ita narrant, 1. quinam hodie Calviniſtæ vocentur. 2. de M. Ioachimo *Wernero*, Hamburgi paſtore ad S. Petri, a munere ſuo remoto, quod in precibus publicis a vocabulo Calviniſtarum abſtinuerit, plane ſibi perſuadens, eos non eſſe Sacramentarios, qui credant, panem & vinum benedictum non eſſe nuda ſigna, ſed talia, quibus ipſe Chriſtus cum pane & vino ſumentibus offeratur, cetera vero nolint diſputare, quo id modo fieri queat. 3 rogant, ut ſepoſito erga perſonas odio, ad controverſiam oculi & animi convertantur, & ſic in timore Dei perpendatur, a) quænam ſit doctrina eorum, qui ex odio atque ad faſtidium *Calviniſta* appellantur: b) quid olim contigerit in diſputatione de Sacramentis, cum ſopienda eſſet: c) quomodo poſtea fuerit renovata, & poſt *Lutheri* obitum aucta & inflammata: d) uſque eo, ut hodie nomine exteri doctoris, Io. *Calvini*, atque ab eo immerito dictorum Calviniſtarum ludatur, ſicut pueri pila aut trocho: e) cumque Status Confeſſionis auguſtanæ nolint commoveri ad condemnandas eccleſias reformatas, ex qua cauſſa nonnulli, re non iudicata, privatas audeant cudere condemnationes? f) qua id ratione coram Deo defendi & excuſari poſſit, quod euangelicæ eccleſiæ, quæ a papatu receſſerunt, & coniunctæ inter ſe eſſe deberent, ſectariis *Lutheranorum* & *Calviniſtarum* nominibus in dies magis magiſque divelluntur?

PALATINORVM PASTORVM Bericht, Relatio, non eſſe verum, ſed grande mendacium, quod de electorali reformatione palatina & Ordinatione eccleſiaſtica in vulgus eſt ſparſum. Heidelbergæ 1590. Calumnia, ut vocant, in hoc conſiſtit:

A. 1586. omnibus ſuperintendentibus, eo vocatis, Catechiſmum fuiſſe propoſitum, in quo X. præcepta, & omnes præcipui articuli, de aſcenſione Chriſti, atque in primis de S. cœna, longe aliter ſint reddita germanice, quam apud *Carolſtadium, Zvvinglium, Oecolampadium, Calvinum,* & *Petrum Martyrem* a *Riezo* reperiatur. Et hunc Catechiſmum omnes acceptaſſe, eique, in præſentia Electoris *Caſimiri*, ſubſcripſiſſe, & inde formatam A. 1587. Caſimirianam Ordinationem eccleſiaſticam. Hæc autem omnia Palatini negant, atque ad XXI. puncta, quæ Renovatæ ordinationi eccleſiaſticæ palatinæ inſerta eſſe finguntur, ordine reſpondent.

ANHALTINORVM Tauffbuchlein, Liber baptiſmalis, pro Eccleſiis palatinis. 1590. Cum declaratione, cur exorciſmus in eccleſiis anhaltinis abrogatus ſit: & ſolatio pro parentibus, quorum liberi ante baptiſmum moriuntur, eos propterea non eſſe perditos & damnatos, neque fœtum in utero materno pro ſatanæ mancipio, ſed membro chriſtianæ eccleſiæ, habendum.

CLXXXI.

PASTORVM BREMENSIVM Abfertigung, Refutatio iactatæ confutationis Theologorum wurtembergicorum, quam Bremenſium Apologiæ oppoſuerunt. Bremæ 1583. Quæ debebat eſſe præambulo amplioris & diffuſioris reſponſionis. Auctorem vero Confutationis illius ſolum ſuſpicantur eſſe Iacobum *Andreæ*, neque eam vel D. *Heerbrandum*, vel D. *Schnepſium* ſuam facere.

IO. CASIMIRI Mandatum de omittendis condemnationibus diſſentientium in ſuggeſtu & ſcholis. Heidelbergæ 1584.

Joannes Caſimirus, Comes palatinus Rheni, *Friderici* III. Electoris filius, magni princeps animi, & conſilio promtus, ſed ſucceſſu plerumque infelix, ditionem palatinam, atque adeo Septemviratum, poſt LVDOVICI fratris obitum, per minorem eius filii *Friderici* ætatem, adminiſtravit, reformatæ addictus religioni, fatiſque conceſſit anno 1592. *Thuanus* lib. CIV. p. 485.

HEIDELBERGENSIVM PASTORVM Gegenwarnung, Dehortatio ad D. Lucam *Oſiandrum*. Neuſtadii ad Hardtam

tam 1584. *Oſiander* hic, Andreæ Oſiandri filius, erat tunc temporis eccleſiaſtes aulicus wurtenbergenſis. Dehortatio autem hoc vult, ne ille poteſtatem in eccleſia affectet antichriſtianam, exteroſque miniſtros & ſubditos contra chriſtianos ipſorum Magiſtratus, eorumque pia & pacifica mandata excitet atque inflammet. Immo in ipſo tractatu accuſant eum ſpiritus antichriſtiani, qui in eo ſe prodat 1. affectatione poteſtatis ſuper univerſas eccleſias in Gallia, Belgio, & Palatinatu. 2. maledictis & conviciis contra Magiſtratus ſecum non facientes, atque inſtigatione aliorum contra eos Principum. 3. mendaciis & calumniis. Atque omnino illi reſpiciunt Mandatum Palatini, *Io. Caſimiri*, de quo pag. 506. diximus, & indicare volunt, ingratum id Oſiandro fuiſſe, & eius cauſſa motus ipſum & fluctus excitaſſe.

EORVNDEM Wahrhaftiger bericht, Vera narratio de inſtituta reformatione ſive correctione in eccleſiis & ſcholis Palatinatus electoralis, & prope Heidelbergam habita Diſputatione de S. cœna, Neuſtadii 1584. Omnia ex Actis excerpta, atque ad depellendas inquietorum hominum calumnias publici iuris facta. Et hæc ſunt Apologia pro Mandato illo *Io. Caſimiri.* Præſidem illius diſputationis egit D. Io. Iac. *Grynæus*, profeſſor baſilienſis, hunc ad actum inde vocatus, & finis ſive ſcopus diſputationis erat, ut Lutherani probarent, corpus Chriſti realiter eſſe in pane benedicto, & ſumi tam ab impœnitentibus, quam a pœnitentibus, aut a conviciis & condemnationibus contra Reformatos abſtinerent.

NEAGOREORVM PASTORVM Dehortatio ad Io. *Matthæum*. Neuſtadii 1584. Qua id agunt, ut oſtendant, eum, iam, ut antea, de S. cœna non edere confeſſionem ingenuam, adeoque iis, quos Calvinianos vocat & Sacramentarios, in primis autem Io. *Calvino*, in allegatione explicationis eius aliquorum verborum S. ſcripturæ de æterna deitate, & proceſſione Filii Dei a Patre, magnam facere iniuriam. In Præfatione exponunt, cur tandem voluerint oppugnare D. *Matthæi* ſcriptum, & quam vitæ rationem ille tenuerit, quodque ob ſuſpicionem arianiſmi, Amberga pulſus ſit, vereque vertumnum egerit, a Lutheranis tranſiens ad Reformatos, atque ab his iterum ad Lutheranos.

ANHALTINORVM THEOLOGORVM Antwort, Reſponſio ad D. Nic. *Selnecceri* libellum conviciis & obtrectationibus repletum. Serveſtæ 1584. Libellus ille hunc habebat titulum: Brevis chriſtiana adhortatio ac dehortatio. Reſponſio autem hæc multa continet, quæ D. Selnecceri perſonam tangunt, & librum Concordiæ, a Iacobo *Andrea* fabrefactum.

EORVNDEM Dehortatio & adhortatio, ſtrenæ loco ad D. Nic. *Selneccerum* miſſa, ut Theologos anhaltinos tandem cum ſociis ſuis conviciari deſinat. Serveſtæ 1585. In qua defendunt *Amlingium*, qui cum Selneccero interfuit colloquio herzbergico, Gymnaſium ſerveſtanum, & D. *Freyhubium*, faſtidium doctrinæ de ubiquitate corporis Chriſti profitentur, rogant, ne alienæ ſibi tribuantur ſententiæ, & D. Tilem. *Heshuſii* doctrinam, qua ubiquitatem corporis Chriſti negat, quamque ſequi putant ex articulo de ſeſſione ad dextram Dei, ex eius dictatis helmſtadienſibus excerptam producunt & communicant.

ERNESTI FRIDERICI, Marchionis badenſis, Wohlgegründete und ſatte ableinung, Bene fundata & ſufficiens confutatio Summariæ relationis *Theologorum Conſiſtorii ſtutgartienſis* wurtenbergici. Neuſtadii ad Hardtam 1601. Summaria iſta relatio, quæ & ipſa Confutationi præmittitur, oppoſita eſt Marchionis Iudicio & motivis, quæ ipſum a ſubſcriptione Formulæ concordiæ retrahunt, eiusdemque Confeſſioni de præcipuis quibuſdam articulis, qui hodie inter Euangelicos controverſi ſunt. De illis igitur articulis ſententiam ſuam repetit atque ulterius declarat, & ſub finem annectit Declarationem Concordiæ wittebergenſis, ex Relatione *Capitonis* & *Buceri* ad Dietam baſilienſem.

Erneſtus Fridericus, Marchio badenſis & hochbergenſis, Landgravius ſuſenbergenſis, Dynaſta rœtelenſis & badenweileranus, filius *Caroli* II. fundavit Gymnaſium durlacenſe, edidit Epiſtolam ad RVDOLPHVM II. Imp. in qua cauſſam indicat, ob quam defuncti *Eduardi Fortunati* agnati ſui terras occupaverit & huc uſque rexerit, nec non Veram relationem de occupatione prædictarum terrarum, mortuo fratre *Iacobo* filii eius, *Erneſti Iacobi*, tutelam geſſit, Catholicos, quos frater deſertis ſacris avitis introduxerat, dimiſit, religionem ſummo ſtudio reſtituit, reique publicæ pertur-

perturbatæ conſuluit. Cum vero poſtea ad Reformatorum partes tranſiiſſet, cuperetque idem fieri a ditionis ſuæ populo, mors nec opinantem abſtulit, & conſilium eius reddidit irritum. Id quod factum anno 1604. cum inter vivos fuiſſet annis 44. *Imhof* Notit. S. R. Imperii Procerum p. 188. *Schwarzfleiſch* de Reb. badenſ. 36. & *Lexicon univ. hiſtor.* T. II. 60.

EIVSDEM Glaubensbekentnis, Confeſſio, ſecundum quam, ut normam, eccleſiarum paſtores & ſcholarum magiſtri in Marchionatu badenſi docere debent. Heidelbergæ 1601. De novo reviſa, ac præcipue in allegatione dictorum ex Patribus petitorum correcta & emendata: cum Brevi demonſtratione, Confeſſionem hanc a magno Libro tubingenſi, haut ita pridem edito, minime refutatam eſſe. Articuli autem, quos Confeſſio continet, ſunt de Libero arbitrio, Providentia Dei, Prædeſtinatione, Perſona Chriſti, S. baptiſmo, & Cœna Domini.

IOANNIS SIGISMVNDI, Electoris brandenburgici, Bekentnis und Edict, Confeſſio de controverſis in præſenti inter Euangelicos punctis, & Edictum ad ſuos Paſtores, ut a litibus non neceſſariis, conviciis item adverſus alias eccleſias, earumque condemnationibus in poſterum abſtineant. 1614. Quibus adiunctæ ſunt variæ Epiſtolæ, & quidem 1) Statuum provincialium Electoratus brandenburgici ad D. Chriſtoph. *Pelargum*, hortantium, ut reſiſtat Salom. *Finckio*, concionatori aulico, qui calviniſmum introducere laboret. 2) *Pelargi* Reſponſoria, qua ſignificat, ſe officium ſuum dehortatione iam feciſſe. 3) D. Sim. *Gedicci*, eccleſiaſtæ aulici ad Io. Georgium, Electoris brandenburgici Gubernatorem ſummum, conquerentis, quod *Erneſtus*, Marchio brandenburgicus, peregrinum eccleſiaſten, & quidem ex Principatu anhaltino, loco propter religionem ſuſpecto, in aulam vocaverit, concioni eius auſcultaverit, & ſacram ab eo cœnam ſumſerit, cum ſecundum antiquos canones non liceat proprium paſtorem ſpernere, & peregrino uti. 4) *Io. Georgii*, Gubernatoris ſummi, Reſponſoria, qua monſtrat, reformationem non eſſe illicitam: eccleſiam Chriſti *clerum* vocari, quia ex toto mundi corpore, ut certa portio, cuique heredi per ſortem obtingat: diſtributionem & aſſignationem eccleſiarum non ideo factam, ut ſacerdotes dominatum affectare

Digitized by Google

debeant ſuper cœtum ſuum: Conſtitutiones & canones ex ipſa materia ſubiecta iudicandos: petitionem ſacramentorum recte fieri apud paſtorem ordinarium, ſed non eſſe iuris divini: ſuperintendentem ſerveſtanum non in eccleſia, ſed in camera Marchionis Erneſti, conſentiente Electore, ſermonem habuiſſe, & ſacramentum cœnæ dominicæ adminiſtraſſe: paſtorum non eſſe, Electori eiuſque fratribus certam normam religionis præſcribere: fratrem ſuum ſacris quidem Lutheranorum olim addictum fuiſſe, ſed in peregrinatione obſervaſſe, longe aliter ſe habere religionem Reformatarum eccleſiarum, quam diſſentientes ſoleant proponere; itaque in conſcientia ſua convictum, Deo gloriam dediſſe, atque animum mutaſſe, præcipue cum iuxta verbum Dei Symbola antiqua & Confeſſiones communia habeant cum ceteris Proteſtantibus: neque propterea ab eo datum ſcandalum, ſed, ſi quod ſecutum, illud non eſſe niſi acceptum. 5) *Gedicci* ad D. Matth. *Hoë:* in qua lamentatur de ſubintroductis Sal. *Finckio* & Mart. *Fuſſelio*, miniſtris peregrinis & reformatis, petitque, ut fortiter taxet errores & blaſphemias (ſunt eius verba) Calviniſtarum, & procuret etiam, quo Elector Saxoniæ in promovenda religione lutherana, calviniſtica vero ex Aula & tota Marchia eiicienda omnem moveat lapidem. 6) Statuum provincialium brandenburgicorum ad Electorem Io. Sigismundum Libellus ſupplex, quo rogant, ut Elector Finckium dimittat, omne ſcandalum ac ſchiſma in eccleſiis & ſcholis avertat, pacemque & quietem in terris ſuis conſervet. 7) *Eorundem* ad Electricem: qua petunt, operam det apud ſereniſſimum Maritum ſuum, ut & ſubditis ſuis exercitium lutheranæ religionis relinquat integrum & inviolatum, & ipſe in eo perſeveret. 8) IOANNIS SIGISMVNDI, Electoris Reſponſoria: in qua dicit, ſe mora reſponſionis non contempſiſſe Status provinciales, cauſſas mutatæ in doctrinis quibusdam ſententiæ habuiſſe ſatis graves, dogma de ubiquitate corporis Chriſti evertere eius eſſentiam, nihil ſe præſcribere conſcientiis ſuorum ſubditorum, ſed & ſuam ſibi velle retineri libertatem ſentiendi & credendi, Lutherum ſe agnoſcere pro Dei inſtrumento, ſed cum denſis papatus tenebris involutus fuerit, mirum non eſſe, eum non omnia, quæ reformanda erant, perſpexiſſe, ac in meliorem ſtatum redegiſſe.

Io. Si-

Io. Sigismundus, præcedentis frater, parenti in Electoratu ſucceſſit, reformatam religionem, quam A. 1614. amplexus eſt, introduxit, vitaque defunctus eſt A. 1629. *Imhof* Notit. Proc. Imp. 146.

Ioannes Georgius, Marchio brandenburgicus, IOACHIMI FRIDERICI Electoris filius, Dux iægerndorfenſis, & Magiſter Ordinis Equitum iohanniticorum in Marchia brandenburgica, A. 1613. a Lutheranis ad Reformatam acceſſit eccleſiam, atque ab Imperatore FERDINANDO II. quod FRIDERICO palatino a Bohemis in regem electo opem tuliſſet, proſcriptus, Ducatuque ſuo privatus obiit Leutſchæ in Tranſilvania A. 1624. ætatis 70. *Lexicon univ. hiſtor*, T. III. 212. *Imhof* l. c.

STVDIOSI S. THEOLOGIAE Thronus regalis Ieſu Chriſti ϑεανθρώπȣ. Francofurti 1616. In quo doctrina Eccleſiarum reformatarum de ſeſſione Chriſti ad dexteram Dei patris repetitur, & Io. *Schrœderi* liber eiusdem tituli modeſte expenditur, &, ubi opus eſt, refutatur. In Præfatione indicantur contenta libri Schrœderiani, oſtenditur controverſiam eſſe de ubiquitate corporis Chriſti, quam Schrœderus probatum eat hoc argumento: Dextera Dei eſt ubique. At Chriſtus ſecundum humanam naturam ſedet ad dexteram Dei. Humana ergo Chriſti natura eſt ubique. At hoc non magis ſequi ait auctor, quam ſi ita argumenteris: Dextera Dei eſt infinita. Ideo etiam humana Chriſti natura, ſedens ad dexteram Dei, eſt infinita. Ceterum ille repetit duras & horrendas locutiones, quibus doctores quidam de ubiquitate, & Reformatorum doctrinis uſi ſint; *Schrœderum* vero laudat, quod ita librum ſuum formarit, ut modeſtiam & manſuetudinem non poſſis iure meritoque in eo deſiderare.

CLXXXII.

Antonii BENBELLONAE de Godentiis Vng Resveille matin, ſive Tempeſtivum ſuſcitabulum pro Principibus, h. e. Commentarius ad Edictum Imp. DIOCLETIANI de malefic. & Manichæis in Codice Hermogeniano. Serveſtæ anno DoMInICo, hoc eſt, 1602. In quo vita DIOCLETIANI auguſti, & res ſub eodem, item ante & poſt eum, potiſſimum adverſus Eccleſiam Dei, atque pro ea geſtæ proponuntur, pro defenſione

ſione S.R. Imperii, autonomiam & eunomiam, conſcientiarumque libertatem non tam concedentis, quam ſtatuentis: & pro his, qui ex omni genere odiis iniquis, & violentæ vexationi, ſacræ fidei cauſſa, ſunt obnoxii. Vt autem diſtinctius libri contenta enarremus, ſciendum, in Parte I. agi de ſtatu populi Dei ab orbe condito uſque ad IV. Monarchias, de eiuſdem populi Dei conditione ſub IV. Monarchiis, de eccleſia chriſtiana naſcente circa finem Cæſarum indigenarum, & ſub dominatu externorum Cæſarum, de rebus eccleſiæ Dei a tempore CONSTANTINI M. uſque ad ultimum patientiæ ſeculum, de DIOCLETIANO eiuſque Edicto, de primo antichriſto ANTIOCHO Epiphane, de Nerone & Domitiano, TRAIANI Edicto, L. Septimio SEVERO & MAXIMINO thrace, de antichriſto in templo Dei ſedente: in Parte II. de abdicatione imperii per Diocletianum facta, Edictis duorum MAXIMINORVM, autonomiæ bono, NERVA & reliquis Imperatoribus, initiis & progreſſu pacis religioſæ, Confeſſione auguſtana, Tranſactione paſſavienſi, Edicto Regis Galliæ pacificatorio, Mandatis pacificatoriis quorundam Regum, Electorum, aliorumque Magiſtratuum eccleſias orthodoxas habentium, & iuriſdictione eccleſiaſtica. Auctor vero huius libri eſt Barthol. GOERIZ, teſtibus *Placcio* de Pſeudonymis p. 117. & *Crenio* Animadverſion. P. V. 180.

Bartholomæus *Gœricius*, ICtus, floruit in fine ſæculi XVI. atque a *Meyfarto* de Academiis euangelicis p. 81. inſignis vocatur doctor.

Rob. *Bellarmini* Philoſophiæ euchariſticæ de potentia & voluntate Dei Expoſitio ſeu Refutatio per Ioannem ANGELVM POLITIANVM. Ambergæ 1604. *Eiuſdem* Pars altera, de ratione & modo præſentiæ, ſeu transſubſtantiatione. Ibidem 1606. Ecquis autem Io. *Angelus* hic Politianus? Eſt Io. INGOLSTETERVS: Ex hoc enim compoſito nomine duo illa Angeli & Politiani facta ſunt. Id quod Germani, & germanicæ linguæ periti facile intelligunt. Vide *Placcium* de pſeudonymis p. 515.

Io. *Ingolſteter*, noribergenſis, & philoſ. magiſter, ex inſpectore alumnorum noribergenſium rector electoralis pædagogei ambergenſis factus, XIV. annis muneri huic multa cum laude præfuit; deinde autem doctoris medici inſignibus ac privilegiis ornatus artem

artem ibi ſalutarem feliciter exercuit. Scripſit Iſagogen in Rhethoricam Ariſtotelis, Reſponſionem de aureo dente pueri ſileſii ad iudicium Mart. *Rulandi*, & Diſſertationem de natura occultorum & prodigioſorum ad Iac. *Horſtium*, cum *Rulando* illo aurei dentis fabulæ fidem adhibentem, & varia theologica; atque adeo oſtendit, ſe non minus præſtantem eſſe theologum, quam medicum & philoſophum. Sed triplex hoc æs, quod ei circa pectus erat, non potuit inhibere vim mortis & fatalem moriendi neceſſitatem: vehemens enim morbus eum corripuit & abripuit anno 1619. cum vixiſſet annos 56. In Epitaphio laudatur, ut medicus præſtantiſſimus, philoſophus acutiſſimus, theologus ſincerus. Melch. *Adamus* de Vitis medicorum p. 447. *Witte* Diar. biograph. P 2. & *Omeis* de claris Noribergenſibus p. 68.

CLXXXIII.

Io. PISCATORIS Vertheidigung der Herborniſchen Bibel, Apologia pro Bibliis herbornenſibus, contra Paulum *Rœderum*. Herbornæ 1608. Qua argumenta pro reformatæ Eccleſiæ dogmatibus producuntur, multa ſacræ ſcripturæ loca explicantur, & horum utrorumque index Præfationi ſubiungitur. In Præfatione autem reſpondet Piſcator ad Præfationes, quæ in libro Rœderiano exſtant, Ioannis *Fladungi*, ſuperintendentis orlamundenſis, & ipſius *Rœderi*.

Acta colloquii, inter Steph. *Laſurum*, Regiæ Maieſtatis britannicæ Legatum, & D. Matthiam *Hoë* ab Hoënegg A. 1613. dominica Quaſimodogeniti Dreſdæ in aula habiti, a Paulo TOSSANO edita. Oppenheimii A. 1615. Occaſionem ad illud dederat Hoë ſermone ſuo antemeridiano, in quo coram eccleſia docebat, Chriſtum reſuſcitatum per clauſas ianuas ad diſcipulos ſuos introiviſſe. Quod cum dubium videretur Laſuro, percontatus eſt oratorem, quo id argumento probare ſuſtineret; cumque hic ad ſeriem textus provocaret, particulæque διὰ, quæ latine reddatur *per*, ſignificationem urgeret, ille tantiſper acquievit, donec domum reverſus, & conſulto ipſo fonte *Ioannis* 20, 19. prædictam particulam ibi non legi certior redditus eſt. Hæc omnia perſcribit Laſurus in epiſtola reſponſoria, rogatus a Wellero, ut de colloquio

loquio illo teſtimonium ferat. Toſſanus autem utriuſque epiſtolam publicavit, ut vindicaret ſe contra Wellerum, qui in Defenſione ſua (in ſeiner Ableinung) id negaverat. In fine adduntur varia Mandata Ordinum quorundam S. Rom. Imperii (ut Electorum palatini, ſaxonici, brandenburgici, Ducum brunſvic. ac luneburg. Ducum lignicienſ. & briegenſ. ac Reip. noribergenſis) de abrogandis conviciis, calumniis & condemnationibus pro ſuggeſtu.

Paulus *Toſſanus*, montargirienſis gallus, Danielis filius, theol. doctor heidelbergenſis, & Palatinatu afflicto paſtor hanovienſis, biblicæ Lutheri tranſlationi Notas adiecit, *Winckelmanno*, *Menzera* & *Walthero* minime probatas, vulgavit etiam Enchiridion Locorum theologiæ, & Indicem in SS. Biblia, tandemque Hanoviæ deceſſit A. 1629. ætatis 57. Io. Frid. *Mayer* Biblioth. bibl. 143.

Theophili MOSANI Vindiciæ concionis D. Abrah. *Sculteti* de ſtatuis & imaginibus idololatricis. Hanoviæ 1620. Habita fuit illa concio A. 1619. die 12/22 Decembris Pragæ in templo aulico, atque ad obiectiones, a dialogiſta quodam pontificio, Balthaſ. *Hagero* ieſuita, D. Frid. *Balduino*, & Licentiato Io. *Hœpfnero* lutheranis poſtea factas, & partim ex *Luthero* aliiſque doctoribus witteberg. productas, reſpondetur.

Theophilus *Moſanus*, esbacenſis, vixit floruitque anno 1620.

CLXXXIV.

Abrahami SCVLTETI Hiſtoriſcher bericht, Hiſtorica Relatio de origine Reformationis eccleſiaſticæ in Germania ante annos centum, ex latino in germanicum tranſlata a Reinhardo *Guelfo*. Heidelbergæ A. 1618. Partes II. quarum priori annexæ ſunt *Sculteti* conciones in novo anno, & iobeleo lutherano, habitæ anno 1617. Ipſa autem Relatio incipit ab anno 1517. & definit in 1535.

Io. SALMVTHII. Conciones in iobeleo euangelico, habitæ Ambergæ A. 1617. Ambergæ 1619. Secunda editio. Prior concio agit de amiſſo, ſed IOSIAE regis tempore iterum reperto libro legis, 2. *Reg.* 23, 1. poſterior de ordinatione iobelei, ex *Levit.* 25, 1.

Io.

Io. *Salmuth*, miniſter verbi divini apud Ambergenſes, floruit in initio & progreſſu ſæculi XVII.

Matthiæ HOE Treuherzige warnung, Fidelis dehortatio a *Sculteti* concione iobelea. Lipſiæ 1618. In qua Scultetus accuſatur falſæ doctrinæ de ſacramentis, transformationis zwinglianorum dogmatum in purum euangelium, maledicentiæ contra Auguſtanam confeſſionem & librum Chriſtianæ concordiæ, neglecti erga laudatiſſimum Electorem Saxoniæ Chriſtianum I. honoris, atque ob amplam celeremque propagationem immerito laudatæ ac prædicatæ calvinianæ religionis.

Ioannis CRATII Iubilum continuatum, ſive Defenſio trium concionum iobelicarum, Heidelbergæ & Ambergæ habitarum. Hanoviæ 1619. Vna illarum eſt *Sculteti*, oppugnata a D. Hoë, & duæ reliquæ Io. *Salmuthi*, cui aliquis theologorum lutheranorum oppoſuit Ableinung ſive Refutationem. In Præfatione agit de controverſiis Euangelicorum & Reformatorum, eaſque cum Laur. *Lalio* reducit ad IV. capita, de Chriſti perſona, baptiſmo, S. cœna, & prædeſtinatione, oſtendens ex ipſis noſtratibus, eos non in integris illis capitibus, ſed tantum particulis eorum ab invicem diſcrepare. Iubili iſtius continuati II. ſunt partes, quarum priore *Sculteti* concio, poſteriore *Salmuthi* binæ conciones vindicantur.

Io. *Cratius*, Dan. Bor. Academiæ francofurtenſis ſtudioſus anno 1619. libro hoc innotuit, atque in eo componendo adiutum ſe ait libris D. Iac. *Fabricii* & Theophili *Moſani*.

Ausfuhrliche BEHAVPTVNG, Solida demonſtratio emendatæ Confeſſionis auguſtanæ, & non nullorum eo pertinentium materiarum. 1621. Auctor prætendit oſtendere, correctam Confeſſionem auguſtanam, nec tempore Lutheri, nec aliquot ab eius obitu annis ſuſpectam fuiſſe Statibus proteſtantibus, ſed tam ipſi Luthero, quam Statibus proteſtantibus, eorumque theologis, nullo excepto, gratam acceptamque; porro Io. *Calvinum*, & ſic dictos Calviniſtas, tam a Luthero, omnibuſque Theologis proteſtantibus, quam a Principibus & Statibus euangelicis ſocios illius Confeſſionis agnitos habitoſque, & Pace etiam religioſa comprehenſos fuiſſe. 1621. Scriptum hoc II. conſtat Epiſtolis, quarum

altera de primo agit membro, altera de ceteris. Cum Appendice, qua verum exemplar litterarum Electorum ac Principum proteſtantium de correcta Confeſſione auguſtana ad FERDINANDVM I. anno 1561. datarum, continetur, quarum potiora capita expenduntur. A. 1624. In Demonſtratione illa producitur p. 173. Iudicium *Schola lovanienſis* contra Apologiam erfurtenſem pro libro Formulæ concordiæ, p. 180. Rhythmi adverſus Patres bergenſes, qui auctores fuerunt Formulæ concordiæ, & p. 189. Confeſſio Fratrum Bohemiæ & Moraviæ, qui Picardi & Waldenſes appellantur. In Appendice autem p. 31. & ſeqq. collector oſtendere laborat, etiam Formulam concordiæ ſæpius mutatam eſſe.

CLXXXV.

Ioannis BERGII Daſs die worte Chriſti noch veſt ſtehen, Quod verba Chriſti (inſtitutionis S. cœnæ) adhuc ſtent firmiter, cum refutatione Collegii teſtamentarii Io. *Himmelii*. Veſaliæ 1646. Agitur hoc in libro de vera & ſalutari communione corporis & ſanguinis Chriſti in S. cœna, & quidem promovendæ Euangelicorum concordiæ cauſſa, contra corporalem præſentiam inviſibilis corporis Chriſti in pane, & oralem eius manducationem. Suam vero, ſive Reformatorum ſententiam probatum it ex verbis inſtitutionis, & apoſtoli *Pauli*. In Præfatione oſtendit, controverſiam hanc neque per conciliationem, neque per ceſſionem ſeu relaxationem, neque per cothurnos ambiguarum phraſium, ſed hoc duntaxat modo componi poſſe, ut una pars alteri libertatem ſentiendi permittat, nec tamen ei fraternitatem deneget. Cumque D. *Himmelius* priori huius tractatuli editioni, quæ A. 1624. prodiit, X. Diſputationes, quas Collegium vocat teſtamentarium, oppoſuiſſet, *Bergius* iam ei reſpondendum eſſe ratus eſt, eum in finem, ut tolerantia inter diſſentientes partes promoveretur; hanc vero locum non inventuram, quamdiu Lutherani ſententiam de corporali præſentia & orali manducatione ſuam pro tali fidei articulo habeant, qui ad impetrandam ſalutem ſit neceſſarius, & ſine quo non poſſimus eſſe chriſtiani. Nec minus *Calovius*, tunc temporis adhuc magiſter philoſophiæ, Stereomate, ut vocat, ſuo, Wittebergæ poſtea repetito, atque adaucto, Bergii librum impugnavit. Vide I. C. *Becmanni* Notitiam univerſitatis francofurtanæ p. 148. & *Pipping*. Memor. theologor. p. 130.

Io.

Io. *Bergius*, natus Stetini Pomeranorum, Dav. *Parei*, *Reuteri* & *Coppenii* diſcipulus, in Collegio Trinitatis cantabrigienſi ultro, & ſine ipſius ambitione atque expenſis, gradu magiſterii donatus, Francofurti ad Viadrum theologiæ profeſſoribus adiunctus, mox etiam creatus doctor, & profeſſor ordinarius conſtitutus, ſequente autem anno ad munus eccleſiaſtæ aulici vocatus, nec inde poſtea, etiamſi id peteret, ad functiones academicas remiſſus, quin ſuperintendentura ſeu inſpectione generali, niſi modeſte recuſaſſet, ornandus, atque inter conſiliarios receptus conſiſtoriales, duobus interfuit colloquiis, lipſienſi videlicet A. 1631. & thorunienſi A. 1645. diſputavit cum Io. *Behmio*, ac Cæleſtino *Mülenta*, compoſuit Analyſin controverſiæ de perſona Chriſti, Tractatum de quæſtione, an euangelicæ per Germaniam eccleſiæ diſſentiant in fundamento fidei, Antapocriſin ad Dan. *Crameri* reſponſum, Regulam apoſtolicam de formandis in religione iudiciis, Diſcrimen & comparationem Euangelicorum in doctrina & cærimoniis, Libellum de voluntate Dei omnes homines ſalvandi, variasque conciones, anno autem 1658. doloribus ventriculi ac febri continua correptus, ad beatum ex hac vita exitum ſe præparavit, votoque pro pace & concordia eccleſiæ euangelicæ concepto placide obdormivit, annos natus fere 72. Io. Chriſtoph. *Becmannus* in Notitia univerſitatis francofurt. 133. *Witte* Diar. biograph. Mmm 4.

CLXXXVI.

Sam. MARESII Iudicium & Reſponſum ad quæſtionem ſibi propoſitam de Canonicis ultraiectinis, qui reformatam religionem profitentur. Groningæ 1657. Editio ſecunda, priori auctior, cum refutatione eorum, quæ illi oppoſita fuere a Gisberto *Voetio* in præfatione Primæ philoſophiæ reformatæ, & Appendice Diſſertationis de Vſu iuris civilis & canonici in Belgio, item ab auctore libri vulgari idiomate prodeuntis, ſub titulo, *Canonici convicti*. Quæſtio hæc erat: An Vir pius & reformatus, ceteroquin munere eccleſiaſtico aut academico fungens, poſſit bona & illæſa conſcientia uti frui bonis illis, quæ *eccleſiaſtica* in Provincia ultraiectina appellantur, etiam ſub titulis Præpoſiti, Archidiaconi, Decani, Sacriſtæ, Scholaſtici, Theſaurarii, Præbendarii, Canonici, Collegiati, Capitularis, Vicarii & ſimilibus, abſque ullo

tamen exercitio directo vel indirecto ſuperſtitionis romanæ; atque ſic accenſeri primo illius membro, quod conſtituunt homines illa bona ſub eiuſmodi titulis poſſidentes, ex ordine ibi publico & lege fundamentali, iuxta quam, poſt tempora reformationis & recuperatæ libertatis, nemo ad illa bona poſſidenda & υπεροχην illis annexam ab ordinibus admittitur, de quo non conſtet, eum reformatam orthodoxamque religionem profiteri? Ad eam reſpondet auctor affirmative. In Præfatione autem profitetur, ſe neminem hic expreſſe impugnare, nec potuiſſe ſibi a reſponſo, quod poſtulabatur, temperare, officii enim eſſe theologici ad dubia propoſita reſpondere: ceterum querelas contra *Voetium* adverſarium, ac tres criminationes ſolvit.

Sam. *Mareſius*, (*des Marets*) Aeſimonto-picardus, *Gomari* & Lud. *Cappelli* diſcipulus, cum in Gallia, tum in Hollandia miniſter verbi divini, immo S. theol. D. & profeſſor in acad. ſedanenſi, tandemque groningenſi, occulta quadam antipathia carnem elixam, ius, herbas, poma, pira, ceraſa & fraga averſatus, atque a myſtica & poëſi maxime alienus, ſcriptis autem eriſticis deditus, obiit A. 1675. ætatis 76. Exſtant duo eius tomi variarum Diſputationum. Scripſit etiam contra *Volckelium*, *Comenium*, *Labadie*, Pet. *Serarium*, Hug. *Grotium*, *Altingium*, *Dallaeum*, *Wittichium*, Dav. *Blondellum*, maxime autem diuque contra *Voetium*, donec hi ambo, ſyncretiſmo facto, arma contra Cocceianos iungerent, Syſtema theol. cum notis, Notas in veterem Bibliorum gallicam verſionem, & alia. Hugoni *Grotio* dicitur *Borborita*, i. e. cœnoſus, ceu indicat Iac. *Laurentius* in præfat. H. *Grotii* Papizantis. Vide & *Sorberiana* 131. *Mayeri* Biblioth. bibl. 130. Biblioth. *Schrader*. P. I. E 8. *Kœnig* 508. *Lexicon univ. hiſtor.* T. III. 447. *Benthem.* de Statu eccleſ. & ſchol. holland. P. II. 243. *Labbe* de Scriptor. eccleſ. T. II. 276. *Crenium* Animadverſ. P. XIII. 108. 161. 166. XIV. 17. XIX. 86. & Irenæum *Philalethen* (qui eſt *Rhenferdus*) in Eerſten oorſpr. der Brœdertwiſten p. 6. Atque hic pſeudonymus p. 101. refert, Hermannum *Giffernicht*, Mareſii diſcipulum & aſſeclam ſingularem, *Mareſiolum* inde cognominatum, ex æmulatione editionis operum Cocceii, ſimili modo edere voluiſſe opera Mareſii, ſed non potuiſſe.

Andr.

Andr. *Eſſenii* Defenſio Conſilii theol. ultraiectini de canonicatibus, vicariatibus &c. Vltraiecti, 1658. Contra *Mareſii* præcedens Iudicium.

Andr. *Eſſenius*, Bommelia-belga, S. theol. D. & prof. ac paſtor ultraiectinus, ſtruxit Templum crucis contra Ioan. *Crellium*, Diſſert. de decalogo & die Sabbathi contra Abr. *Heydanum*, Syſtema theol. & alia, quæ memorantur a *Wittio* in Diar. biograph. Nnnn, obiitque A. 1677. ætat. 59.

Samuel. *Mareſii* Ioanna papiſſa reſtituta. Groningæ 1658. Sunt Animadverſiones & Annotationes hiſtoricæ ad Dav. *Blondelli* de Ioanna papiſſa Αναχρισιν, quæ & integra inſerta eſt. Additur Refutatio Præfationis apologeticæ, quam Anacriſi præfixit Stephan. *Curcellaus*, & Diſſertatio theol. pro SS. Trinitate, eidem Curcellæo oppoſita. Nec minus Præfatio apologetica hic inſerta eſt. Sed & exſtat Iudicium viri docti de Mareſii Papiſſa reſtituta, primo quidem ſubiunctum Quaternioni Diſſertationum theolog. Curcellæi p. 435. deinde autem ſeorſum editum; ſique aves ſcire, quis ille ſit, recurre ad Partem III. huius operis, ubi p. 154. invenies, eſſe Dan. *Zvvickerum*.

EIVSDEM Diatribæ tres de auro, thure, & myrrha, quæ Magi ex Oriente, apertis ſuis theſauris, Chriſto obtulerunt. Groningæ 1648. In Præfatione etymologiam & homonymiam vocabuli *Theſauri* evolvit.

EIVSDEM Munimen orthodoxiæ & perſeverantiæ euangelicæ. Groningæ 1652. Contra tentationes & ſcandalum defectionis illius ad papiſmum: cuius lugubre exemplum, (ſunt etiam verba ſcriptoris) parario Valeriano *Magno* capuccino, non ita pridem in Principe magni nominis Germania vidit. Munimen hoc continet IV. diſputationes academicas, quarum prima proponit præcipuos prætextus, quibus ſuam defectionem colorant, qui relicta Euangelicorum ac Proteſtantium communione tranſeunt ad papiſmum: ſecunda Reflexiones theologicas ad 4. erotemata per Germaniam non ita pridem diſſeminata, & eorum ſolutionem, factam a Valeriano *Magno*: tertia litteras, quas ſereniſſimus Haſſiæ Landgravius, ſcripſit ad G. *Calixtum*, poſtquam papiſmum publice profeſſus eſt, una cum conſiderationibus theologicis (*Mareſii*)

Digitized by Google

reſii) ad illas: quarta Legitimas cauſſas deſertæ a prædeceſſoribus noſtris, ac porro deſerendæ ab omni homine, pietatis & ſalutis ſuæ ſtudioſo, communionis papiſticæ. Adiungitur etiam Epiſtola, quam Princeps ſcripſit ad Pontificem, obedientiam ei præſtiturus, & ſanctam, ut vocant, benedictionem impetraturus.

EIUSDEM Compendioſa papiſmi refutatio. Groningæ 1658. Editio ſecunda, recognita & aucta. Refutatio autem in hoc conſiſtit, quod per modum Stricturarum & Animadverſionum ad Propoſitiones doctrinæ catholicæ Præſulum & Theologorum communionis romanæ in Conventu thorunienſi anni 1645. reſpondetur. Adduntur & ipſæ *Propoſitiones* doctrinæ catholicæ.

EIUSDEM Diſſertatio de uſu & honore S. Miniſterii in Eccleſiis reformatis. Groningæ 1658. Editio altera, auctiorque. Oppoſita eſt hæc Diſſertatio anonymi cuiusdam (qui, ex indicio C. *Sandii* in Biblioth. Antitrinit. p. 144. eſt Adam *Boreel*) periculoſo libello, qui inſcribitur *Ad legem & teſtimonium.*

Pag. 39. in Mantiſſa: Author libelli inſcripti Ad legem & teſtimonium, *enthuſiaſtam egit*, cum turbas daret, authoritate Regis *in vincula fuit coniectus*: incidit in imaginationem, *ſe a Deo delectum extra ordinem*, cuius miniſterio Iudæi ad Chriſti fidem eſſent revocandi; atque circa illud conſilium multa quidem movit, *ſed nihil promovit*: ipſe cor ſuum edens, *hominum vitavit veſtigia*, tandemque Amſtelodamum conceſſit, *inter novorum prophetarum turbam nomen aliquod conſecuturus*.	Hæc *omnia falſa eſſe* perhibentur ab auctore *Protreptici* ad Mareſium.

EIUSDEM Videntes, ſive Diſſertatio de prophetia & prophetis. Groningæ 1659. In ea non aſſurgit auctor (quæ ſunt verba in Præfat.) quibusdam novellis prophetiis, quæ hoc tempore

pore magni fiunt a viris etiam magnis, puta, *Comenio*, *Serario* & aliis.

EIVSDEM Diſſertatio de Waldenſibus. Groningæ 1660. Satis auctori fuit, ſumma huius hiſtoriæ capita delibaſſe.

ANIMADVERSIONES CHRONOLOGICAE in Iohannam Papiſſam Sam. *Mareſii*, contra Anacriſin Davidis *Blondelli*, reſtitutam. 1661. In iis oſtenditur, Mareſium quidem, ſi hiſtorica reſpicias, ſatis plauſibiliter rem ſuam contra Blondellum egiſſe, ſed in chronologicis oneri iſti imparem eſſe.

Ad Sam. *Mareſium*, autorem Mantiſſæ libelli, cui titulus: Diſſertatio de uſu & honore S. Miniſterii in eccleſiis reformatis, Protrepticon. Amſtelodami, 1662. Auctor huius ſcripti eſt Adam *Boreel*.

Adam *Boreel*, zeelandus, denatus eſt A. 1663. ætatis 63. Eiuſdem eſt Veritas hiſtoriæ euangelicæ, Concatentatio aurea chriſtiana, & Tractatio de fraterna religione. Vide *Sandium* l. c.

Sam. *Mareſii* Chiliaſmus enervatus. 1604. Contra Petrum Serrarium. Continet hic libellus diſputationem de coniunctione omnium planetarum in Sagittario, facta, ut ferunt, 1. vel 2. Dec. anni 1662. & iis, quæ per illam portendi dicuntur, & Vindicias: quarum pars prior agit de converſione univerſali Iudæorum, & populi iudaici reſtitutione in Palæſtina, poſterior de abolitione antichriſti. Auctor adverſarium ſuum in præfatione vocat bonum & pium virum, ac ceteroquin amicum, eumque tandem ſenſu ſuo abundare permittit.

CLXXXVII.

Nicolai ARNOLDI Religio ſociniana, ſive Refutatio Catecheſeos racovianæ. Franequeræ 1654. Effigies auctoris, Præfationi præfigitur. In Præfatione autem recenſet auctor priores doctrinæ & Catecheſeos ſocinianæ refutatores, fateturque, nihil a ſe novi hic allatum, ſeque adverſæ doctrinæ integra verba ſuæ Refutationi præmittere nullum dubitaſſe. Quid Io. Lud. *Fabricius*, theologus heidelbergenſis, hoc de libro iudicaverit, retuli in Amœnitatibus theolog. p. 765. & in Conſiderat. variarum controverſiarum p. 208. quum enim eum inviſerem anno 1670. de-

que variis rebus colloquium inſtitueremus, dicebat vir non minore iudicio, quam doctrina præditus, *Placæum* de divinitate Chriſti omnium optime ſcripſiſſe adverſus Socinianos, eique addi poſſe *Cocceium*, *Cloppenburgium*, *Heidanum*: *Mareſium* autem, *Comenium*, *Arnoldum*, alioſque, in hoc argumento tanti non eſſe æſtimandos.

Nicol. *Arnoldus*, pleſnenſis polonus, *Comenii*, *Orminii*, *Maccovii* & *Coccrii* diſcipulus, primum rector ſcholæ iablonovienſis in Polonia, tandemque profeſſor theologiæ in academia franequerana, in lucem quoque edidit Diſſertiunculam de theologiæ ſupra philoſophiam dominio, Commentarium in epiſtolam ad Hebræos, Lucem in tenebris, ſcripta contra *Bidellum*, *Echardum*, & *Brevingum*, itemque Defenſionem Ameſii contra *Erbermannum*, & Diſcurſum theologicum contra *Comenium*, virum de ſe quondam optime meritum, armaque & vitam depoſuit A. 1680. ætatis 62. Vide *Lexicon univ. hiſtor.* T. I. 206. & *Heideggeri* Hiſtoriam vitæ & obitus Io. Lud. *Fabricii* p. 64.

Io. Lud. FABRICII Opera omnia: cum Io. Henr. *Heideggeri* Hiſtoria vitæ & obitus illius. Tiguri 1698. Illorum autem partes ſunt ſequentes: 1) de Theologia, eiuſque principio. Diſputatio ſub Frid. *Spanhemii* præſidio Heidelbergæ, præſente ipſo ſereniſſimo Electore, CAROLO LUDOVICO habita, qua & eius gratiam meruit. 2) de Amicitia, aliiſque variis philoſophiæ capitibus. 3) de Natura & uſu primæ philoſophiæ. Qua inter alia adverſus *Ameſium* diſciplinæ illius uſus diſceptatur. 4) de Omnium ſcientiarum hypotheſi univerſali. Puta, abſtractione: quippe qua diſciplinæ conſtituuntur, diſtinguuntur, & dividuntur. De qua multa ſubtiliter, & quæ non publici ſaporis ſunt, diſſerit, concludens ad extremum, abſtractionem eſſe actionem intellectus, repræſentantem unum quid, non repræſentando alterum, quod cum priori eſt; ita tamen, ut ab illa adæquate, vel inadæquate, intrinſecus vel extrinſecus diſtinctum ſit, nemine cogitante. 5) de Variis fidei capitibus. 6) de Immortalitate animarum. Eſt oratio, qua demandatam ſibi profeſſionem theologiæ auſpicatus eſt. 7) Scrupuli ex venerabilis ſacramenti miſerabili caſu, quod aliquoties furto ablatum præda factum eſt, moti, ſed

ſed nondum remoti. 8) de Meditatione. Meditatio autem ei dicitur actio, qua mens ex ſe ipſa depromtas, vel ſenſuum ſervitio ſubminiſtratas, vel divinitus revelatas rerum ideas, accurato, ac proinde lento ex certis principiis examine deducto, perpendit. 9) de Typo omnium diſciplinarum. 10) de Methodo ad veritatem. 11) de Viis Dei, an & quo uſque ſint ſimiles viis hominum. 12) Apologia generis humani, contra calumniam atheiſmi. Qua demonſtratur, nullam omnino gentem adeo efferatam eſſe, quin Numen aliquod agnoſcat, & colat. *Acta erud.* A. 1683. 176. 13) de Symbolica viſione Dei. Exponit, qua ratione Deus viſus ſit Abrahamo, aliiſque; nimirum non in ſe & eſſentia ſua, ſed in ſymbolo, ſeu aſſumta ſpecie. 14) de Baptiſmo, infantibus heterodoxorum conferendo. Si videlicet Magiſtratus præcipiat illos etiam infantes baptizari, qui a parentibus heterodoxis, vi legis civilis, offeruntur, & in heterodoxis ſententiis informandi ſunt. 15) de Ludis ſcenicis. Quos a Collegii ſapientiæ alumnis honeſte, & exercitii cauſſa repræſentatos, ſed ab aliis, qui promiſcue comœdias oderant, reprehenſos, modeſte defendit. 16) Meditatio de controverſia circa perſonam Chriſti, inter Euangelicos cogitata. Qua oſtendit, Reformatos non diſſentire a doctrina Io. *Gerhardi*, qui a cunctis Lutheranis agnoſcatur orthodoxus. Et Gerh. Woltherus *Molanus*, illuſtris iam abbas loccumenſis, in diſp. inaugurali ſub celeberrimo D. Henichio habita, teſtatur, *Meditationem illam talem eſſe, ut enunciare vix poſſit, quantopere ſibi probetur, ſeque confidere, eam pleriſque probatum iri, qui rem ανευ παθων ponderare potius, quam ſuſpicionibus nequicquam indulgere praoptent.* Eandem laudat D. Io. Iuſt. *Kuker*, theologus rinthelienſis, in Diſp. XI. in Bechmanni Theologiam polemicam; nec audent reiicere Collectores *Narrationum innocuarum* ad A. 1712. p. 32. niſi quod auctorem, ſine allatis rationibus, ſuſpectum habeant; improbatur autem Sebaſt. *Edzardo* Manichæiſmi Reformatorum p. 104. 17) Epiſtola de libello Anonymi, quem præcedenti oppoſuit Meditationi. 18) Euclides catholicus, ad Fratres *Walenburchios*, ſub nomine Iani Alexandri *Ferrarii*. Genere ſcriptionis utitur ſingulari, & de quo dubium, ad mimeſin ne, an ſarcaſmum vel myctteriſmum referri debeat: ſimulat enim, quaſi cum promachis papatus in conſtituenda & protegenda hierarchia faceret, atque ita iis

illudit. 19) de Enthuſiaſtis. Eſt iudicium de viſionibus & vaticiniis *Cotteri*, *Poniatovia*, & *Drabicii*, quæ *Comenius* ei transmiſerat, in eo conſiſtens, dictis, prædictis, & viſis illis nil ſupra naturam & imaginationis morbum, tot adverſis & calamitatibus, quas a perſecutoribus boni illi homines paſſi ſint, natum & auctum, ineſſe. Vide *Balium* de Scriptis adeſpotis p. 63. & *Spenerum* Conſil. theol. lat. P. III. 456. 20) de Hominis ad æternam ſalutem adducendi a Deo ſanctificatore dependentia. Hac in diſſertatione docet, hominem creatum eſſe rectum, ſed mutabilem, neque tamen indifferentem; peccato autem mutatum reſtitui, niſi Dei virtute, non poſſe: immo & reſtitutum ex parte, niſi dependentem ab eadem Dei vi omnipotente, permanere, & penitus ſanctificari non poſſe. 21) de Limitibus obſequii erga homines. Limites autem illos hæc tibi ponit Regula: Si certo ſcias, quidpiam ab humana poteſtate præceptum eſſe, at non æque certo & evidenter ſcias, id ipſum eſſe a Deo prohibitum, humanæ poteſtati obtemperare debes; neque licet iſta excuſatione uti, *Deo potius obediendum eſſe, quam hominibus*: alias certum Dei mandatum incertæ prohibitioni præferres. Verum ſi quid a creata poteſtate mandatum eſſe certo noſti, & vel certius, vel evidentius, vel ſaltem æque certo & evidenter cognoveris, id ipſum a Deo prohiberi, clarum eſt, tibi exceptione iſta utendum, & divinæ potius prohibitioni, quam humanæ præceptioni parendum eſſe. Vide Fabricii Vitam ab *Heideggero* deſcriptam, p. 93. & 57. 22) de Fide infantulorum. In hac διαλέξει, collatis theologorum reformatorum & lutheranorum ſententiis, oſtenditur, controverſiam de fide infantulorum inter Euangelicos huc uſque agitatam, nullam eſſe: utroſque enim infantibus Spiritum S. fidei auctorem, eiuſdemque operationem & actionem aliquam, quia nuſquam otioſus eſt, tribuere; ſed modum, quo Spiritus S. fidem in iis operatur, & qua credunt, neutros definire, ſatis habentes dicere, non eodem eos modo fidem acquirere, & exercere, quo adultos. 23) de Baptiſmo per mulierem vel hominem privatum adminiſtrato. Controverſiam hanc ait non ad capita fidei, ſed ad quæſtiones de ευταξια pertinere: divina enim lege ſanciri, ut omnia ordine fiant; ordinis autem rationem maxime in eo conſiſtere, ut ſuo quiſque fungatur officio. Dum igitur in eccleſiis non cuivis viro commiſſum eſt,

mul-

multo minus mulieri, ſacramenta ut adminiſtret, fas iis non eſſe, ut munus iſthoc ad ſe rapiant. Si quis autem laicus, in caſu neceſſitatis, ab Eccleſia ad hunc actum peragendum conſtituatur, & quaſi delegetur, iam illum, ſi eum peragat, nihil præter officium facere, neque bonum ordinem, nedum fidem turbare. 24) de ſolemni novorum inter Chriſtianos templorum dedicatione & inauguratione. Quum sereniſſ. Elector, CAROLVS LVDOVICVS, templum concordiæ fundaret Manhemii. Dicit autem auctor noſter, templorum inter Chriſtianos dedicationem nihil aliud eſſe debere, quam publicam & ſolemnem, tum verbis, tum actu ipſo inſtitutam declarationem, qua omnibus pateſcat, ædificium iſtud, quod vulgo Eccleſiam nominant, deſtinatum eſſe agendis publicis conventibus, quibus verbum Dei doceatur, ſacramenta adminiſtrentur, Deus coniunctis precibus atque laudibus concelebretur, & mutua fidelium caritas atque communio foveatur. 25) Διαλεξις de Quæſtione 80. Catechiſmi heidelbergenſis. In qua cum convincendis Politicis quibusdam, tum leniendæ invidiæ, fuſe probatum it, neque ſolos, neque primos Palatinos fuiſſe, qui triplex illud inter ſacram cœnam, & miſſæ hodiernæ ſacrificium diſcrimen tradiderint, ſed illud exſtare in *Lutheri*, *Melanchthonis*, ac *Brentii* ſcriptis, & Electoris OTHONIS HENRICI Ordinatione eccleſiaſtica. Atque huic Διαλεξει oppoſuit D. Io. Fridr. *Mayer* diſputationem, inſcriptam Nova Reformatorum heidelbergenſium methodus. 26) de Faſtis. In hac Diſſertatione aſſeritur, ſi Princeps romano-gregorianum Calendarium, antiquato romano-iuliano, ſubditis ſuis euangelicis, ex cauſſis mere civilibus, & absque ullo erga Pontificem romanum, ut univerſalem Chriſti vicarium, obſequio, præſcribat ſervandum, ſubditos, non pœnæ ſolum metu, ſed & propter conſcientiam teneri, poteſtati ut obediant ſupereminenti. Vide etiam *Heideggerum* in Vita Fabricii p. 104. 27) Theſes miſcellaneæ. 28) Programmata academica. Notabis quoque, in Vita Fabricii p. 101. per Hierophantam intelligi *Langhanſium*.

In Vita Fabricii p. 56. *Woltherus* Molanus.	*Gerhardus Woltherus* Molanus.
105. Catech. heidelberg. Quæſt.	Qua dicitur, *in Miſſa negari, vivos*

LXXX. *qua Miſſa fundamentum* nihil aliud eſſe, *quam abnegationem* unici ſacrificii & paſſionis I. Chriſti, & execrandam idololatriam, ſtatuitur.	*vos & mortuos habere remisſionem peccatorum propter unicam Chriſti pasſionem, niſi etiam nunc quotidie Chriſtus pro ipſis a ſacrificulis offeratur*: Tum etiam miſſæ fundamentum. &c. Atque ideo in eadem pag. *Heideggerus* ſcribit, *triplex* eſſe diſcrimen inter S. cœnam & hodiernæ Miſſæ ſacrificium.
140. De Caſaubono, prius *Holtoni* nomine inſigni.	*Hortiboni*. Nam Caſau apud Delphinates ſignificat hortum. *Critopolus* in Cenſura Eclogarum Mayeri 68.
In Fabricii opere p. 340. Conſequitur, *religionem chriſtianam*, quam Apoſtoli tradiderunt, *ex ſe & principiorum ſuorum* (pontificiorum) *natura, ad ſalutem comparandam eſſe ineptiſſimam*.	Nunquam a me impetrare poſſum, ut hanc theſin Pontificiis cum perſonato Ferrario imputem: *a qua ſine dubio ipſi abhorrent*, & omnes Chriſtiani, cuiuſcunque ſectæ fuerint. Iuſt. Hen. *Boehmer* Iur. eccleſiaſt. Proteſtant. p. 21.

Io. Ludov. *Fabricius*, Scaphuſio-helvetius, bis Lutetiam Pariſiorum profectus, ordinatus ad Miniſterium eccleſiaſticum, non tamen ad certam Eccleſiam, Heidelbergæ primum græcam linguam & philoſophiam, deinde poſt reditum e Britannia, & ſumtis prius honoribus doctoralibus, theologiam profeſſus, ſereniſſimique Electoris a conſiliis eccleſiaſticis, vir doctiſſimus, probus, bonis moribus conſpicuus, ſapiens, prudens, urbanus, moderatus, pacificus, non perverſus, magnus tamen politicus, (quæ laudes ei tribuuntur, non ab adulatore, ſed, rumpantur ut ilia calumniæ, a ſereniſſ. Principe Landgravio *Erneſto* in Mantiſſa Hiſtoriæ heideggerianæ de Vita Fabricii p. 150. & *Leibnitius* in literis A. 1698. d. 10. Ian. ad me datis eum vocat virum doctrina & iudicio valentem, & Electori ſuo carum) in colloquio cum Epiſcopo tinenſi, aliisque graviſſimis negotiis a ſereniſſimis Heris ſuis, quamvis ultimus eorum diverſæ addictus eſſet religioni, citra conſcien-

conſcientiæ eius læſionem feliciter adhibitus, ab exteris ſæpius, etiam cum ampliſſimi ſalarii oblatione, ſed fruſtra, expetitus, in ſenectute autem, propter gallicam urbis exuſtionem ac direptionem, magnam bibliothecæ, aliarumque facultatum iacturam paſſus, nec alios, quam contentioſos & rixoſos adverſarios expertus, Francofurti ad Mœnum, quo exul cum ſuis ſe receperat, pie placideque exſpiravit anno Chriſti 1697. ætatis 63. cum dimidio. I. H. *Heidegger* in Hiſtoria vitæ & obitus Io. Lud. *Fabricii*, & L. *Wolf* de Reſtitutione omnium creaturarum.

CLXXXIIX.

Melchioris LEYDEKKERI Fax veritatis. Lugduni Batavorum 1677. Sunt Exercitationes ad nonnullas controverſias, quæ hodie in Belgio potiſſimum moventur, & quidem de S. theologia, S. ſcriptura, Deo, & attributis eius, Trinitate, Decretis & æterna Dei providentia, Creatione, & ſpeciatim creatione angelorum, hominum, brutorum, Providentia Dei actuali, Statu hominis ante lapſum, Peccato primo & ſtatu hominis poſt lapſum. Præfixa eſt Præfatio de ſtatu belgicæ eccleſiæ, & ſuffixa Diſſertatio de providentia Dei. Et in Præfatione quidem auctor lamentatur de litibus & controverſiis, quæ Belgium in præſenti conturbant, de graviſſimis articulis fidem & Theologorum veteranam prætendit ſe defendere, de ſcopo & ſtilo ſuo quædam præmonet, criminationes Fratrum proponit cum reſponſionibus ſuis, & ipſe querelas contra eos movet. Criminationes illorum ſunt iſtæ: 1. Adverſam partem theologiam ſcholaſticam, nec ſatis ſcripturariam docere. 2. Omnem in cognitione veritatis profectum perverſo zelo impedire. 3. Theologiam docere nullius rationibus ſuffultam, *αλογως* Fratrum opiniones oppugnare, ſeque ſolo brachio ſeculari tueri. 4. Theologos eſſe deſides, & ſtudioſos in academiis negligentes, & hiſce, uti credant, ſatis eſſe, in locis communibus eſſe exercitatos, poſthabitis aliis ſtudiis, quæ ad eruditionem theologicam pertinent. 5. Controverſiarum momentum exaggerare. 6. Mala fide accuſationes inſtituere. 7. Maturando ſchiſmati vires, conſilia, animosque advertere. Ex adverſo auctor indignatur, & conqueritur de altera parte, eam 1. omnigenarum novitatum farraginem in Eccleſias reformatas introducere. 2. Dogma-

Dogmata tradere, quæ cum Libris ſymbolicis non congruant. 3. Cocceianiſmi & Carteſianiſmi confœderatione multa mala in eccleſias invehere. 4. In erroribus progreſſum facere, eorumque numerum augere. 5. Diſſidiorum ac turbarum auctores eſſe. 6. Licentioſam prophetandi libertatem aſſumere, ubi ſacræ litteræ ſunt interpretandæ. 7. In decreta & auctoritatem ſynodorum hominum reformatorum impotenter involare, deque ſuis actionibus nolle in Synodis fieri iudicium.

Melchior *Leydekker*, Medioburgo-zelandus, S. theol. D. & antehac V. D. miniſter, nunc theologiæ profeſſor in academia ultraiectina, varia eruditione ornatus, atque in linguis orientalibus probe exercitatus, a Collectoribus *Actorum eruditorum* A. 1705. 97. & *Supplementorum* Tomo V. 244. laudatus, & Gisberto *Voetio* hic in Præfat.* 2. Orthodoxiæ zelotes dictus, ſcripſit etiam Conſilium pacis, & Commentarium de Rep. Hebræorum, placidaque ſenectute, nec minore auctoritate adhuc fruitur.

EIVSDEM Vis veritatis. Traiecti ad Rhenum 1679. Sunt diſquiſitiones ad nonnullas controverſias, quæ hodie in Belgio potiſſimum moventur, de œconomia fœderum Dei: ubi tractatur de fœdere gratiæ & teſtamento Dei, de ſponſore & ſponſione fœderis gratiæ, de natura veteris teſtamenti, de lege Dei, deque ſtatu Patrum ſub veteri teſtamento, atque in ſingulis pæne controverſiis refellitur *Cocceius*. In Præfatione iterum auctor querelas movet de miſero Belgii ſtatu, quippe in quo tanta vigeat Fratrum contradictio, & ſententiarum diſſonantia, hiſque utitur verbis: *Dico confidenter, ſi cadat noſtra de Prædeſtinatione fides, vicit* Arminius, *vicere* Ieſuitæ, *Anglia peſtes. Imo, labente Hipponenſi Epiſcopo, triumphat* Pelagius. *Quid? ni ſtet noſtra de Prædeſtinatione ſententia, reviviſcat* Epicurus. Addita ſunt duo ab auctore: 1) Eius Oratio inauguralis de ſectanda veritate in amore; ut videat lector, quo conſilio ad munus academicum acceſſerit. 2) Ioan. *Voetii* Apologeticus; ut oſtenderet, quam ægre ferat, Collegas omni laude digniſſimos contumeliis proſcindi in Præfationibus librorum: nam Petrus *Allinga* in Præfatione Erotematibus præmiſſa Voetium aggreſſus erat. Apologeticus autem eius eſt Epiſtola ad amicum.

Ioan.

Ioannes *Voet*, Pauli filius, Giſberti nepos, Iurium doctor & profeſſor in academia ultraiectina, de familia herciſcunda commentatus eſt, & avitam paternamque gloriam ſuis meritis non tantum conſervavit, ſed etiam auxit atque amplificavit.

CLXXXIX.

Sam. STRIMESII Syſtema gratiæ divinæ. Francofurti ad Viadrum 1712. Quo tentat conciliationem gratiæ Dei ſalutiferæ univerſalis & particularis. Præmiſſa eſt Diſſertatio proœmialis de cautelis huius tentaminis, deque ſchiſmate Euangelicorum. Inter diſſidentes CL. Auctor ſibi obſervaſſe videtur duo extrema, adeo ut ab una parte gratia univerſalis plus æquo extendatur, naturæque commiſceatur, particularis autem infenſo animo reiiciatur; ab altera, dictorum Scripturæ de gratia particulari agentium abuſu gratia nimis coarctetur, & maior hominum pars inevitabili, ſive ante, ſive poſt lapſum, communium omnibus parentum exitio addicatur, omnique gratia ſalutifera orbetur, Scripturæ vero dicta, gratiam univerſalem confirmantia, contra expreſſam eorum litteram, citra neceſſitatem, in particularis gratiæ argumenta commutentur. Hinc ad gratiam univerſalem & particularem conciliandam animum appulit. Et in hoc quidem opere ita procedit, ut ſibi perſuadeat, ſe pelagianiſmum & ſemipelagianiſmum, arminianiſmum & ſynergiſmum, immo & ſocinianiſmum, papiſmum & phariſaiſmum caute evitaſſe. *Acta erudit.* A. 1710. 340. At in eo tamen varia eſſe carpenda exiſtimarunt auctores *Narrationum innoc.* eaque indicarunt ad A. 1710. 531. & A. 1713. 764.

Sam. *Strimeſius*, natus P[illegible]monti in Boruſſia A. 1648. olim philoſophiæ, nunc theol. D. [illegible]eſſor in academia viadrina ſenior, primusque apud Reformatos eccleſiaſtes, irenicis & polemicis ſcriptis percelebris, utroque in munere optime meritus eſt, ac meretur, ſubtilis ac moderati theologi laudem adeptus. I. C. *Becmann* Notit. Vniverſit. francofurt. pag. 59. *Iablonski* Præfat. in Tractatum Burneti de Prædeſtinat. §. 13.

Barth. HOLZFVSII Monitum de ſuo Tractatu theologico de prædeſtinatione, electione & reprobatione. Francofurti ad

ad Viadrum 1714. Quo ſententia ab ipſo propoſita hic repetitur, & contra cenſores quosvis aſſeritur ac defenditur. Natum eſt A. 1705. ſed unico conſtans quaternione: præſens igitur editio longe eſt auctior.

Bartholdus *Holzfus*, Rugenwalda-pomeranus, magiſterii gradu ornatus Oxonii in Anglia, & ad eundem poſtea gradum, qui ei poſt ſollemne examen antea decretus fuerat, receptus Francofurti ad Viadrum, primumque eccleſiaſtes aulicus apud Stolpenſes in Pomerania, inde profeſſor phyſices ordinarius, & extraordinarius theologiæ in academia francofurtana, ac poſtea, impetratis doctoris honoribus & privilegiis, theologiæ ordinarius, vir de ſtudiis philoſophicis & ſacris præclare meritus, nec rigidis & contentioſis, ſed moderatis & pacificis theologis annumerandus, vitæ ſuæ curſum breviter abſolvit, decedens anno Chriſti 1717. ætatis 58. Vivit tamen adhuc in ſcriptis ſuis, quæ ſunt Diſſertationes academicæ de perfectione chriſtiana, deſcenſu Chriſti ad inferos, neceſſitate bonorum operum, baptiſmo iudaico-chriſtiano, ſacramentis in genere, SS. Trinitate, Deo & attributis divinis, creatione, providentia Dei, lapſu primorum hominum, libero hominis arbitrio, fœdere gratiæ, euangelio, munere Chriſti prophetico, regeneratione, ſanctificatione, converſione, & pœnitentia, I. C. *Becman.* Notit. Vniverſit. francofurt. p. 59.

IN

Digitized by Google

INDEX AVCTORVM

Quorum libri recenſentur; aut de quibus memorabilia afferuntur.

A

ABarbanel 107
Aben Eſræ 80
Abrahamsz *Galenus* 456
Aepinus *Fran. Alb.* 488
Agenda halenſia 175. mindenſia 174. noribergenſia 174
Alamannus *Lud.* 8. 9
Alardus 465
Alberus *Eraſmus* 240
Alberti *Valentin.* 45. 216. 217. 347 349. 369
Albertinus *Arnald.* 208. 209
Albertus Bav. Dux 198
Albizius *Ant.* 431
Albutius *Paul.* 269
Alcoran 108
Alexander VII. Papa 269. monachus 218
Allatius *Leo* 107. 429
Alſtedius *Io. Henr.* 84. 285
De Alva & Aſtorga *Pet.* 432
Amama *Sixt.* 86
Ambergenſes 257
Ambroſius 218
Amelot de la Houſſaie 194
Ameſius *Guil.* 206. 522
Amling *Wolfg.* 283. 508
Andreæ *Iac.* 233-235. 242. 253. 254 260. 312. *Io. Valent.* 400
Andri *Claud.* 223
Angelus *Chriſtoph.* 108
Anhaltini paſtores 235. 495. 506 508
Antonius eremita 109. 111. *Paulus* 425
Antonius Vlricus Dux Br. & Lun. 177. 179
Apologia Formulæ concordiæ 496
Aretius *Bened.* 276
Argentorenſes theologi 400
Arnd *Io.* 452. 462. 479
Arnobius iunior 34
Arnold *Chriſtoph.* 429. *Gottfr.* 443. 452. 456. 457. *Nicol.* 251. 252 *Sim. Io.* 460. Vide etiam Engels.
Auguſtinus *Aurel.* 114. 117. 120
Avianus *Io. Iac.* 148

B

Baal Hatturim 80
De la Badie *Io.* 10. 518
Baier *Io. Wilh.* 362
Balduinus *Fran.* 288
Balſamo *Theodorus* 109
Barnabas 51
Baronius *Cæſ.* 193. 436. 440
De la Barre *Io. Bapt.* 268
Baſilius M. 109
Baſnage *Iac.* 498
Baſſus *Domin.* 149
Battus *Abr.* 400
Bauer *Polyc. Iac.* 463

Baumann *Edm.* 426
Baumgartner *Auguſtin.* 198
Becanus *Mart.* 328. 352. 471
Bechmann *Fridem.* 388. 391-393
Becmann *Io. Chriſt.* 453. 454
Beck *Matth. Frid.* 16. *Mich.* 66. 67
Beer *Mart.* 206
Beerenſprung *Sigm.* 428
Behm *Mich.* 493
Bekker *Balth.* 493
Belgicæ eccleſiæ 503
Bellaius. v. Langæus
Bellarminus *Rob.* 22. 348. 352. 383 512
Bembus *Pet.* 3
Berger *Io. Henr.* 156. 165. 166
Bergius *Io.* 285. 516. 517
Bernegger *Matth.* 270. 271
Beſoldus *Chriſtoph.* 47. 405
Beſſeritz *Io. Sigism.* 420
Beyerling *Iac.* 385
Beza *Theod.* 235
Bidellus 522
Bidenbach *Wilh.* 267
Bienemann. v. Meliſſander
Bilderbeck *Chriſtoph. Laur.* 154
Billick *Eberh.* 501
Billius *Iac.* 109
Blandrata *Fran.* 283
Blondellus *Dav.* 519. 521
Bodenſtein *Andr.* 240

C

Cæſar 449
Calixtus *Georg.* 47-49. 53. 74. 114 294-310. 322. 357. 400. *Frid. Vlr.* 301. 302. 307-309. 315-322. 332 357 401. 481
Calliſtus patriarcha 218
Calovius *Abr.* 80. 81. 314. 315. 331 336. 354-357. 360. 400. 412-414
Calvinus *Io.* 279. 284
Calvœr *Caſp.* 447. 448. 450
Camerarius *Ioach.* 35
Cancerinus *Nic.* 257
Capellus *Iod.* 400. *Lud.* 107
Capito. v. Fabricius
Capuccini 292
Carlſtadius. v. Bodenſtein
Carolus IV. V. 196. 197. Cardinalis Lotharingiæ 201. Archidux Auſtriæ 200. Rex Galliæ IX. 201. Rex Suec. XI. 458. 459. XII. 462. 463.
Carpzov *Io. Bened.* pater 264. 266 filius 264. 457. 481
Cartwright *Thom.* 91. 92
Caſſander *Georg.* 197. 199. 274. 305 306. 312
Catharina Medicea 201
Cebes 28
Charitas 231
Chaskuni 80
Checozzi *Io.* 8. 9. 11
Chemnitius *Mart.* 362. 497. *Chriſtian.* 334. 335
Chriſtianus Dux Br. & Lun. 170 171
Chryſologus 109
Chryſoſtomus 109
Chytræus *Dav.* 495
Claſen *Dan.* 26. 27
Claverius *Rob.* 491. 492
Clemens Papa 52
Clericus *Io.* 17. 101. 493

Clichto-

Clichtoveus *Iod.* 192
Cocceius *Io.* 93. 528
Coch. v. Cocceius
Cocquius *Adr.* 57
Cœleſtinus 462
Coler *Ant.* 150
Collectarium Benedictino-monaſticum 170
A Collibus *Hippol.* 385. 387
Comenius *Io. Amos* 518. 522. 524
Concordiæ liber 494. 495. 496
Conerding *Henr. Dieter.* 147
Conring *Herm.* 195. 202-207. 316-325. 394. 395
Conſcientiarii 477
Coppenſtein *Io. Andr.* 285
De Cordemory 382
Cornæus *Melch.* 74
Cortreius *Adam* 138. 139
Corvinus *Io.* 228. 229. *Io. Arnold.* 164
Coſterius *Io.* 115
Cothmann *Io.* 400
Cotter 524
Cotton *Roland.* 100
Courtin *Ant.* 123
Cramer *Dan.* 517
Cratius *Io.* 515
Crellius *Paul.* 279
Crenius *Thom.* 287
Von Creutze *Carol.* 396
Crocius *Io.* 90
Cronius 486
Cruciger *Caſp.* 175. 497
Cundiſius *Gothofr.* 400
Cyprianus *Cæcil.* 113. *Ern. Salom.* 443. 455
Cyrillus patriarcha 385

D

Dallæus *Io.* 518
Damaſcenus 121
Damiani *Pet.* 218
Danæus *Lamb.* 120. 218. 504
Dannhauer *Io. Conr.* 72. 73. 410
Von Daſſel *Leonh.* 147
Dathenus *Pet.* 247
Davidis *Fran.* 283
Dayka *Io.* 385
Deyling *Salom.* 493
Dez *Io.* 349
Dietericus *Vitus* 174. 237. 385
Dionyſius werlenſis 214. 215. 394. 395
Dippelius *Io. Conr.* 483. 488
Dœrffel 348
De Dominis *M. Ant.* 389
Dorſcheus *Io.* 39. 40. 292. 400
Drabicius 524
Dreier *Chriſtian.* 331. 332. 355. 357
Dreſſerus *Matth.* 218
Dudithius *Andr.* 198. 435
Duræus *Io.* 74. 285
Dürrius *Io. Conr.* 374. 379. 380

E

Ebertz *Pet.* 262
Eccard *Henr. Mart.* 292. 334-336
Echard 522
Eckius *Io.* 232
Edzard *Seb.* 428. 466. 467
Egard *Paul.* 478. 479
Eichel *Io.* 151. 152
Eilmar *Georg. Chriſtian.* 446
Eiſhem *Dan. Bern.* 357
Emſer *Hieron.* 231. 232
Engelbrecht *Georg.* 146. 147. *Chriſt.*

Io. Conr. 161. *Io. Wilh.* 138
Ens *Caſp.* 204
Eraſmus *Deſid.* 197. 240
Eraſtus *Thom.* 385
Erbermann *Vitus* 206. 207. 324. 325. 383
Erneſtus, Landgr. Haſſ. 225. 292. 309
Erneſtus Frider. Marchio bad. 508. 509
Eſtius *Guil.* 21

F

Faber *Io.* 231
Fabricius *Io.* 372. 373. *Io. Lud.* 522. 526. *Wolfg.* Capito 258
Facciolatus *Iac.* 459
Fecht *Io.* 40. 63. 400. 422. 488
Feind *Barthold.* 460
Fequete *Steph.* 384
Ferdinandus I. 195. 196. 198. 199
Ferrerius *Arn.* 201
Feuardent 352
Feuerlinus *Io. Conr.* 419
Feuerborn *Iuſt.* 400
Fioghi *Fabian.* 183. 184
Fiſcher *Io.* 191. 418
Flacius *Matth.* 182. 245. 260. 278. 280. 281
Fladung *Io.* 513
Fœrtſch *Mich.* 403
Forbeſius *Guil.* 446
Forer *Laur.* 273. 341. 345
Forner *Frid.* 192
Foſcarini. v. Fuſcarenus
Franciſcus Gall. Rex 200
Franck *Barthol.* 408
Francke *Aug. Herm.* 66
Francofurtenſes theologi ad Mœnum 247
Franzius *Wolfg.* 36. 39. 286. *apoſtata* 349
Freher *Marq.* 151
Freinsheimer *Iodoc. Kunthiſ.* 247. 248
Friedliebius *Timoth.* 316
Fridericus III. *Elect. palat.* 385
Von Friedesleben. v. Treu
Frick *Io.* 419
Frœling *Andr.* 156
Frohn *Io. Adolph.* 426. 444. 464
Frommius *Andr.* 336. 384
Fuller *Nic.* 87
Funck *Io.* 237
Furer *Chriſtoph.* 180
Fuſcarenus *Mich.* 3

G

Gærtner *Magnus* 467
Gallicæ eccleſiæ 503
Gallus *Nic.* 254
Gauterius 352
Gebhardi *Brand. Henr.* 40. 41. 57
Georgius mitylenæus 218. hamartolus 218
Gerhardus *Io.* 44. 474. *Io. Ern.* iun. 485. 487
Gerlach *Steph.* 193
Germaniæ Principes ac Proceres 202
Geſenius *Iuſtus* 318. 320
Gibbon (*Auguſtinus*) de Burgo 214. 389
Gieſſenſes theologi 465
Giffernicht *Herm.* 518

Glaſſius

Glaſſius *Sal.* 69. 286. 333
Gleich *Io. Andr.* 45
Gmehlin *Sigm. Chriſt.* 463
Gœbel *Io. Andr.* 458. 459. 488
Goeriz *Barthol.* 512
Grabius *Io.* 272
Grapius *Zach.* 66
Grauer *Albert.* 283. 284
Gregorius neocæſarienſis 108. 110. nyſſenus 109. XV. Papa 204
Grellotus *Anton.* 102. 103
Gretſer *Iac.* 217. 383
Gribner *Mich. Henr.* 483
Grotius *Hugo* 29. 122. 350. 493. 518
Gruterus *Ian.* 385
Grynæus *Io. Iac.* 385. 507
Gudius *Marq.* 13. 14
Guolfius *Reinh.* 414

H

Hackius *Io. Fran.* 328
Hadrianus VI. 202
Hændel *Godofr.* 332
Hagemann *Gerard.* 216. 217. 349
Hager *Balth.* 514
Hahn *Henr.* 150. 151
Halenſis academiæ theologi 461
Halenſes paſtores 278
Hamburgenſes theologi 238. 400
Hannekenius *Meno* 213. *Phil. Lud.* 484
Von der Hardt *Herm.* 481. 493
Harduinus *Io.* 493
Hartnaccius *Dan.* 468. 469. 472
Haunold *Chriſtoph.* 206
Heerbrand *Iac.* 210. 272
Heidegger *Io. Henr.* 522
Heidelbergenſes paſtores 506. 507
Heinius *Io.* 384
Heinrici *Dan.* 352
Heinſius *Dan.* 90
Heinſon *Io. Theodor.* 449. 450
Helding *Mich.* 180. 181
Helmſtadienſes theologi 299
Henichius *Io.* 400
Henrici *Thom.* 74
Henricus Dux Saxon. Pius 175
Herbertus *Edoard.* 328. 441
Herdeſianus *Chriſtoph.* 234. 385 496. 498
Hermanni *Io.* v. Weſſel——
Hermannus. v. Von Wyd
Hertius *Io. Henr.* 155
Heshuſius *Tilem.* 242. 249. 250 254. 256. 260. 279. 282. 296
Heſſus *Eob.* 385
Heyſe *Abr.* 406
Hildebrand *Ioach.* 329. 336. 337
Hill *Ioſ.* 96
Hilpert *Io.* 491
Himmel *Io.* 284. 285. 473. 516
Hobbes *Thom.* 441
Hoburg *Io.* 275
Hochmann *Ern. Chriſtoph.* 465
Hoë *Matth.* 46. 273. 513. 515
Hœpfner *Tob.* 426. 427
Hœn *Georg.* 269
Hoffmann *Dan.* 284. 496
Holter 348
Holtzfus 529. 530
Homberger. *Ierem.* 276
Hombergk *Io. Frid.* 74

Hono-

Honoratus 293
Honſtedt *Thom.* 421. 422
Hoornbeeck *Io.* 360
Horneius *Conr.* 54. 299. 310. 311. 400
Horſtius *Iac.* 513
Hottinger *Io. Henr.* 103. 105. 107
Huber *Sam.* 253. 258
Hulſemann *Io.* 45. 46. 105. 345. 347. 350. 400. 410
Huetius *Pet. Dan.* 30. 31. 493
Hunnius *Aegid.* 210. 253. 496. *Helfr. Vlr.* 285
Huntlæus *Iac. Gord.* 352
Huthmann *Henning* 481
Hutten *Io. Georg.* 28. 29. *Vlr.* 385
Hutter *Leonh.* 336

I

Iani *Guil.* 400
Ianſenius *Corn.* 21. 22. 23
Iarchi. v. Raſchi.
Ienenſes theologi 254. 255. 256. 388. 400. 413. 414. 468. 469
Ien. Scabinatus 60
Ieſuitæ 193. 194
Ingolſteter *Io.* 512
Interim 192. 307
Ioannes Caſimirus comes palat. 506
Ioannes Sigiſm. Elector brand. 509. 511
Ioannes Chryſoſt. v. Chryſoſtomus. Comes naſſov. 293
Io. Frid. Io. Wilh. Duces Sax. 250
Io. Georg. Marchio brandenb. 511
Iodocus ſive *Iuſtus* 175. 229. 230. 231
R. Ioſeph cæcus ſive luſcus 16
Irenæus 493. *Chriſtoph.* 254
R. Iſaac. v. Abarbanel.
Ittig *Thom.* 454
Iulia academia 316
Iunius *Fran.* pater 341. filius 18. 19
Iuſtus. v. Iodocus

K

Keckermann *Barthol.* 284
Kedd *Iod.* 294. 329. 348. 370
Kemnicius. v. Chemnitius.
Keſler *Andr.* 340. 341. 343. 344. *Conr.* 18
Keſtner *Henr. Erneſtus* 139. 144. 145. 146
Kettner *Frid. Erneſt.* 57. 58. 397
Keyſer *Dan* 149
Kirchner *Timoth.* 256. 276. 497
Kitter *Rich.* 96
Knorr *Chriſtian.* 102
Koch *Chriſt. Gottl.* 488. *I. G.* 483
Knuzen *Matthias* 478
Kœnig *Sam.* 463
De Konigshofen *Iac.* 120
Kortholt *Chriſtian.* 383. 384. 435. 441. *Sebaſt.* 437. 411
Kortum *Renat. Andr.* 75
De Krakewiz *Barthol* 336. *Alb. Ioach.* 487
Krebs *Io. Frid.* 440. *Chriſtian. Henr.* 154
Krumbholz *Chriſtian.* 460
Küfner *Io.* 400
Kühn *Andr.* 225. 226
Kulpis *Io. Georg.* 143

Laba-

L

Labadie. v. Badie.
Lancelottus *Io. Paul.* 156
Lang. *Io. Mich.* 374. 395. *Ioach.* 398. 399. *Io. Chriſt.* 487
Langæus *Guil. Bellaius* 200
A Laſco *Io.* 279
Laſurus *Steph.* 513
Latermann *Io.* 312. 357. 400
Latomus *Barthol.* 242. 247
Laubenberger *Timoth.* 384
Layriz *Io. Chriſt.* 194. 195
Lechner *Caſp.* 345
Leibnitius *God. Guil.* 146
Lenæus *Io. Can.* 456
Leo Imp. 218. X. *Papa* 385
Leydekker *Melch.* 527. 528
Leyſer *Auguſtin.* 144
Lichtenberg 430
Lichtſcheid *Ferd. Helfr.* 419. 421. 423
Liddel *Dunc.* 284
Lightfoot *Io.* 95. 100. 493
Linck *Henr.* 167. 168
Lindanus *Wilh.* 307
Lingelshemius *G. M.* 385
Lipſienſes theologi 245. 255. 256 400
Lœnizer 483. 484
Lœſcher *Val. Ern.* 451. 454. 482 483. 488
Loſcanus *Io. Frid.* 80
Loſſius *Dan.* 216
Lottinus *Io. Fran.* 204
Lubecenſes theologi 238
Lubinus *Eilh.* 283
Lucianus 476
Ludewig 455
Ludovici *Iac. Frid.* 152. 153. 453
Ludolf *Iob* 76
Luft *I. M.* 465
Luneburgenſes theologi 238
Lupus *Chriſtian.* 189
Luther *Mart.* 34. 210. 240. 385 399. 460
Lutherani quidam theologi 400
Lütkemann *Ioach.* 400
Lutken *Fran. Iul.* 418. 453
Lutrenſe chronicon 385
De Lyncker *Nic. Chriſtoph.* 416
Lyſer *Io.* 490. *Wilh.* 286. 400
Lyſius *Io.* 398

M

Mader *Ioach. Io.* 51
Magirus *Io.* 257. 258. 497
Magnus *Valerianus* 74. 205. 206 207. 384. 519
Maier *Chriſtoph.* 285
Maimonides. v. Moſes
Maius *Io. Henr.* 70. 71. 72
Malachias hibernus 479
Malcolmus *Io.* 25
Malvenda *Thom.* 501
Mansfeldici theologi 246. 259
Manuale ſalisburgenſe. v. Salisburgenſe
De Marca *Pet.* 162
Marcellius *Henr.* 210. 212
Mardochai ben Niſan 78

Marenholz *Aſcan. Chriſtoph.* 448
Mareſchallus *Thom.* 18. 21
Mareſius *Sam.* 157. 212. 517. 521
Martini *Corn.* 284. 288
Martinius *Matth.* 286
Maſenius *Iac.* 270
Maſſonius *Chriſt.* 352
Matthæus *Io.* 507
Matthiæ *Io.* 322
Maurocenus *Andr.* 304
Maximilianus II. 199. 200
Mayer *Io. Frid.* 226. 288. 384. 461 463. 468. 487. 525
Mechlinienſis archiepiſcopus. v. Boonen
Meckenlor *Caſp.* 191
Meibom *Herm. Dieter.* 147
Meier *Ioach.* 138. *Gebhard. Theod.* 481
Melanchthon *Phil.* 34. 200. 229 230. 231. 322. 496. 499
Melanchthoniani 243
Meliſſander *Caſp.* 252. 276. 281
Menardus *Hugo* 51
Mendoza *Iac.* 197
Menêtrier *Cl. Fran.* 479
Menius *Iuſtus* 175. *Nicolaus* 242 243
Mennoniſtæ 396
Mercker *Io* 486
Merillius *Emund.* 26
Merſennus *Marin.* 87
Meyer *Barthol.* 272
Meyfart *Io. Matth.* 469. 471
Michaëlis *Io. Henr.* 66
Mislenta *Cœleſt.* 286 312. 400
Modeſtinus *Heren.* 12
Mœrlin *Ioach.* 248. 278. 4
De Monzambano *Severin.* 1
Morgagnus *Io. Bapt.* 1
Mornæus *Phil.* 1
Moroſini. v. Maurocenus
Morus *Alex.*
Moſanus *Theoph.* 51
Moſes Maimonides 107. 4
Muhlius *Henr.* 30
Müller *Brand.* 419. *Io.* 284. 395. 39 397. 400. 474. *Ic. Iac.* 434. 43 *Phil.* 4
Mulmann *Io.* 203. 204. 2
Muſæus *Io.* 294. 311. 388-390. 3 477. *Pet.* 326. 327. *Sim.* 2
Myconius *Frid.* 1

N

Nani *Bapt.*
Naum *Iod.* 2
Neagorei paſtores 50
Neef *Matth.* 3
Neubaur *Chriſtianus* 465. 46 4
Neumann *Caſp.* 464. *Ioan. Geo* 419. 4
Neumeiſter *Erdm.* 4
Neuſer *Adam*
Nicolai *Melch.* 4
Nicolaus methonenſis 109.
Nieberlein *Io. Adam*
Niemann *Sebaſt.*
Niemeier *Io. Barthold.* 4
Niſanius *Io.* 2
Nihuſius *Barth.* 74. 275. 2

Ninguarda *Felicianus* 169. 170
Noribergenſis Senatus 237. paſtores 237. libri ſymbolici 262
Noſtradamus *Mich.* 385
Nungeſſer *Io. Chriſt.* 428

O.

Odelem *Io. Phil* 84. 156. 881. 482
Oecolampadius *Io.* 192
Olearius *Gottfrid.* 492
Olevianus *Caſp.* 503
Olivekrans *Io. Paulin.* 436. 439
Omeis *Magnus Dan.* 168
Ordinatio eccleſiaſtica brunſvicenſis 171. haſſiaca 172. oldenburgenſis 173. palatina 173. rothenburgenſis 176. Conſiſtorii ienenſis 173
Oricellarius *Io.* 8. 10
Oſiander *Luc.* ſenior 253. 267. 506
Andr. 232. 238. 240
Ab Oſſe *Melch.* 147
Oſtorodus *Chriſtoph.* 283
Otto *Iul. Conr.* 340
Otto Henricus, Elect. palat. 175. 176
Overbeck *Andr.* 326

P

Pachomius 109. 111
Pacianus 114. 116
Palatini paſtores 494
Pallavicinus *Nic. Maria* 110
Panvinius *Onuphr.* 204
Pape *Pet. Sigiſm.* 423. 445
Pappus *Io.* 209. 239
Paraſin *Matthias Maximil.* 291. 292
Pareus *Dav.* 284. *Phil.* 385
Paruta *Paul.* 3. 11
Patiens *Pet.* 250. 251
Patricius *Succat.* 110. 112
Paulus III. 197
Paulus Ioſeph 195
Pearſon *Io.* 180. 183
Peilſchmid 349
Pelargus *Chriſtoph.* 121. 255
Pertſch *Io. Georg.* 468
Peterſen *Io. Wilh.* 83. 84. 180. 443. 459. 480. 481
Petreus *Henr.* 281
Petrus chryſol. v. Chryſologus. Bleſenſis 193
Peucer *Caſp.* 243. 261
Pezelius *Chriſtoph.* 243. 244. 255. 279
Pfanner *Tob.* 455
Pfeiffer *Aug.* 69. 465
Pflug *Iul.* 385
Philippus IV. Rex Hiſpan. 202. Landgrav. Haſſ. 172
Piccinardus *Steph.* 115
Pictetus *Samuel* 223. *Benedictus* 322
Du Pin *Lud. El.* 3. 4. 189
Piſcator *Io.* 513
Piſtorius *Io.* 209. 210
Pius IV. 199. 204
Plathner *Chriſt. Frid.* 156
Plutarchus 28
Polanus *Amand.* 93
Polyander 91. 92

Poniatovia 524
Pope-Blount *Thom.* 5. 8
Porta *Conr.* 229
Prætorius *Ioan.* 385. 435. *Matth.* 328
Pritius *Io. Georg.* 32
Proclus 277
Proteſtantes aliquot eccleſiæ 259
Prüſchenck *Zach.* 316
Pufendorf *Samuel* 31. 130. 133. 349

Q

Quakeri 396
Quiſtorp *Io.* 400

R

Ræſewiz *Georg. Chriſtoph. Ferd.* 219. 224
Rævard *Iac.* 150. 151
Rango *Conradus Tiburtius* 327. 468
Rappolt *Frid.* 327
Raſchbam 80
Raſchi 16. 80
Rathmannus *Herm.* 286
Rauppius *Iac.* 58
Rechenberg *Adam* 415. 416 417. 419. 421
Recke *Io.* 292
Reehaan *Gabr.* 28. 473
Regiomontani theol. 400
Reinbeck *Io. Guſtav.* 397. 398. 487. 408
Reinboth *Io.* 370. 371. 480
Reineccius *Chriſti.* 454. *Rein.* 218
Reinhart *Luc. Frid.* 113. 1
Reinkingk *Dieter.* 47. 1
Reiſer *Ant.* 3
Reizius *I. H.* 8
Richter *Chriſtian. Phil.* 148. *Ieren.* *Henr.* 4
Rinthelienſes theologi 292. 3
Ritmeier *Chriſtophor. Henric.* 5 7
Rivetus *Andr.*
Rœder *Paul.* 51
Romanus *Car. Frid.* 40
Roſenbach *Io. Georg.* 4
Roſenroth. v. Knorr
Rothmaler *Io.* 3
Roſtochienſes theologi 40
Rucellai. v. Oricellarius
Rubeanus *Crotus* 38
Rudinger *Eſrom* 277. 38
Rulandus *Mart.* 51
Rumpæus *Iuſt. Weſſel* 48
Rungius *Iac.* 23

S

Saavedra *Didac.* 47. 20
Sabellicus *Marc. Ant.*
Sagittarius *Caſp.* 382. 440. 44
Salisburgenſe Manuale 16
Salmaſius *Claud.* 38
Salmuth *Io.* 514. 51
R. Salomo, filius Iſaaci. v. Raſchi
Samonas gazenſis 109. 11
Sanctius *Caſp.* 2
Sandius *Chriſtoph.* filius 35
Sarcerius *Eraſm.* 240. 24

Sarra.

Sarravius *Claud.* 13. 15
Sauromannus *Georg.* 385
Saxoniæ Duces 250
Saxonici theologi 246. 273. 460.
electorales 253. 256
Scabinatus ienenſis. v. Ienenſis
Scheffler *Io.* 335. 348. 475
Scheibler *Chriſtoph.* 204
Schelgvig *Sam.* 328. 368. 400
Scherzer *Io. Ad.* 347. 348. 353. 362
Schilter *El.* 292. 294. 248
Scheurl *Henricus Iulius* 288. 289
Schiller *Io.* 119. 137. 162
Schlüſſelburg *Conr.* 255
Schmidt *Baſil.* 424. *Io. Andr.* 72
393. *Seb.* 64. 68
Schmoller *Chriſt. Gottf.* 463
Schœnfeld *Aug.* 464
Schopp *Conr.* 385
Schrader *Chriſt.* 316
Schramm *Ion. Conr.* 82
Schreiner *Sim.* 341
Schrœder *Io.* 272. 511
Schrœer *Sam.* 488
Schütz *Conſtant.* 427
Schwalch 459. 460
Schwarzenau 484
Schwenckfeld *Caſp.* 193. 495
Schwerdtner *Io. Dav.* 227
Scioppius *Caſp.* 267. 268. 385
Scultetus *Abraham* 44. 345. 414.
515
Seckendorf *Vit. Ludov.* 382
Seiler *Dan.* 469
Seldenus *Io.* 129. 130
Seldius *Io. Chriſt.* 212 *I. G.* 474
Selneccer *Nic.* 251. 255. 278. 497. 508
Serarius *Pet.* 518
Sevenſtern 317. 318
Severinus *M. Aurel.* 30
Siber *Vrbanus Godofredus* 82. 83
Sidonius. v. Helding
Sileſius paſtor 417
Simon *Ioan.* 217. *Richardus* 72.
493
Siricius *Mich.* 327
Sirmondus *Iac.* 109
Slevogt *Paul.* 311. 342. 343
Smalcius *Valentin.* 275
Smith *Thom.* 522
Socinus *Fauſt.* 276. 283
Sœtefleiſch *Io.* 293. 294
Sonnemann *Otto* 293. *Io. Dieder.*
Godofr. 227. 228
Sonnius *Fran.* 182. 183
Sonntag *Chriſtoph.* 433. 434
Spalatinus *Georg.* 175
Spangenberg *Cyriac.* 243. 245. 246
259. 281
Spener *Phil. Iac.* 349. 363. 364.
367. 399. 419. 485
Spinoſa *Bened.* 441
Squarcialupus *Marcel.* 435
Staphylus *Frid.* 233. 245
Starck *Theodor.* 184
Status Imperii roman. german.
449
Stein *Paul.* 359
Steller *Io.* 140
Stenger *Io. Melch.* 402. 467. 469.
472
Stolz *Io. Gottlob* 461. 462. 483

Strauch *Aegid.* 316. 405. 409. 412
Io. 148. 149
Strigelius *Victoriu.* 243. 244
Strimeſius *Sam.* 447
Struve *Io. Iul.* 460
Stryck *Sam.* 157. 158. 160. 163
Strypius *Io.* 96
Stubelius *Andr.* 424. 428
Sturmius *Iac.* 385. *Io.* 234
Sylburgius *Frid.* 385. 386
Syneſius 277

T

Targum in libros Chronicor. 16
Tarnovius *Io.* 42. 43. *Paul.* 275. 276
Tenzelius *Iac.* 335
Teteleben *Valentin.* 200
Teting *Nicol.* 396. 474
Textor *Io. Wolfg.* 326
Theodorus raithuenſis 112. *Vitus*, v. Dietericus
Theophanes Ceraunius 218
A S. Thereſia *Andr.* 476
Thomæ *Io.* 270. *Hubert.* 385
Thomaſius *Iacob.* 440. *Chriſtian.* 140-144. 147. 156. 157. 297.
Thummius *Theodor.* 344. 345
Timæus *Chriſtoph. Frid.* 401
Titi. v. Titius
Titius *Gerhard.* 55. 56. 213. 293. 294. 303. 314. 316. 322. 323. 325. *Rob.* 8. 11
Tœllner *Iuſtin.* 420
Tolandus 482
Toſſanus *Paul.* 513. 514. *Dav.* 257
Treu *Conr.* 19
Treuner *Io. Phil.* 38
Tribbechovius *Adam* 436. 43
Triglandius *Iac.* 78. 8
Triller *C. E.* 8
Triſſinus *Io. Georg.* 8. 9
Trithemius *Io.* 19
Tſchern *Nic.* 46
Turretinus *Fran.* 21
Turrianus *Fran.* 10

V

Valerianus. v. Magnus
Varenius *Aug.* 6
Vdalricus, epiſcopus auguſtanus 30
Vehe *Mich.* 207. 20
Veiel *El.* 429. 433. 45
Velſer *Mar.* 2
Verpoorten *Wilh.* 21
Victorius *Marian.* 11
Viegas *Blaſ.* 2
Vietor *Ierem.* 2
Vignerius *Nic.* 19
Vincentius lorinenſis 114. 115. Victor 11
Vinitor *Io.* 427. 42
De Vitriaco *Iac.* 21
Vitringa *Campeg.* 490. 491. 49
Viva *Domin.* I. 2. *Ignat.*
Vllmann *Io.* 6
Vlphilas 18. 1
Vlrici I. I.
Vltraiectenſes theologi 46
Voet *Paul.* 517. 518. *Io.* Pauli fil 528. 52

Vogel *Matth.* 239
Vogler *Valent. Henr.* 29. 30
Volkelius *Io.* 518
Volmar *Mar.* 254
Volpi. v. Vulpius
Voluſius *Adolph. Godefr.* 212. 213
Vorſtius *Conr.* 283. *Jo.* 89. 335
Voſſius *Ger.* 108
Vrſinus *Zacharias* 494. *Caſpar.* 385
Vtenbogartus *Ioan.* v. Vytenbogard
Vulpius *Io. Ant.* 9
Vytenbogard *Io.* 498. 799

W

Wachter *Georg.* 456. 457
Wæchtler *Chriſtfr.* 140
Wagner *Chriſtian.* 479. 480. *T.b.* 404
Wagnereck 389
Walenborchii *Hadr.* & *Pet.* 74. 355. 523
Walther *Mich.* 400. 286
Weidner *Io. Ioach.* 400
Weiſius *Criſpin.* 488. *Godofredus* 481
Weler *Io.* 375
Weller *Iac.* 351
Welmer *Io.* 424. 425
Wendelinus *Mar. Frid.* 335
Werlenſis. v. Dionyſius
Wermer *Ioach.* 505
Wernsdorf *Gottl.* 451
Weſſel *Io.* 184. 186. 187
Wicelius *Georg.* 190. 195. 305. 307
Wideburg *Chriſt. Tob.* 290. 291
Henr. 290. 291
Wigandus *Ioan.* 80. 241. 242. 256. 276. 277. 279
Wilkins *Dav.* 16
Winckler *Io. Ioſeph* 444
Wion *Arn.* 479. 480
Wiſſenbach *Iac.* 26
Wittfelt *Pet.* 293. 334
Wittebergenſes theologi 243. 245. 246. 255. 256. 261. 359. 368. 369. 400
Wittich *Chriſtoph.* 518
Wolfius *Ioan. Chriſtoph.* 78. 79. *Iac. Gabr.* 158
Wurtembergenſes theologi 257. 361
Von Wyd *Herm.* 188. 189

Z

Zehner *Iac.* 42
Zeidler *Melch.* 328. 329. 330
Zeiſold *Phil.* 69. 70
Zeller *Chriſtoph.* 41. 42. *Io. Conr.* 477
Zeltner *Guſtav. Georg.* 80. 81
Zentgraf *Io. Ioach.* 326
Ziegler *Caſpar.* 156. 157. 164. 167. *Bernh.* 182
Zwinglius *Vdalr* 385

IN-

INDEX

Anonymorum & Pſeudonymorum.

ALetheus *Theophil.* 489. 490
Alithophilus 406
Ambriſettus *Vincent.* 326
Angelus Politianus 512
Anonymus *Chriſtian.* 84. 483
Barreus *Iuſt.* 275
Baumann *Bernh.* 275
Benbellona *Ant.* 511. 512
Berenicus *Theodoſ.* 271
Berg *Theodor.* 270
Beyer *Germanus* 251. 497
Bibliotheca politica contracta 8
Briuntes. v. Menandrius
Candidus *Dan.* 122
Conſcientioſus *Chriſtian.* 349
D. E. V. 225
D. P. 397
Democritus *Chriſtian.* 483. 488
Diſcretus catholicus 225
Erskhein *Guſtavus* 332
Euangelicus. v. Sincerus
Eubulus *Irenaus* 203
Ferrarius *Ian. Alex.* 523
Friedliebius *Ericus* 453. *Timoth.* 316
G. A. V. 9
Germanicus *Ingenuus* 462. *Irenicus* 405
Germanus. v. Sylverius
Gottfried *Hulder.* 315
Hennies *Conr.* 293
Heſſiander *Chriſt.* 234
Irenæus. v. Eubulus. *Theophilus* 419
Irenicus Germanicus. v. Germanicus
Irenophilus 446
A Lapide *Hippolytus* 134
Liberius *Alethophilus* 311
Lugenfeind *Pacificus* 216
R. Luſitanus 396
M. I. F. M. A. S. M. 226
M. I. H. M. 66
Marckiewiez *Luc.* 328
Marte *Io.* 405
Menandrius *Conſ. Briunt.* 151
Mothe Joſſeval 194
Nicolaides *Theophil.* 354
De Pace *Zephyrinus* 222
Pacianus *Euſebius* 419
Patritius *Alex.* 22
Philadelphus *Heraclitus* 487
Philalethes *Irenæus* 72. 518
Politianus. v. Angelus
Q. D. A. 502. 503
Radinus *Thom.* 231
Raitern *Vlr.* 315
Reuchlinus *Andr.* 354
Scrutator veritatis 328
Severianus. v. Vindicius
Sicurus *Dorotheus* 45. 67
Sincerus *Aaron* 465. *Conr.* 119. 143
Euangelicus 425. *Innocentius*

Deodatus 227. *Verus*	225	Villiomarus *Yvo*	11
Soave *Pietro*	194	Vincentius *Athanaſ.*	489
Strauchſon *Frid.*	406	Vindicius *Iuſtus*	326
Sylverius *Io.*	154	Wolfius *Ambroſ.* 234. 248. 496. 497	
Theodulus *Epiphanius*	395		
Thraſymachus *Cyriacus*	203	Zephyrinus. v. De Pace	
Vargas *Alphonſus*	267		

CORRIGENDA ET ADDENDA IN IV. PARTE.

PAg. 10. lin. 1. homini. 44. 4 Athen lubec. 50. 35 Delineat. eccl. cathol. 809. & Præfat. in Cogitationes antiquo-chriſtianas 17. 77. 5 abbati *Renaudot*, qui poſtea ei adverſatus eſt, 81. 14 1672. 101. 7 quæ 137. 21 ille 168. 5 *Richteri* —— 8 inclytæque 169. 19 commendatur 176. 20 (cuius culpam 179. 3 filius 185. 11 adminiſtraret 237. 29 comminati 253. 17 OSIANDRI

IN PARTE II.

19. 13 Chronicorum (civitatis lubecenſis) libros III. —— 32. 34 obiitque anno 1683. Vitam eius ſcripſit *Wittichius*. 85. 30 genitus, concionator Arminianorum prope Roterodamum, edidit —— 32 &, cum forte herbas colligeret, totamque in eas mentem defixam habens, iuſto propius ad molam accederet pneumaticam, ab una alarum eius correptus & circumactus miſere periit: idque contigit in infantia ſæculi XIIX. 143. 32 deleantur verba ſequentia: Latine reddita a Phil. *Marbachio*. 145. 17 ſecunda ibidem A. 1584. & quarta Brunſvici 151. 35 halberſtadienſis 152. 5 Marquardus 154. 36 Io. *Piſtorius* cum 158 15 hoc Dicaſterii —— 16 illo initio 191. 19 *Reiſerus* 197. 8 vratiſlavienſis —— 9 philoſophicæ in academia vitembergenſi, 202. 15 Ioan. Ioach. *Wolfius* 208. 37 coemeterio 214. 33 *Voſſius*, in diœceſi heidelbergenſi in lucem editus 234. 15 per Chriſtoph. *Pezelium* & Abraham. Vlrici *Kranachium*, 244. 32 Georg. *Werner* 248. 12 inter Iac. Dav. *Perronium* 282. 33 iterata editio A. 1719. II. tomis in fol. cura Io. Herm. *Schminckii* prodiit Francofurti ad Mœnum: qua de vide, ſis, *Acta erudit.* A. 1719. 441. 314. 19 deleantur hæc verba: Atque hæc epiſtola continet mentionem antiquiſſimam numeri Electorum 318 17 110. 421. 23 ſæc. XV. 423. 21 & Io. Hayus in Sixti ſenenſis 453. 13 Bartholdo *Botſacco* 479. 34 *Boſius* 500. 17 Laur. *Surio* 508. 29 Apuliæ 517. 17 Bembum Paulus *Paruta*, Parutam Andr. 521. 13 *Holzfuſii* —— 14 cum Sebaſt. *Kortholti* Carmine gratulatorio.

In Indice Auctorum.

Kortholt *Sebaſt.* 521.

IN PARTE III.

PAg. 12. lin. 16 ſerenus, germanice Hellberg; --- 20 Marienbornenſis: --- 22 Et de prioribus vide CL. *Leuckfeldium* in Vita Henr. *Meibomii* ſenioris p. 9. 27. 31 leges 44. 5 A. 1602 Genealogia Nobilium a Schwanring, Pleſſe & Mahlspurg, Mülhuſiii 1587. 4 Hiſtoria Caroli M. Hildeshemii 1602. 4 --- 7. deleantur hæc verba: nobilium a Schwanring & Pleſſe, Genealogia 46. 14 Florilegium. 86. 24 Propheta 89. 4 *Marliani* 135. 21 a *Vejelius* 138. 9 Altorfii 151. 22 cunctos 163 16 Ioan. Conrad. *Dippelius* 166. 10 Meliſſantes, M. Io. Godofr. GREGORII --- 11 *Hunold*, Halæ Magdeb. I. V. D. 167. 20 Ethicam dedit, Rodolphus RODOLPHI. *Nova Bibliotheca* T. II. 160 & *Heumann* in Conſilio faciendæ pacis 25. 168. 24 Theodorus CRVSIVS. 175. 1 A. 1712. ætatis ſuæ 62. 186. 1 T. XXIIX. 248. 11 nec non epiſt. latina 285. 21 contradictionum apparentium 300. 7 b *veſtium, collarium*, aliarumque rerum. A germ. *Spizzen*. 302. 16 imminutione 309. 24 b Klacker 313. 10 b Academiæ ſcientiarum 315. 5 patibulis 319. 7 *Neumanni* 335. 1 p. 222. at nobili, ſi G. I. *Voſſio* Præfat. in libros de Hiſtoricis latinis, --- 8 prope Heidelbergam, deinde in academia heidelbergenſi, 342. 22 Longinum 350 35 b maxima quidem pars theologorum. 360. 33 ex utraque cathedra 371. 5 *Kænigio*, & *Wittio* in Diar. biograph. X 3, anno 1625. 396. 19 obiitque 397. 8 vener. abbat. 398. 21 & patronum cauſſarum egit in Curia amſtelodamenſi, profeſſorem autem Iuris in Gymnaſio: hinc ab Henrico 400. 18 Quum 423. 30 Radulphus 439. 31 ætatis 61. 441. 31 æt. 71. 462. 37 Danielem *Eremitam* 464. 22 *Goeſius* 465. 6 *Van der Does* 471. 19 in Apibus urban. 342. --- 23 deleantur hæc verba: Leo *Allatius* in Apib. urban, 342. 472. 1. de Campanella, huic autem 487. 12 ragioni 488. 24 involvit

FINIS.

Digitized by Google